Priced in Bohn's Cat: at 18s/

Turkey Morocco

x

see Wyttenbach's Life of Ruhnken

Sent.

LL
52346c

LAUR.

SANTENII

CARMINA.

H 6611
26/9/99

TRAJECTI ad RHENUM,
Apud BARTH. WILD,
MDCCLXXX.

LAUR. SANTENII

CARMINA.

IN ALBO

RUDOLPHI VAN OLDEN.

NOMEN ut auratis inſcribam, Oldene, tabellis,
  Et tibi dem dextrae pignora cara, rogas?
Exiguum eſt, quod, amice, rogas. quid inania verba,
  Quid petis incultae vilia dona lyrae?
Exige, amicitiae rebus tibi foedera praeſtem,
  Et mea ſit factis ut manifeſta fides.
Tecum ego Sarmaticas auſim tentare pruinas,
  Extremo aut poſitos Seras in orbe petam.
O mihi communis fortuna ſit utraque tecum!
  Te vitae et comitem mortis habere velim.

Scilicet inſido non junxit pectora nodo
Utilitas, animos ſueta movere leves;
Junxit amor Recti, Morum concordia junxit,
Et ſociam ſtudiis appoſuiſſe manum.
Invida quod ſi nos olim ſors dividat, haec te
Admonitura tui ſigna ſodalis habe.

AD

JANUM WOLTERS VAN DE POLL.

ACCEPI miſſos comitantia carmina libros,
Pollio, amicitiae pignora certa tuae.
Hos mea, dum turbat patrios Fortuna Penates,
Perdidit e moeſto bibliotheca ſinu.
Non ſinis, et pretio redimis, dominoque redemtos
Reddis, et a noto limine abeſſe vetas.
Tene ego diſcipulo, te non ego laeter amico?
Tene ego non ſtabili ſemper amore colam?
Abſit! Apollineas animum modo finge per artes.
Protege Phoebeos usque poëta viros.

IN ALBO

NICOLAI YOUSSOUPOFF.

Huc ades, et junctae da ſigna perennia dextrae,
Ingenio quisquis, quisquis et arte vales;
Quem decorat virtus, quem nectar amabile morum,
Cui patriae inflammat nobile pectus amor.
Haec vehat Heroas, populis haec nata regendis
Nomina, et illuſtres pagina Marte manus.
Hos amat, et Princeps hos Youſſoupovus amicos
Expetit, et ſimiles, gaudet habere, ſui.

IN ALBO

JANI WOLTERS VAN DE POLL.

ITE procul, quorum ſimulata fingere mente
Novit adulantes ſubdola lingua ſonos;
Quîs Dea Libertas, Patriae quîs gloria ſordet.
Hinc procul indoctae, barbara ſigna, manus.
Non vobis ſanctas offert maculare tabellas,
Expetit aut humiles Pollio amicitias.
Hunc juvenem et Vitiis, Aevoque, ſtupore ruenti,
Belga, tuo, opponunt Numina, amica ſolo.

AD

PETRUM RENDORP.

Accipe, Petre, meum tibi quae teſtentur amorem
Carmina, quae fidei ſint monumenta meae;
Quae, voveo, ut ſeri cupiant meminiſſe nepotes,
Et tua carminibus nomina juncta meis.
Felix Rendorpi! tua ſi modo commoda nôris.
Eſt tibi lingua potens, gratia, forma, vigor.
Sunt tibi divitiae, nec es hospes in arte fruendi,
Et domus a magnis clara refulget avis.
Nec minus, illuſtri quae mens generoſior ortu, eſt,
Quodque ſua, ingenium, nobilitate nitet;
Et, licet ereptum non ceſſas flere Parentem,
Eſt, qua nulla fuit, Mater, amabilior;
Femineum illa animo praecellit femina ſexum;
Una Patris quondam digna reperta tui;
Qualis Romani, Lucretia, fama pudoris,
Moribus exornat corporis illa decus;

Qualis Gracchorum genitrix, Cornelia, ſolas
Illa duo thalami pignora cenſet opes.
Tantis, Petre, bonis i, quo vocat inſita virtus,
Quo ciet in rutilis Gloria vecta rotis.
Nec tibi, ſed terrae natum te crede Batavae,
Celſaque jam Belgis pectora finge tuis.
Noſtin', ut Heroum nullis ſurrexit ab arvis
Uberior, noſtrà quam regione, ſeges?
O tibi quam cuperem victuro intexere peplo,
De patria egregie qui meruere, viros!
Sed timet, ingenio ne paupere detrahat orſis,
Aſſueta imbelles, Muſa, movere lyras.
Tu cane (materies elegis haud dignior ulla eſt)
Ut lateant dotes, neu ſine, Petre, tuae.
Currant foecundae ſelicia carmina venae,
Aonius caſta quae chorus aure probat;
Carmina, multorum vivo tibi, crede, favorem,
Poſt mortem aeternum, Petre, datura decus.
Urbis amor, memini, juvenis ſic Hooftius, omnis
Noluit infeſto cedere praeda rogo:
Carmen at ingenuis quod junxerit artibus, altae
Poſt obitum radiat ſtella coruſca domus.
Jamque, ubi te rebus aetas formârit agendis,
Jam, tibi cantatos, fac imitere viros.

Amſtelis Urbs, ſeptem felix Regionibus effert
  Quae caput, Hollandi nomen honorque ſoli;
Cui populi numero, tectorum et mole ſuperbae
  Veſper et Eous congerit orbis opes;
Haec, ubi perpetuam legit ſibi Belgica ſedem
  Libertas, alia ne velit urbe coli;
Te manet, ingenio et doctis celebrata Camenis,
  Amſtelis Urbs. laudi quanta theatra tuae!
Facundo Amſtelium teneas fac ore Senatum,
  Et flecte attonitos ad tua verba Patres.
Conjice in inviſos, Demoſthenis arma, tyrannos
  Fulmen, et indomito cum Cicerone tona.
Te Libertatis ſtet vindice firmior Ara,
  A crebra accipiens, te duce, thura manu.
Tutior Oceanum per te rate navita findens
  Ad veteres referat praemia opima Lares;
Et vigeant artes, et merces horrea vincant,
  Et ſalva Amſteliis ſint ſua jura tuis.
Patruus exemplum tibi ſunt et Avunculus, omnem
  Aut Patriae, aut ſtudiis vivit uterque diem.
Tu quoque ſic Famae poteris conſcendere culmen,
  Tu quoque ſic cives demeruiſſe tuos.
Belgica ſic meritis ornabit honoribus, et te
  Poſtera ſic grato pectore turba colent.

LAUR. SANTENIUS

RUD. VAN OLDENS.

TANDEM tarda tuo reſpondet epiſtola ſcripto,
  Pars animae melior, care Rudolphe, meae.
Quid me, Oldene, tuis divertar ut aedibus hoſpes,
  Delicias numerans, quas tenet Haga, rogas?
Quid Themidos decus, irrupto mihi foedere junctus,
  Grotius, Auſoniae primus in arte lyrae,
Quidve recenſentur, communis turba, ſodales,
  Suavia convictus membra futura mei?
Et mihi Franciaco laudas ſpectanda theatro?
  Et quae praeterea litera dives habet.
Quid cauſas aliunde petis? tu ſufficis unus,
  Tu mihi linquendae cauſa ſat apta domus.
Scilicet et mihi te non eſt devinctior alter,
  Atque tua potior res mihi nulla fide.
Adde, Hagana meae praeferrem ut commoda Leidae,
  Invitum quod ſic nec tamen iſta capit.

Leida, ſuburbani facie laetiſſima ruris,
Inferior nulli, Leida beata, loco;
Leida vetus, ſedes aptiſſima, Leida, Camenis,
Plena celebratis Orbis in ore viris.
Degit ubi Lodoïx, degit Ruhnkenia virtus,
Graecia quîs, totas Roma recluſit opes;
Nobile par, Hollanda ſibi quo ſoſpite Pallas
Antiquum agnoſcit non periiſſe decus;
Quos merità Criticae, docti quos laude laboris
Salmaſiis jactat Scaligeriſque pares.
Leida, ubi ſeptenos jam bis tranſegimus annos,
Cara minus patrio vix mihi, Leida, ſolo.
(Neſciet hoc, primas quâ luminis hauſimus auras,
Amſtelis Urbs, ſtudiis mater alumna meis.)
Hic me, privata contentum ſorte, Penates
Lucenti excipiunt exhilarantque foco.
Ante Larem o proprium noctes et coena Deorum!
Et parca, et patria menſa referta dape.
Nec ſocium menſis fidum dedignor amicum,
Pauperibus facilis ſi modo rebus adeſt.
O cum Piëriis conſumta ſodalibus hora!
O non inſulſis veſpera trita jocis!
Quid? quod et hic fragrant Patareae munera laurus,
Nec Rheni Lycias reſpuit humor aquas.

Eſt, quae ſublimi Wetſteinia Muſa volatu
  Alta Papiniaco ſidera ſtringit equo.
Suaviloquoque ſenex Roijenus ſtillat ab ore
  Mella, Tibulleo dulcia melle magis;
Ut nativa, novis vix intellecta poëtis
  Simplicitas, nulla pulcrior arte, nitet!
Nec tamen iſta tenent me cuncta, fatemur, in urbe,
  Poſſum ego te tantis praepoſuiſſe bonis;
Officium, curaeque meae commiſſa juventus,
  Inque bonas artes erudienda, tenet.
Quaeris? an huic auſim Veterem laudare Poëſin?
  Friget, et ad ſeclum non facit illa meum.
Vix unum invenies, operoſas, carmina, nugas
  Qui legat, aut aliquid dotis habere putet.
Si quis erit tamen, haec ſtolidae qui murmura plebis
  Rideat, et ſpreto ſurgat in aſtra ſolo;
Illum ego Pegaſidas dignabor ducere ad undas,
  Ne Genii pereant, tanta minantis, opes.
Interea Aſtraeae experior ſacraria doctae
  Auxiliatrici pandere myſta manu.
Belgida vel doceo monumenta ediſcere pubem,
  Quae Latium, vel quae ditior Hellas habet;
Hac brevis Hippocraten, hac et tulit una Philetan
  Inſula, Apelleis nobilior tabulis.

O Frugum inventrix, o Legum mater, Athenae,
Lis ſemel aeternis digna fuiſſe Deis.
Semideûmque ferax regio, Morumque magiſtra,
Virtutum genitrix, Ingeniique parens;
Artibus o populos et demeruiſſe repertis,
Et Sacro, et gentes Jure beaſſe potens;
Quando erit, ut multa capiam te, Graecia, mente,
Et juvenum incendam pectus amore tui?
O Demoſthenico quae fulmine inhorruit, aura!
Aura, Philippeis non ſubeunda dolis.
O qui me liquidum Cephiſi portet ad amnem,
Et dignâ aethereo fronde Platone tegat!
O qui me ſiſtat lapſam ad Tritonidis Arcem,
Rudera, Mopſopio nunc quoque ſparſa ſolo!
Quam cuperem inde meis baccam decerpere Belgis,
Aut folium ex olea, Diva, referre tua!
Non ego deſtructo dubitem procumbere templo,
Et dare tam ſanctis oscula reliquiis.
Quo vagor imprudens? mea Muſa revertitur ad te,
Qui, quid agam, et cauſas quaeris, amice, morae.
Sic igitur ſtudiis tento exornare ſeveris
Diſcipulosque meos, pectus et ipſe meum.
Sic ego praeteritos conor ſopire dolores,
Hac ego brumalem decipere arte diem.

Quis ſapiens, quis non obliviſcatur Amorem,
Inter et haec curas, quas habet ille, malas?
Et tamen antiquos quandoque reſuſcitat ignes,
Otiaque ingenii turbat amata mei.
Saepe etiam ſacrae verſata volumina chartae
Expediunt noſtras Religionis opes;
Integra, et nondum Ipſa ſuis temerata miniſtris,
Qualis ab auguſto cum modo lapſa polo eſt.
Haec jubet, ignoſcam quodcunque Calumnia crimen
In ſibi non notum finxit amara caput.
Haec vetat, experiar, cum juſtior arma gubernat
Ira, poëtarum cum quatit ora furor,
Quantus in ultores aſſurgat liber ïambos
Spiritus, aut elegos intonet arte graves.
Haec de dilectis me conſolatur amicis,
Multos fata nimis quos rapuere mihi.
En jactura recens, jactura miſerrima, Petrus,
Jactura! .... at non hoc illa gemenda loco.
Tu, dic, cui ſtudio incumbis, Rudolphe? tuamne
Tullius et linguam format, et ingenium?
Conſulit an trepido tua nunc prudentia civi?
Curiave eloquii vim ſtupet ampla tui?
Mox cum Palladii, redeunte aeſtate, Lycei
Otia concedent poſſe quiete frui;

Tunc ego te Patriae volventem, aut Romula jura
  Inveniam, aeternum vel Ciceronis opus.
Tunc tecum Haganis lentus ſpatiabor in umbris,
  Argutique ſequar delicias nemoris.
Interea ſocii, quo nullus amicior, eſto
  Usque memor; memor eſt ſemper ut ipſe tui.

Dabam Leidæ Idib. Mart. 1779.

AD

HUBERTUM NICOU.

O jucunda mihi, Daphnaeae, munera, frondes!
  Lecta Maroneo munera de tumulo.
Haec ego Perſarum, Nicoſi, munera gazis
  Antefero, Eoï muneribusque maris.
Virgilii ut ſpiret mihi blandior aura, quotannis
  Accipiet cultus laurea ſacra meos.
Et, quae digna tuis junxiſti carmina donis,
  Perpetuum noſtri pignus amoris erunt.

IN FRANCLINUM.

Franclinum inſanis onerat vox vendita probris;
  Ille nihil: —— Patriae rumpere vincla ruit.

EPITAPHIUM
THEODORI DE SMETH.

Hac Matri, Natoque, et Amicis raptus, et Urbi
Smettus, et a collo, moeſta Marita, tuo,
Fallimur, hac Pietas, et Candor conditur urna,
Hac Patriae, et Fidei Conjugialis honor.

GENETHLIACON

DICTUM

JACOBO VAN BEECK VOLLENHOVEN,

HENRICI FILIO.

ERGO iterum pulcro gens Vollenhovia partu,
  Augeturque, mihi ſanguine juncta, domus?
Gratulor Henrico, ſed carmine gratulor; illum
  Indictum numeris non decet ire meis.
Non velit hoc diuturna fides, quam praeſtat amico,
  Paene mihi puero cognitus ipſe puer.
Ut jacet in molli formoſa puerpera lecto!
  Porrigit ut teneras parvulus, ecce, manus!
Accubat ut cupido maternis ore papillis!
  (Viderit hoc, ſi quam non aluiſſe juvat.)
Beeckiacae proles Veneris ſuaviſſima, ſalve!
  Orbis amor, ſalve, blande, future, puer!
Moribus ingenium ſeu matris amabile reddes,
  Quaeque animo in miti pax, et in ore, ſedet;
Seu mage judicium referes, mentemque parentis,
  Pectus, honeſtatis juſtitiaeque domum;

Quis te firmatis non admirabitur annis?
  Quis non ardebit totus amore tui?
Ut pater, ingenuas quondam cole ſedulus artes,
  Alipedem et ſollers cum probitate Deum.
Nunc, ó nunc balbo blandire parentibus ore,
  Nunc ride; laetos haec capit hora jocos.
Sed lacrimis, infans, nunc parce, et parce querelis.
  Quid dubitas? flendi tempora vita feret.
Non tibi, non ulli venit orba laboribus aetas;
  Naſcimur aerumnae conditione, puer.
Dî bona dent tibi plura malis! pars maxima felix
  Transeat aetatis, nube nec atra, tuae!
Creſce et delicium matri, patrique voluptas.
  Tam bene compoſiti fata tuere paris.

AD

J. H. HOEUFFTIUM

SPONSUM.

Iſta, ita ſim felix! gratiſſima litera venit;
  Iſta, Jacobe, tui nuntia conjugii.
Fortunate! igitur cara potiere puella.
  Ipſa ſub amplexus non negat ire tuos.
Hoc erat, hoc, Divos quod ſupplice voce rogabas;
  Quod tibi per totos cura erat una dies.
Et, cum te fuſco tegerent velamine noctes,
  Reddebat ſomnos illa cupido breves.
O nodum Venus ipſa liget! quod ſi qua poëtae
  Vota valent, levibus non data praeda notis,
Vos puero Lucina beet! maturior annis
  Qui patris exemplo pollice pulſet ebur.
Et, duce te, Grajos, Latiosque ediscat olores,
  Et tenera Ascraeo fonte labella riget.
Quale Philammoniden Eumolpum Oeagrius Orpheus
  Biſtoniae docuit buxa ferire lyrae.

Quin numeros, Henrice, tuos modulabitur infans,
 Quale Linum Phoebi verba ſonaſſe putem.
Non tuus in ſordes, et deſidis otia vitae
 Creſcet, et in patriae damna pudenda ſuae;
Rore ſed Actaeae formabit pectora ſuadae,
 Robore vel linguae, Roma diſerta, tuae;
Hinc Libertatis ſibi maſcula colliget arma,
 Et pia pro Belgis tela vibranda ſuis;
Hinc petet, antiquae prudens quo conſulat urbi,
 Quo paret ingenio tempora longa ſuo.
Sic redeat, quae Dordraco fuit artibus olim
 Fama, per Hoeuſtiacam perpetuata domum!
Nec mea vos pupo cenſura adſtrinxerit uni.
 Fulcite illuſtres prole frequente Lares.
Tu modo jucundo ne parce, Jacobe, labori.
 Margaridisque move ſtrenuus arma ſinu.

AD MANES

PETRI BURMANNI

SECUNDI.

Accipe, Petre, tuae monumenta inſignia famae,
  Non tibi ab ignota dona parata manu;
Sed tuus a ſuperis tibi quae Santenius oris
  Mittit Avernales, magne Secunde, domos.
Qua lauri nemus inter, Oloribus addite priſcis
  Ludis, et aeterni gaudia veris habes.
Vel qua gramineae recubanti in margine ripae
  Alluit Eridani candida membra liquor.
Hac doctus, Latio quem protulit Vmbria, vates
  Te petit, a curis cultior ipſe tuis.
Nomina nec titulo quaerit ſpecioſa potenti.
  Sit tuus, ille tua nunc redivivus ope.
Nam tibi, quam Bromio, ſua plus debere fatetur
  Carmina; ſervari carmina digna Deo.
Cernis, ut in proprio fulgens accedat amictu?
  Ceperat hac vultus, Cynthia, veſte tuos;

Aut hac Romanas inter conviva puellas
Regnabat, nullis, non ita dives, avis.
Cernis, ut, abſterſis ſua poſſe poëmata naevis,
Exſultet, pueris virginibusque legi?
Hic Charis, Oenotrae hic ſpirat facundia linguae,
Italis hic, Grajis fluctibus orta, Venus;
Hic Decor, et ſocius roſeo Puer ales Honeſto,
Gaudiaque hic inter ſalvus amoena Pudor;
Imaque de tenero ſuſpiria corde petita,
Hollandae quae non erubuiſſe nuru eſt.
Non levis ille vagis deſultor amoribus, illi
Cynthia ſupremus, Cynthia primus amor.
Quin etiam, ante diem quae raras auxerat umbras,
Formoſa humanis ne foret ulla locis,
Cynthia quin etiam pulcrae monumenta figurae,
Petre, videns ſcriptis emaculata tuis,
Cynthia gaudet in ornatu, teque induit ulnis,
Terque caput nivea mulcet et ora manu.
Scripta quidem dextrae labor haec fuit ultimus aegrae,
Judicii limam non ſubiere tui.
Quicquid at orbatis praeſtare induſtria chartis,
Et potuit laudi, Petre, cavere tuae,
Praeſtitit, et memori tibi pectore cavit alumnus,
Ille, a te partes juſſus obire tuas,

Atque utinam domini manus has impleſſet, et ipſe
  Auctor manſurum continuaſſet opus!
Hoc ego, te vivo, caruiſſem laetus honore.
  Non jam, quo vocat haec gloria, ſponte ſequor.
Publica perpetuo vigilantem in commoda Mors te
  Non tulit, et fuscis livida merſit aquis.
Non tua longinquas Santhorſtum praebuit umbras
  Ducenti ad placitos otia docta Lares;
Otia vicinae (nimis heu brevia illa!) ſenectae
  Virtuti Urbs dederat Amſtelis aequa tuae.
Pro quibus aeternam properavit Parca quietem,
  Foeda repentinae crimine Parca necis.
Heu quantum amiſit pater Amſtela nominis! altum
  Burmanno attollens, Amſtela, vate caput.
Ut patriae te languet amor moriente! nec acta
  Mirari aut proavûm clara referre nepos
Ardet! ut, externis poſtponens ſeria nugis,
  Nil, animae niſi quod robora frangit, amat!
Palladis hoc, Belgaeque haud eluctabile damnum;
  Jactura, extento non reparanda die.
Scilicet indomito ſunt pervia cuncta labori,
  Quisque per hunc pronum laudis adimus iter;
Naturae felicis opes, cognataque coelo
  Pectora, dant paucis ſecula rara viris.

Non tamen ut mentis referam longo ordine dotes,
Aut, exſtant Genii quot beneſacta tui;
Doctrinae aut animo quae copia clauſa capaci,
Gratia nativo quanta lepore fuit.
Da veniam, noſtro teritur minor area curru,
Et chelys ad tantos deficit icta modos.
Hoc agat eloquii, Schraderus, norma Latini,
Muſave Burmanno, Grotius, aequa ſuo.
Hoc tibi perſolvit jam terſi Tollius oris
Officium, Manes demeruitque novos.
Mi licet ereptum lacrima reſpergere amicum,
Mî Praeceptorem; mî mea damna queri.
Eosdem olim gemitus genitori in funere fudi,
Hos ego ſingultus ad ſua buſta tuli.
Noctibus a nota mihi pendet imagine ſomnus,
Ante oculosque, ſenex, ſtas venerande meos.
Te biſidas, memini, duce ſcandere niſus in arces
Laurigerum a teneris jam meditabar iter.
O monita! o ſtudiis praecepta ſalubria noſtris,
Paene ſodalitio quae mihi more dabas!
Tu, cum divitias ſponderet Atlantide natus,
Majugenae urguebas altera caſtra ſequi.
Nec piget, aut legiſſe mihi ſum viſus inepte,
Sic o! ſic inopem non onus, eſſe, puto.

Mî mea, mî Gentis, mihi Phoebi et damna tuorum
Flere licet. parvus tot bona pulvis habet.
At meritum in cives manet immortale Batavos;
Nec decus ingenii deleat ulla dies.
Vindice te Latiae ſteterunt, te vindice, Muſae,
Petre, nec Hollandos deſeruere focos.
En, tua creſcentes premimus veſtigia vates,
Formata exemplo, aut pollice turba tuo.
Tu modo ab Elyſiis, tentanti impellere chordas
Diſcipulo faveas, umbra benigna, choris.
Sic Petrus patriae ſuccreſcat in omina famae!
Una olim vitae ſpes, Petrus, illa tuae.
Dic animoſe ſitim quo fonte, Poëta, levàras?
Urna Propertiacam quae tibi fudit aquam?
Fortior ille tuus mihi ſpiritus impleat ora;
Nil ſonet humanum, nil niſi grande ſonet.
Praedicer ut tantum non degeneraſſe Magiſtrum;
Hoc, quondam ſat erit, ſi mihi laudis erit.
Jugera ſi quando mihi fortunata patebunt,
Dedecori aſſeſſum ne tibi rere meum.
Jamque, favilla, vale! ingentis mihi Numinis inſtar;
Terraque ſecuro ne gravis oſſa terat!

AD

JOACHIMUM RENDORP.

Rendorpi, a doctis tibi ſi qua laboribus hora,
 A Patriae curis tempora ſi qua vacant.
Inſpice verſiculos, non inſpice fronte ſeverà.
 Hoc rogat ingenii mens ſtudioſa tui.
Conſule ſic jam jam te ſit meus Amſtela felix!
 Perque tuas artes ſic Gulielmus eat!

MDCCLXXX.

AD

JOACHIMUM RENDORP,

CONSULEM.

Dicebam: Te Conſule erit mox Amſtela felix.
Conſul es, ingenio ſit rata palma meo!
Hoc neque venturae docuerunt conſcia ſortis
Somnia, fatidici nec monuere ſenes.
Non Zonae mihi quinque fidem, non fecit Apollo,
Mi merita et virtus praecinuere tua.
Conſilium, et dubii victrix prudentia caſus.
Dote nec eloquii lingua potente carens.
Libera mens, rectique tenax conſtantia, nulli
Quae niſi communi ſerviat aequa bono.
Vividaque ingenii vis experientis. in omnes
Frons facilis, blanda quae gravitate nitet.

Pectora fortunâ non intumuiſſe ſecundâ,
    Corda neque, adverſâ forte minora, premi.
Et vaſta hiſtoriae, patriaeque ſcientia Legis,
    Defenſa et doctâ civica jura manu.
(Talis erat noſtri laus Bynkershoekius aevi.
    Gallorum Hainaltus gloria talis erat.)
Inde videbaris Divûm accipientibus omen
    Exemplum genitus Conſulis eſſe boni.
Inde tibi quaevis ſpondebant commoda cives.
    Haec, tibi cur habeam quiſque voveret, erant.
Te ſancti, Joachime, Patres, te vota Senatus,
    Publica te populi vox cupiere tui.
Urbs et honoratas tibi detulit ipſa ſecures;
    Difficili ipſa tuam tempore poſcit opem.
Tu modo ne duris dubites ſuccurrere rebus,
    Utile nec Patriae ferre graveris onus.
Tempus erit, nigra disjiciet cum nubila Titan,
    Laetior Hollandos luxque reviſet agros.
Cum ſeptemgeminae, felix concordia, terrae
    Jurabunt ſocio Marte domare nefas.
Hoſtis erit genti cum nemo impune Batavae.
    Praedatrix noſtras ſentiet ora manus.
Adſpice, deſuetae jam vincere, praelia pronae,
    Et reſides poſcunt arma movere viri.

Poſt Britones ſractos onerato Copia cornu,
    Foecundo in gravidos Pax pluet imbre ſinus.
Et ſua majeſtas Belgae conſtabit, honorque
    Priscus, et in totum regna vetuſta mare.
Tunc ego non humili referam tua carmine facta,
    Quale Venuſino ſtamine tinnit ebur.
Evenient. Tibi ſe debebit redditus Ya.
    Certa pio vatum eſt ſemper in ore fides.

LAUR. SANTENIUS.

Leidâ Kalend. Febr.
MDCCLXXXI.

DELICIAE POËTICAE.

[ed. Laur Santenius]

LAVR. SANTENIVS

D. D. D.

FRANCISCO GVALTH. BLOK.

Cui, liber nove, vis dari patrono,
Illuſtri, ſed et Artium perito?
Nugas nunc proceres amant Latinas
Noſtri ſpernere, nec minùs Pelasgas,
Qui, ſuas niſi, nil amant amâre.
Quin, liber, petis ociùs Brabantos?
Noſter nunc ubi Blokkius moratur,
Cauſâ pro patriae decorus exul;
Quamdiu licuit, tuens Batavos,
Integerrimus unus omniumque,
Prudentiſſimus unus omniumque,
Nugas Helladis, Auſonumque nugas
Mecum ſuêrat amâre qui ſenator.
Huic te da: mea ſemper hunc amavit
Ac mens deſinet hunc amâre nunquam.
Amor transvolat arva cum profundo.

LEIDAE 1789.

INDEX.

IANVS OVTMAN VAN AALST.

	Pag.
D. M. Corn. Flor. van Looſen . . .	47.
Neaera.	140.
Febri Divae ſ.	142.
Deliciae Bliigeeſtanae.	476.
Ad Gale Iſaac Gales.	504.

HIERON. AMALTHEVS.

Ad Franc. Melchiorem. . . . . 303.

IOAN. BAPT. AMALTHEVS.

Pro amico, in patriam ſolvente. . . . 145.

IVLIVS AMALTHEVS.

In Sicci Compendium de balneis. . . . 306.

BE-

Pag.

BENEDICTVS AMEN.

Hymnus ad Ianum Broukhuſium. *vid.* Iac. Perizonius. . . . .

ANONYMVS.

Franclinus. . . . . 122.
Ad Caſp. Kinſchotium. . . . . . . 156.
Ad Ludovicum XVI, ingreſſum Lutetias Pariſiorum. . . . . . . 173.
In Viperam Amſtelodamenſem. . . . 203.
In Ianum. . . . . . . 210.
Ad Leidenſem Verſificatorem. . . . 211.
Ad Libertatem. . . . . . . 275.
In periſtromata. . . . . . . 303.
D. M. Georgii Ratalleri. . . . . 304.
Ad Nic. Heinſium, ut Manibus Fabricianis parentet. . . . . 363.
In effigiem Nic. Heinſii. . . . . 365.
Reſponſio ad carmen Maii. . . . . 381.
Coſſ. et Senatuſ Academiae Vltraiectinae. . 387.
Phonaſcus Amſtelodamenſis. . . . . 388.
Lobbius Leunculus. . . . . . 389.
In Ianum, militem; *ter.* . . . 391. 392.
D. M. Iani Hoofdii. . . . . 394.
In prosperos Ioſephi II ſucceſſus bellicos. . 509.
De Belgradi expugnatione. . . . 510.

COR-

CORN. VAN ARCKEL.

Pag.
D. M. Iani Broukhuſii. . . . . 104.

IOSEPH. AVERANIVS.

In obitum Antonii Rillii. . . . . 97.
Initium : Ite procul triſtes curae. . . . 398.
——— Dicite ïo vates. . . . . 405.
——— Vt denſis micat in ténebris. . . 409.
——— Dicat ïo Paean. . . . . 411.
——— Qui mare, qui cunctas. . . . 412.
——— Poſtquam rex Aſiae. . . . 413.
——— Quod neque Pimpleum. . . 416.
——— Ergo magnanimus. . . . 419.
——— Iam virtus meritis. . . . 420.
——— Quam dudum, Imperii. . . 422.
——— Fortunam, inſano. . . . 423.
——— Quae populos regit. . . . ———
——— Non triſtes curae. . . . . 424.

PHILOMVSVS BATAVVS, i. e. IANVS GROTIVS.

Manium Loſianorum procuratio. . . . 139.

DOMIN. BAVDIVS.

In Albo Caſpari Kinſchotii. . . . 358.

BERN. BEMBVS.

Pag.
D. M. Dantis. . . . . 305.

DAV. BERGIVS.

Ad Francium et Broukhuſium. . . . 102.
Ad vindicem Vltraiectinae Minervae. . . 387.

THEOD. BEZA.

De ſuâ in Candidam et Audebertum benevolentiâ. . . . . . . 175.
In nuptias Iani Garneri et Margaretae Vraniae. 177.

HERM. BOERHAAVE.

Petro Burmanno, carmen ſaeculare canenti. . 52.
Adriano van Royen, Adr. Ioann. Weſſeliam domum ducenti. . . . . . . 55.

PETR. VAN BRAAM.

In Laur. Santenum et Cathar. Boſch, ſponſos. 530.

PETRVS BVRMANNVS SECVNDVS.

Hugoni Grotio S! . . . . . . 72.
David Hume. . . . . 120.
In Albo Adriani van Solingen. . . 476.

MAT-

MATTH. BVTTVRINVS.

Pag.

In obitum Danielis Farſetti. . . . . 507.

L. PAPIRIVS CARBO; i. e. ANONYMVS.

In Ianum. . . . . 210.

BENC. CEFFINIVS.

Ad Nic. Heinſium. . . . . 200.

FR. MAR. CEFFINIVS.

Chriſtinae caſus. . . . . . 366.

EZRA DE CLERCQ VAN IEVER.

Tranquilla in ipſis vexationibus innocentia. . 71.

CRASHAW.

Ex Ioannis Euangelio c. 2. (*vide Emendanda.*) 121.

PETRVS CVNAEVS.

In Franconis Burgersdicii Inſtitutiones Logicas. 37.
In Ever. Bronchorſtii commentarium in Regulas Iuris. . . . . . 38.
In Ever. Bronchorſtii Controverſiarum centurias. 39.

IAC. PHILIP. D'ORVILLE.

Iac. Philip. D'Orville Francisco Oudend. S. P. D. 13.

Pag.
Ad Corn. Hug. Vonk. . . . . . 22.
In effigiem Ioan. Burmanni. . . . . 27.
Ad Petr. Burmannum Sec. de enthuſiasmo poëtico dicentem. . . . . . . 28.
Ad Davidem Hoogſtraten. . . . . . 106.
In effigiem Arnoldi Drakenborch. . . . 109.
In aedem, ab Ioan. Iov. Pontano virgini Mariae erectam. . . . . 109.
Ad Hub. Gregor. van Vryhoff, Profeſſionem Iuridicam Harderovici auſpicantem. . . 112.
Ad Hub. Greg. van Vryhoff, Profeſſionem Iuridicam Amſtelodami auſpicantem. . . 113.
Petro Burmanno Sec. pro Criticis dicenti. . 425.
Ioanni van den Honert. . . . . . 428.
In obitum Iac. Gronovii. . . . . . 430.
Ioanni Graafland. . . . . . . 436.
In obitum Danielis Simonis Sibersmae. . . 438.
Iacobo Graafland. . . . . 441.
In effigiem Balth. Huydecoper. . . . 442.
Caſparo Commelino. . . . . . . 554.

IANVS DOVZA.

Theodorico Santeno. . . . . . . 307.

VINC. FABRICIVS.

Ad A. Ploſium ab Aemſtel de morte Henrici, filii. 187.

IO-

IOSEPH. FARSETTIVS.

Pag.
In obitum Dan. Farſetti. . . . . 299.

PETR. FRANCIVS.

Ad Corn. de Witt. . . . . . . 19.
In Ant. Schultingium. . . . . 40.
Cosmo Mediceo, Belgium perluſtranti. . . 93.
In gemellas Davidis Hoogſtraten, Gr. et Lat. . 97.
De Ioh. Ienſio. . . . . . 202.
In ciconiam Haganam. . . . 204. 205.
Ad Nic. Heinſium. . . . . . 368.
Nic. Heinſio, in patriam réduci. . . . 369.
In Valerium Flaccum Heinſii. . . . 372.
Nic. Heinſio, in Sueciam denuo cunti. . . 375.
In Petr. et Rob. Keuchenios. . . . 376.
Ad Vechtam. . . . . . 377.
Maio. . . . . . . 379.
Gerardo Schaep, Theod. Spiegel, etc. Coſſ. creatis. . . . . . 382.
Iac. Gronovio. . . . . 383.
Ioan. Georg. Graevio. . . . 386.

GALE ISAAC GALES.

Menander Suſannae. . . . . 500.

VITVS MARIA GIOVENAZZI.

Pag.
Iter Pii Sexti. . . . . . 16.

IOH. FRED. GRONOVIVS.

Phyllis. . . . . . 123.
In effigiem Dieſtii. . . . . 187.
In Theſes Philippi Paludani. . . . 313.
Ad Franc. Doubletium. . . . . 314.
In Iſendomium. . . . . . 316.
D. M. Henr. Ploſii ab Aemſtel. . . . 317.

HVGO GROTIVS.

Paraphraſis carminis Iobi. . . . . 146.
D. M. Tobiae de Cocue. . . . . 311.
In Sigismundum. . . . . . 312.
In Aldinam catellam. . . . . 549.

IANVS GROTIVS.

ECLOGAE.

Iano Hugoni van Stryen. . . *Faſciculo* VII. 5.
Galatea, in nuptias Ioh. Marini Chalmers. .
. . . . *Faſciculo* VIII. 559.

ELEGIACA.

In imagines Libertatis Patriae defenſorum. .
Faſciculo IV. 51.

Ia-

Pag.
Iano Hudde Dedel Coſ. XI. . *Faſciculo.* VII. 7.
In tertium Natalem Franc. Petri Burmanni. . 13.
Petro Burmanno Sec. D'Orvilii Sicula edenti. . 16.
In Petr. Burmannum Sec. de Eruditionis neglectu et Luxu dicentem. . . . . . 18.
Ad Danielem Alphenum, Franc. Mieriſii Leidam edentem. . . . . . . 20.
Genio Gerardi Hooftii Poëtico S. . . 24.
In Iulianam Corneliam de Lannoy, heroas Belgicos carmine celebrantem. . . . 25.
Effigies Engelberti Franciſci Berkelii. . . 26.
In obitum Iani Wittii. . . . . 27.
Petr. Burmannus Sec. . . . . 30.
In Petr. Burmannum Sec. de Maecenatibus Doctis dicentem. . . . . 30.
Adriano Roiieno, Natalem Academiae Batavae celebranti. . . . . . 31.
D. M. Petri Burmanni Sec. . . . 32.
In effigiem, Conſulum Haganorum Praeſidis, Iani Huddaei Dedelii. . . . . 33.
D. M. Iani Huddaei Dedelii. . . . 34.
D. M. Bartholomaei de Moor van Immerzeel. 35.
Effigies Ioannis Diderici van der Capellen tot den Pol. . . . . . 36.
In funere Gulielmi Crullii. . . . . 37.
In Britannos, piratas. . . . 38.
In effigiem Zoutmanni. . . . 39.

VITUS MARIA GIOVENAZZI.

Pag.
Iter Pii Sexti. . . . . . . 16.

IOH. FRED. GRONOVIUS.

Phyllis. . . . . . . 123.
In effigiem Dieſtii. . . . . 187.
In Theſes Philippi Paludani. . . . 313.
Ad Franc. Doubletium. . . . . 314.
In Iſendomium. . . . . . 316.
D. M. Henr. Ploſii ab Aemſtel. . . . 317.

HUGO GROTIUS.

Paraphraſis carminis Iobi. . . . . 146.
D. M. Tobiae de Cocue. . . . . 311.
In Sigismundum. . . . . . 312.
In Aldinam catellam. . . . . 549.

IANUS GROTIUS.

ECLOGAE.

Iano Hugoni van Stryen. . . *Faſciculo* VII. 5.
Galatea, in nuptias Ioh. Marini Chalmers. .
. . . . *Faſciculo* VIII. 559.

ELEGIACA.

In imagines Libertatis Patriae defenſorum. .
Faſciculo IV. 51.

Pag.
Iano Hudde Dedel Coſ. XI. . *Faſciculo.* VII. 7.
In tertium Natalem Franc. Petri Burmanni. . 13.
Petro Burmanno Sec. D'Orvilii Sicula edenti. . 16.
In Petr. Burmannum Sec. de Eruditionis neglectu et Luxu dicentem. . . . . 18.
Ad Danielem Alphenum, Franc. Mieriſii Leidam edentem. . . . . . 20.
Genio Gerardi Hooftii Poëtico S. . . 24.
In Iulianam Corneliam de Lannoy, heroas Belgicos carmine celebrantem. . . . 25.
Effigies Engelberti Franciſci Berkelii. . . 26.
In obitum Iani Wittii. . . . . 27.
Petr. Burmannus Sec. . . . . 30.
In Petr. Burmannum Sec. de Maecenatibus Doctis dicentem. . . . . 30.
Adriano Roiieno, Natalem Academiae Batavae celebranti. . . . . . 31.
D. M. Petri Burmanni Sec. . . . 32.
In effigiem, Conſulum Haganorum Praeſidis, Iani Huddaei Dedelii. . . . . 33.
D. M. Iani Huddaei Dedelii. . . . 34.
D. M. Bartholomaei de Moor van Immerzeel. 35.
Effigies Ioannis Diderici van der Capellen tot den Pol. . . . . . 36.
In funere Gulielmi Crullii. . . . . 37.
In Britannos, piratas. . . . 38.
In effigiem Zoutmanni. . . . 39.

Pag.
In effigiem Dedelii. . . . . 40.
— ——— Bramii. . . . . 41.
— ——— Kingsbergii. . . . . 42.
— ——— Brakii. . . . . . 43.
— ——— Staringhii. . . . . 44.
Memoriae Bentinkianae S. . . . 45.
In effigiem Oorthuſii. . . . . 46.
— ——— Iulianae Corn. de Lannoy. . . ——
— ——— Egberti Temminkii. . . . 47.
Iſaaco Ter Bruggen. . . *Faſciculo* VIII. 488.
Iacobo Gul. Bake. . . . . 494.
In diem natalem coniugum, Baroldi Schultenſii et Ann. Mariae Nispeniae. . . . 498.
Ad Ianum van Stryen. . . . . 500.

LYRICA.

Inſcriptum albo Menardi Visvliet. . *Faſciculo* VI. 137.
Manium Loſianorum procuratio. . . . 139.
Franc. Petro Basſio, I. V. D. creato . . *Faſciculo* VII. 49.
Petro Coelio et Magdalenae Corn. Stelandiae, ſponſis. . . . . . 52.
Ad Barthol. de Moor van Immerzeel carminum Coelianorum propempticon. . . 56.
Genethliacorum propempticon ad Barthol. de Moor van Immerzeel. . . . . 57.
In ſecundum natalem Franc. Petri Burmanni. 58.

Er.

Pag.
Erneſto Guil. Higtio, adventum veris carmine celebranti. . . . . . 64.
Iano van de Poll, ad principem Arauſionenſem verba facienti. . . . . . 67.
Ad Barthol. de Moor van Immerzeel de morte Gualtheri, filii. . . . . 68.
Ad Petr. Burmannum Sec. de orationibus Petri Burmanni, a Nic. Bondtio editis. . . 69.
In novam Claudiani editionem. . . . 71.
Bartholomaeo de Moor van Immerzeel, Coſ. . 73.
Bavio Voorda, Iuris profeſſionem in Academiâ Batavorum auſpicanti. . . . 74.
Ad Ioannem Schraderum, Mariae Ludovicae parentantem. . . . . . 75.
Lud. Casp. Valckenario, linguae Gr. in Academiâ Batavâ profeſſionem auſpicanti. . 76.
Ad Libertatem de Petri Burmanni Sec. Brederodio. . . . . . 77.
In nuptias Petri Dauſy et Gertrudis Kolenbrander. 78.
Iano Bern. Bickero, Henr. f. et Cathar. Sixiae, ſponſis. . . . . . 80.
Petro Dauſy, gymnaſii Goudani rectori. . 81.
Iano Gerardo Luikenio et Medinae Catharinae Sandra, ſponſis. . . . . 83.
Hadriano Zebergio, Ioannem Mariam Kuitziam domum ducenti. . . . . 86.
Elicium ad Bavii Voorda Papinianum. . . 88.

Pag.
Ioanni Schradero, Eliſabetham Vitringa domum ducenti. . . . . . 89.
In Petri Burmanni Sec. poëmata. . . 91.
In Bavii Voorda Sapientiam Salomonis Iuridicam. 95.
In Calumniatorem Batavorum Anonymum. . 96.
Ad Laur. Santenium, Helvetii poëmata edentem. 99.

DAN. HEINSIVS.

Epitaphium Beverovicii. . *Faſciculo* V. 77.
In effigiem Hug. Grotii. . . . 313.

NIC. HEINSIVS.

Epinicion tertii belli Punici. . . . 5.
Londinum exuſtum. . . . . 7.
In exceſſum Petri Cunaei. . . . 8.
Adolphus Vorſtius, parentans Petro Cunaeo. . 9.
Zoili cenſura in Heinſianam Tragoediam. . . 10.
In ſtatuam Deſ. Erasmi; *bis*. . . . . 12.
Mich. Rutero. . . . . . 35.
De pace. . . . . . 36.
Fred. Bened. Carpzovio et Eliz. Iegers, ſponſis. 78.
Ad Ludovicum XIV de hibernâ eius in Burgundiam expeditione. . . . . 82.
Everh. Bleisvicio, viro conſ. Delphorum, urbis patriae, antiquitates illuſtranti. . . 83.
Imago Delphorum. . . . . 84.

In

Pag.
In imaginem Cornelii Tromp ad foederatum Belgium. . . . . 85.
Ianus Rutgerſius Guſtavo Magno a conſiliis et legationibus. . . . . . . 85.
Ad Rulandum Kinſchotium, ſupremae litibus iudicandis curiae aſſeſſorem. . . . . 86.
In commentarium Ioh. Bapt. Pacichelli de iure hospitalitatis. . . . . 90.
In compendium Medicinae Conſtantini Rumpſii. 91.
Cosmo Mediceo, Belgium perluſtranti. . . 92.
In Ollum. . . . . 189.
In verſificatorem Britannum de bello Belgas inter et Britannos. . . . . . 193.
In Petri Francii carmen panegyricum. . . 194.
In Ioh. Vollenhovii conciones. . . . 195.
Carmen elicium ad Meurſii Cretam. . . 196.
In orationem Caroli Drelincurtii. . . . 197.
Conſolatio ad Hiſpanos, Hulſtâ exutos. . . 330.
In orationem Sim. Gakelii. . . . . . 331.
In magnum Galliarum Delphinum natum. . . 333.
In clasſem Hiſpanorum, a Martino Trompio profligatam. . . . . . 334.
Ad fontem medicatum Driburgicum. . . 335.
In pacem, a Ludovico XIV inſtauratam. . . 339.
In natalem XIII Caroli XI. . . . . 340.
Propempticon Virgilii Heinſiani ad Ludovicum XIV, Galliarum regem. . . . . 341.
Pro-

Pag.
Propempticon Virgilii Heinſiani ad Delphinum. 342.
Propempticon Virgilii Heinſiani ad Ferdinandum, Paderbornae et Monaſterii principem. 342.
In Frederici Spanhemii orationem. . . . 343.
In nuptias Frederici Spanhemii et Vrſulae ab Heimbach. . . . . . 345.
In nuptias Casparis Kinſchotii et Sarae Trompiae. . . . . . . 346.
In effigiem Caroli Beverii. . . . 349.
— —— Iacobi Ponti de la Gardie. . . 350.
— —— Ezech. Spanhemii. . . . 351.
— —— Frederici Spanhemii. . . . 351.
— —— Gulielmi Henrici, principis Arauſionenſis. . . . . . 352.
— —— Conſtantini Hugenii. . . 353.
D. M. Michaëlis Ruteri; *bis*. . . 354.
In effigiem Dan. Colonii. . . . 355.
Propempticon pyxidis ad Paiſium Ligaridium. 356.
Dialogus in Iuſtitiam. . . . . 356.
Ad poëtam Ludium. . . . . 357.
In effigiem Gul. Grotii. . . . 358.
Iocus de Mario. . . . . 553.

IANVS HELVETIVS.

D. M. Iacobi Odé. . . . . 118.
Ad O. M. Odé. . . . . . 480.
Ad Herm. Ooſterdyk. . . . . 483.

FRANC.

FRANC. HESSELIVS.

Pag.
In Ianum de Haes, aegrotantem. . . 248.
Iano de Haes. . . . . . 250.
Genethliacon Virgilii. . . . . 445.

CAROLVS VAN HEVSDEN.

Cornelio van Bynkershoek. . . . 556.

ERNEST. GVL. HIGT.

Genethliacon Iani Valckenarii. . . . 29.
Ioanni Pierſono, Moeridem edenti. . . 31.
In fragilitatem et inconſtantiam vitae humanae. 252.
Anni auſpicia ad Petrum Burmannum Sec. . 257.
Epitaphium Adonidis. . . . . 260.
———— Bionis. . . . . 265.
Petro Burmanno Sec. . . . . 471.
In aedem Alcmarianam. . . . . 569.

IAC. HENR. HOEVFFT.

LVSVS PASTORALES:
Villa ruſtica. Myrtus. . . . 511.
Ad Somnum. Nomina, arbori inſculpta. . 512.
Fagus. . . . . . . 513.
Phyllis. Ad Auroram. . . . . 514.
Vesper. . . . . . 515.
In dominam, ab ape punctam. Serta florea. 516.

Ad

Pag.
Propempticon Virgilii Heinſiani ad Delphinum. 342.
Propempticon Virgilii Heinſiani ad Ferdinandum, Paderbornae et Monaſterii principem. 342.
In Frederici Spanhemii orationem. . . . 343.
In nuptias Frederici Spanhemii et Vrſulae ab Heimbach. . . . . . 345.
In nuptias Caſparis Kinſchotii et Sarae Trompiae. . . . . . . 346.
In effigiem Caroli Beverii. . . . 349.
— —— Iacobi Ponti de la Gardie. . . 350.
— —— Ezech. Spanhemii. . . . 351.
— —— Frederici Spanhemii. . . . 351.
— —— Gulielmi Henrici, principis Arauſionenſis. . . . . . 352.
— —— Conſtantini Hugenii. . . 353.
D. M. Michaëlis Ruteri; *bis*. . . 354.
In effigiem Dan. Colonii. . . . 355.
Propempticon pyxidis ad Paiſium Ligaridium. 356.
Dialogus in Iuſtitiam. . . . . 356.
Ad poëtam Ludium. . . . . 357.
In effigiem Gul. Grotii. . . . 358.
Iocus de Mario. . . . . 553.

IANVS HELVETIVS.

D. M. Iacobi Odé. . . . . 118.
Ad O. M. Odé. . . . . . 480.
Ad Herm. Ooſterdyk. . . . . 483.

FRANC.

FRANC. HESSELIVS.

Pag.
In Ianum de Haes, aegrotantem. . . 248.
Iano de Haes. . . . . . 250.
Genethliacon Virgilii. . . . . 445.

CAROLVS VAN HEVSDEN.

Cornelio van Bynkershoek. . . . 556.

ERNEST. GVL. HIGT.

Genethliacon Iani Valckenarii. . . . 29.
Ioanni Pierſono, Mocridem edenti. . . 31.
In fragilitatem et inconſtantiam vitae humanae. 252.
Anni auſpicia ad Petrum Burmannum Sec. . 257.
Epitaphium Adonidis. . . . . 260.
——— Bionis. . . . . 265.
Petro Burmanno Sec. . . . . 471.
In aedem Alcmarianam. . . . . 569.

IAC. HENR. HOEVFFT.

LVSVS PASTORALES:
Villa ruſtica. Myrtus. . . . . 511.
Ad Somnum. Nomina, arbori inſculpta. . 512.
Fagus. . . . . . . 513.
Phyllis. Ad Auroram. . . . . 514.
Vesper. . . . . . 515.
In dominam, ab ape punctam. Serta florea. 516.

Ad

Pag.
Ad turturem. . . . . . 517.
Ad Galateam. Ad Morpheum. . . 518.
Dies oriens. . . . . . 519.
Ad cicindelam. Hiems. . . . 520.
Ad auram. . . . . . 578.
Inſcriptio fontis. . . . . 579.
In effigiem Petri Henr. van de Wall. . . 521.
In Muſeum Pauli Knogh. . . . . 522.
Ad Laur. Santenum, ſponſum. . . . 530.
Genethliacon ad Ioan. Adam. Nodell. . . . 574.

HENR. HOOGEVEEN.

Miſera Magiſtrorum ſors. . . . . 272.

IANVS HOOGEVEEN.

Santenio. . . . . . 527.

CONSTAN. HVGENIVS.

D. M. Nic. Heinſii. 51
Nic. Heinſio. . . . . . 189.
Lites Anglo-Batavae. . . . . 318.
Satisfactio. Ad Hollandum. Pactum marinum. 319.
Cauſa belli. Pax non optima rerum. Guil. Nasſavius. . . . . . 320.
Ad Guil. Nasſavium. Princeps ad Friſiam. . 321.
Frederici Henrici anni triumphales. . . 322.
Nic. Heinſio. . . . . 323.

Nic.

Pag.
Nic. Heinſio. . . . . 325.
Ad Nic. Heinſium. . . . . 328.
Ad Ferdinandum, Epiſcop. Paderborn. . . 330.

IMM. GOTTL. HVSCHKE.

Arbor Libertatis. . . . . 548.
Dies natalis amiciſſimi F. . . . . 580.

BALTH. HVYDECOPER.

Carmen ſaeculare pro AmſtelaedamenſiAthenaeo. 114.
Petro Burmanno. . . . . . 212.
In navigationem. . . . . . 219.
Laudes vitae ruſticae. . . . . 225.
In Georgium, Britanniae regem. . . 235.
Ad Dan. van der Lip, I. V. D. renuntiatum. 238.
Ad Abr. Gronovium, Dorotheam Wyn. van Wyck domum ducentem. . . . 241.
Tempe Maarſeveenia. . . . . 450.
Gerardo a Slingeland. . . - - 462.
Petro Burmanno Sec. . . . . 470.

HERM. IAARSMA.

Curia Embricenſis loquitur. . . . 172.
S. C. Embricenſe. . . . . 274.

RVLANDVS KINSCHOTIVS.

Pag.
In iter Suecicum et poëmata Nicol. Heinſii. . 360.
Auriacus hospes. . . . . 362.

THEODORVS VAN KOOTEN.

In effigiem Petri van Schelle. - - - 526.

IOAN. ALOYS. MARTYNI-LAGVNA.

DIs Manibus Iulio Guelfo. - - - 283.
Ad Valgium, Berolinatem. - - - 286.
Ad Petreiam. - - - - - 288.
Votum amantis ad Lyden. . . . 523.
In Ioſephum Farſettium dirae. . . . ——
Ad Ioſephum Farſettium, poëtarum Italorum ocellum. . . . . 524.
Ad Laur. Santenium, Ioſ. Farſettii carmina dono ſibi mittentem. . . . . . . ——
Ad Manes S. F. N. Mori. . . . 536.
Ad Laur. Santenium. . . . . 540.
Ad Iac. Henr. Hoeufftium. . . . 541.

GODFR. GVLIEL. LEIBNITZ.

De neceſſitate perſeverantiae in cauſâ publicae ſalutis. . . . . 289.

DAV.

DAV. IAC. VAN LENNEP.

Pag.

Ad Laur. Santenium de nativitate filioli. . . 542.

LOBBIVS LEVNCVLVS. . . 389.

IVLIVS MELESIGONVS.

Ad Libertatem. . . . . . 275.

PAVLVS MELISSVS.

In Iuſtum Lipſium, aegrotantem. . . . 179.

GEORG. MVRRAY.

Catula, a puero occiſa. . . . . 122.

IOAN. ADAM. NODELL.

Genethliacon ad Ian. Abr. de Milt. . . 571.

D. M. Herm. Martini Nodell. . . . 577.

IOACHIMVS PASTORIVS.

In Alaſtorem Nic. Heinſii. . . . . 365.

IAC. PERIZONIVS.

Ad Nic. Heinſium. . . . . 168.

Hymnus ad Ian. Broukhuſium. . . . 206.

ODOARDVS PERSIVS.

Pag.

Melituſa. . . . . 153.

ANGEL. POLITIANVS.

D. M. Hermolai Barbari. . . . 305.

GVL. RABVS.

Petro Burmanno. . . . . . . 392.

I. REEPMAKER.

Petro Burmanno, Franc. fil. Franc. nep. ſummos in Iure honores conſecuto. . . 245.

DAV. VAN ROYEN.

Ioan. Iac. Vitriario. . . . . . . 41.

Ad Adr. van Royen. . . . . . 42.

Adriano van Royen, Adr. Ioan. Wesſeliam domum ducenti. . . . . . . 59.

Petro Gys et Mariae van den Bergh, quintum coniugii luſtrum celebrantibus. . . . 63.

Ad

Pag.
Ad Ioan. van den Bergh, Agnetam Iac. van den Bergh filiam, Andreae Cunaeo deſpondentem. 68.
D. M. Ioh. Adrianae van den Bergh. . . 127.
Ger. Aem. van Hoogeveen, ſponſo. . . 128.

IANVS RVTGERSIVS.

In albo Caſpari Kinſchotii. . . . 359.

CL. SALMASIVS.

In Athenaeum Amſtelodamenſe. . . . 77.

LAVR. SANTENIVS.

Praefatio. . . . . 3.
Dedicatio Faſciculi V. . . . . 75.
Dedicatio Carminum Grotianorum, *Faſciculo* VII. . . . . . 3.
Dedicatio. . . Faſciculi VIII. 144*
De Bezae Candidâ et Audeberto. . . . 176.
Ad Franc. Szilágyi. . . . . 300.
Ad Caſp. Ioan. Wenckebach. . . . 301.
In albo Georg. Lud. Spalding. . . . 507.
D. M. Corn. Petri van Leyden. . . . 525.
Ad Freder. van Leyden. . . . . 526.
Iano Hoogeveen. . . . . 527.
Ad Comitem de Schoenfeld. . . . 533.

Pag.
Ad Principem de Berghes, gente Caſtellanâ. . 534.
Ad Comitem Gottl. Ludov. Schoenberg. . . 534.
In albo Caroli L. Kaempe. . . . 534.
In effigiem. . . . . . 540.
In ſtatuam Ioh. Diderici van der Capellen tot den Poll. . . . . . 573.
Ad Car. Dunſter. . . . . 581.
Ad Chriſtoph. Guil. Mitſcherlich. . . 582.
Ad Gul. Annam Leſtevenon. . . . 583.

IOH. SCHRADER.

Ad Bataviam. . . . . . 21.

MATTHIAS SIEGENBEEK.

In Laur. Santenium, procum. . . . 533.
Ad Laur. Santenium de nativitate filioli. . . 545.

G. R. V. SISSINK.

In mortem Iani Broukhuſii. . . . 163.

GEORG. LVD. SPALDING.

Laur. Santenio. . . . . . 547.

DIO-

DIONYS. STROCCHI.

Pag.
In funere Leuconoës. . . . . 550.

FRANC. SZILÁGYI.

Ad Laur. Santenium. . . . . 528.

D. I. VAN DER TRAPPEN.

Ad Santenium. . . . . . 1[illegible]

ISACVS TREVGHORN.

Ad Nic. Heinſium. . . . . 198.

IANVS VLITIVS.

Ad amicos Hagienſes et Leidenſes. . . 181.

VLIXES; vide *EZRA DE CLERCQ.* . 71.

EV. WASSENBERGH.

Libertati Americanae. . . . . [illegible]21.

PE-

PETR. WESSELING.

Pag.

Ad Wilh. Car. Henr. Friſonem, ſtudiorum cauſâ Franequeram migrantem. . . . 131.

Wilh. Car. Henr. Friſo, ſponſus. . . . 133.

D. M. Sicconis a Goslingâ. . . . 442.

ANT. A ZYL.

In caedem Caroli I. . . . . . . 126.

EXPLICIT.

DE.

DELICIAE

POETICAE.

FASCICVLVS I.

LVGDVNI BATAVORVM,

Apud C. F. KOENIG,

CIↃIↃCCLXXXIII.

PRAEFATIO.

Ecce delicias, venuſte Lector,
Pindi delicias jugo petitas,
Phoebi delicias manu paratas,
Dextra quas tibi non maligna ſixit;
Opus nobilium perenne vatum,
Seu ſint verſiculi prioris aevi,
Seu jam verſiculi ruentis aevi,
Cujuscunque poëta nationis
Auri quos potuit probare purae;
Sive nunc veniant in ora primum,
Sive prodierint et ante in auras,
Non vulgaribus obvii libellis,
Paucorum digitis ſed ante triti,
Invidis male ſcriniis latentes.
Non diſcrimine publicantur ullo,
Nullo materiaeque, nec virorum;
Sint praeconia, mordeantve dignos,

 Seu

Seu ſint molliculive, vel pudici;
Quin nec ordine digeruntur ullo,
In manus ſed ut incidére noſtras,
Aut ut pervenient vel hinc vel inde.
(Cui non diſpliceat moleſta cura?)
Sint tantum lepidique et elegantes.

SPECTEMUR AGENDO.

EPINICION TERTII BELLI PVNICI
BRITANNICO EDICTO
DE *delenda Carthagine* OPPOSITVM.

Foedera ludus erat perjuro fallere Poeno:
  Terra tumet titulo nunc Rutupina pari.
Se penes aequoreae jus omne tridentiger undae
  Fert Brito, caeruleis ſceptra minatus aquis.
Poſt crudae damnata neci modo funera Regum
  Vincula Neptuno carnificemque parat.
Sepoſuit Natura Deis quam provida ſolis,
  Imperio ſedem trux premit ille ſuo.
Vtribus Aeoliis inflatior aula, quid undas
  Parque Noto cenſes par Boreaeque tuas?
Quid circumſcribis pontum tot in ora patentem
  Lege Caledonii carceribusque ſoli?

Fre-

In Senatu Regis Angliae Caroli II, *de bello hoc in Belgarum excidium, habito, ſuffragio ſuo adjecerat Dux Eboracenſis, inſtar Catonis*, delenda eſt Carthago; *idque etiam itelasse Comitem* Schaftsburienſem, *tradit* BVRNET Tom. I. Hist. Angl. p. II. pag. 359.

Frena quid Hippotadae moliris inania demens?
  Omnibus aequoreae ſemita facta viae eſt.
Detrahe, quod ſupereſt, curru Titana diurno;
  Aſtra pati nutus libera coge tuos.
Credita Mavorti Superorum cauſa Batavo est;
  Pone Giganteis aemula coepta minis.
Pone age, gens veſana, ſuis Deus imperet undis.
  Clade quid innumerâ te juvat usque teri?
Navifrago victoque ſalum vix ſufficit hoſti,
  Ultrices pro ſe dum Thetis armat aquas.
Funera quot gentis tumulo caritura Britannae
  Per ſibi ſpargantur regna negata, vides.
Fumantes auriga Pado ſic volvitur artus,
  Ambiit ignipedes qui modo ſolis equos;
Devius incauto dum tendit ad aethera niſu,
  Icarias buſtum ſic tulit alter aquas.
Servitii pelago foedum detergimus omen:
  Publica ſpes rerum, publica vota ſumus.
Pro nobis hinc unda, favens hinc bellat Olympus,
  Et pro vindicibus ſtant elementa ſuis.
Aſſerimus pia jura ſalo: temeraria Regum
  Sub juga non dociles ire tuemur aquas.
Poſteritas quantae cumulatos laudis acervos
  Pro ſancto pretium grata labore dabit!
Haec Brutis titulos magnisque Catonibus addet
  Saepe tuos, Trompi, ſaepe, Rutere, tuos.
Terra homini regnanda: genus mortale nec aether,

Leg.

Legibus indomiti nec capit aula ſalis.
Cede Deo, Superisque ſacros ſibi linque penates
Inſula perfidiae ter rea, cede Deo.
Oceani tutela rapax, bone legifer undae,
Velivolo pestis certa, Britanne, mari.
Cur odiis toties nos crudescentibus urges?
Cur ſine ſine tibi lis repetenda ſumus?
Tecta Caledoniae Carthaginis impia flammis
Jam data vindicibus, quid mereare, docent.
Id ſi ſupplicium reris leve, flamma parata eſt
Altera ſidereo fulmen ab axe tibi.

NIC. HEINSIVS.

LONDINVM EXVSTVM.

Seditione potens, rebusque adſixa novandis
Et Regum immerito ſaepe cruore nocens,
Vrbs poenae devota ſuae est. hanc funditus omnem
Flamma Gomorrhaeis ignibus aequa tulit.
Quà face jam toties, quo fomite ſaevit Enyo,
Criminis auſa domi quidlibet, auſa foris.
Vindice tot ſcelerum coelo damnata ruinae
In cinerem verſas rudera moeret opes.
Nominis et magni tenuem vix ſustinet umbram,
Dum tumulus vivae facta rogusque ſibi est.

Nunc taedam in Batavas molire Britannia merces,
Cruda per imbelles fax eat acta caſas.
Sacrilegum Deus ecce Deus dum puniat ignem,
Dumque Caledonios haec premat ira lares,
Damna rependuntur largo cum foenore nobis,
Impia foedifragam ſic fer in arma manum.
Martem hac lege fove, nos ultor at asſerat aether;
Causſa perorata eſt judice vestra Deo.

NIC. HEINSIVS.

IN EXCESSVM

PETRI CVNAEI.

Qualis ubi Eois rutilum caput exſerit undis
Phoebus, et illuſtrat ſidere cuncta ſuo,
Tota nitet tellus blandoque renaſcitur aestu,
Et tanti genium ſentit opemque Dei:
Tum ſi tristis hyems Aquilonibus acta Decembris
Merſit inauratum praeripuitque jubar,
Aut ſubito immenſis tempeſtas imbribus orta
Presſit nocte ſuum deſtituitque diem;
Tota jacet tellus nulloque renaſcitur aestu,
Nec tanti genium ſentit opemque Dei.
Talis Mattiaco Cunaeus ab axe reverſus,
Et bene vix Muſis redditus ipſe ſuis;

At-

Attulit exequias ſecum vivumque cadaver,
Nec patriae indulſit justa rogumque ſuae.
Senſit Leida nefas fatorum, ſenſimus omnes,
Moeniaque aeternâ condita nocte jacent.
Tu licet asſurgas magno Zelandia nato,
Plus aliquid Batavus vindicat inde ſibi.
Nec tibi, Diva, tuos grateris ferrea partus,
Te ſatis eſt tanti funeris eſſe ream.
Sic male divinos ſibi Crete vindicat ortus,
Atque eadem nati morte ſuperba ſui eſt.
Sic ſua Cecropium tellus damnavit alumnum,
Et dedit ingratâ miſta venena manu.
Patria, testamur! potuisſe Batavia nasci
Non ita miratur, quam potuisſe mori.

NIC. HEINSIVS.

ADOLPHVS VORSTIVS
PARENTANS
PETRO CVNAEO.

Miſella Leida, vosque flebiles Muſae,
Quondam mearum magna cura Muſarum,
Quae nunc jacetis, praeficoque ſingultu
Suſpiriisque mille fletis ereptum,
Et tu profunda, Rhene, conditus nocte
Beatus olim, nunc dolore confectus

An-

Anfractibusque non virilibus lapſus
Luge perempti ſaeva fata Cunaei,
Et lacrymarum fonte perpeti exunda,
Totamque moestis imbribus riga terram.
Luge, miſelle. non, laboribus functus,
Tuas perambulabit amplius ripas,
Tuosque laetus margines ſalutabit.
At tu, profana, cede finibus noſtris,
Paterna tellus, nunc noverca, defuncti:
Tibi, profana, busta tanta debemus;
Tibi Camenas imputamus extinctas.
Tum vos Camenae, quîs beata Lugdunum
Nuper vetustos provocabat Heroas,
Quoscumque quondam Roma fovit aut Hellas;
Qui nunc amico juſta ſolvit erepto,
Vobis, miſellae, juſta ſolvit ereptis.

NIC. HEINSIVS.

ZOILI CENSURA

IN HEINSIANAM TRAGOEDIAM.

Zoïlus Heinſiaco meditatur bella cothurno,
  Phoebe, tenes riſum? pumilus arma movet.
Per latus hoc modo pugna tibi, ſed aperta, paratur,
  Tela reſultabunt in caput iſta tuum.

Si-

Sileni cytharam vector ferit; et tua rurſus
  Delphice, damnantur judice plectra Midâ.
Mutatur facies in quaslibet: omnia tentat
  Zoïlus, ut ſtolidum ſe probet eſſe pecus.
Carmina nunc jugulat, nunc tangit carmina loro;
  Filius innocuas ut Telamonis oves.
Agmine de Critico Dî dent tibi, Zoïle, palmam;
  Cedat Ariſtarchi, Zoïle, lima tuae.
Deſine nugator crabronibus arma minari,
  Quos irritatos non tetigiſſe velis.
Vlcera ne digitis vexes aliena malignis,
  En tua nunc ſcabies ungue fricanda meo eſt.
Obſidione prement ſtrigiles tibi tergora noſtrae,
  Inque tuo poſthac bella gerenda ſinu.
Milite barbarico quin perdita caſtra tueris?
  Pone ſoloecismos in ſtatione tuos.
His mea ſi poteris legionibus arma morari,
  Tum tu Grammatici ſis licet Alpha gregis.

NIC. HEINSIVS,

Ex Bibliotheca Remonſtrantium Amſtelaedamenſi.
Conf. Heinſii poem. p. 301.

IN STATVAM
DES. ERASMI.

Barbariae talem ſe debellator Erasmus,
Maxima laus Batavi nominis, ore tulit.
Reddidit en fatis ars obluctata ſiniſtris
De tanto ſpolium nacta quod urna viro eſt.
Ingenii coeleſte jubar, majusque caduco
Tempore qui reddat, ſolus Erasmus erit.

NIC. HEINSIVS.

Rogatu Coſſ. Roterodamenſium.

ALIVD.

Hospes, perſimili quod in metallo
Magni conſpicuum vides Erasmi,
Mors pridem ſibi cruda vindicavit;
Fluxosque in cinerem redegit artus.
Aere at ſcripta perenniora quovis,
Vivam mentis imaginem ſtupendae,
Ne ſperet manus artifex referre,
Aut depascere dens edacis aevi;
Orbis cum capiat nec univerſus.

NIC. HEINSIVS.

Ex Epiſtolis MSS. Heinſii ad Graevium, quae asſervantur in bibliothecâ Lugduno-Batavâ.

JAC.

JAC. PHIL D'ORVILLE FRANCISCO OVDENDORPIO S. D. P.

Jam tandem manifeſtus amas, Franciſce, nec ultra
Sub tacito potuit pectore cura tegi.
Sic fremit incluſo primum gravis AEtna vapore;
AEthera mox rutilo vortice flamma petit.
At mihi te quoties praedam ceſſiſſe negabas,
Omnia qui redigit ſub ſua jura, Deo.
Nec, niſi quae celebrant Parnaſia ſaxa, puellas
Jactabas animi regna tenere tui.
Riſimus, et ſubitum nolentis in ore ruborem
Vidimus, occultae pignora certa facis.
Riſimus, atque inſtat jam jam tibi, diximus, hora,
Qua puer invitum dicere coget, Amo.
Heu! ubi nunc faſtus animi conſtantis, et illa
Spernentis Paphiam verba ſuperba Deam.
I nunc, Pierides lenimina vulneris alti,
Et cum Pieriſin totum Helicona roga.
En tibi magniloquum commendat Corduba vatem,
Quernaque ſervato praemia cive parat.
Nunc bene Theſſalicis ſubeat diſponere campis
Hinc Pompejanas, Caeſaris inde manus.
Roboret aut pectus ſapientia dura Catonis,
Fortis et affectus diſce domare tuos.

Frus-

Fruſtra. non iſtas novit fera flamma medelas.
  Certus amor ridet dicta ſevera ſenum.
Sume manu calamum; franget puer ille tabellas,
  Et cadet audaci pulſa cathedra pede.
Nunc potius Veneris ſupplex advolveris aris,
  Vt tibi ſit ſpreti numinis ira levis.
Nunc aditus dominae molles et tempora quaeris;
  Omnis et a caro corpore longa mora eſt.
Nunc querulá miſeros exponere voce furores,
  Ac labor est, blandâ flectere corda prece.
Quod tibi ſi minimam nutu ſpem fecerit uno,
  Sors tua nil ſuperis invidet aſtra deis.
At ſi dura neget, noctis tibi ſpiſſior umbra,
  Ipſaque viſa ſuá est luce carere dies.
Hic vitae, Franciſce, tuae tenor. omne puella
  Vindicat arbitrium temporis una ſibi.
Italiae torquet nos ſacra cupido videndae.
  Sedit in ingenio nil niſi Roma meo.
Jam procul albentes canà nive vidimus Alpes,
  Atque animo emenſi jam juga ſumma ſumus.
Gallia, des veniam, quamvis pulcerrima tota es,
  Non me ſponte mea nunc tua terra gerit:
Ac dum te fugio, Rhodani rapidisſimus amnis
  Vix ſatis admisſis ire videtur aquis.
Quando, Tibri pater, ſacro vectabimur alveo,
  Ruderibusque tuis oſcula, Roma, feram:
Ac tot nobilium monumenta ſuperba Quiritum

Te-

Tactus adorabo religione loci?
Hac mercede tuas tolerare, canicula, flammas,
Nec moror Alpinae frigora ferre nivis;
Hac deſiderium patriae conſolor, et ipſe
Tu minus a nobis, Amſtela dulcis, abes.
Felix, qui vitam notos agis ante penates,
Natalique ſapis claudere vota ſolo!
Quem ſi durities dominae quandoque fatiget:
Lenior ipſa mali mox medicina venit.
Format in occultis aurum mora longa metallis,
Lymphaque per ſcopulos tempore fecit iter.
Servitio tandem ſuperabitur illa fideli.
Non eſt asſiduas quae ferat ulla preces.
Jam tibi ab argutis praebebitur omen ocellis,
Quam tacitos urat mutua flamma ſinus.
Voculave oblitis ſubito prolapſa labellis
Pectoris arcanum deteget omne tibi.
Nec mora; dum geminis urgebis colla lacertis,
Ac figes roſeis oscula ſpisſa genis.
Tacta Cupidineis tepefacta per osſa ſagittis
In tua colla ſui vix memor ipſa ruet:
Igneaque inſertans amplexibus oscula ſtrictis
Excidet a flammâ victa puella novâ.
Hic, Franciscee, tuo prudens utare triumpho,
Legitimumque habeant fervida vota modum.
Sit ſatis appoſitâ caput effulcire ſiniſtrâ;
Dextera tum tenui pectora ſpargat aquâ.

Sit

Sit ſatis a niveis digito quaeſisſe papillis,
Vita redux pulſu ſi ſua corda quatit:
Dumque oculos primum recludat amore natantes,
In dominae gremio morte perire pari.
Caetera, quae ſternet genialem pronuba lectum,
Noverit alitibus postmodo Juno bonis.

Lugduni in Galliis. 1726.

ITER
PII SEXTI
Pontificis Romani.

Pomptinà e regione SEXTVS Vrbem
Dum redit PIVS, (hac enim aemulatus
Auguſtum quoque parte, ferre aratrum,
Quae remos tulerunt prius, paludes
Cogit maximus optimusque Princeps;)
Dignatus mihi villulae puſillae eſt
Honori dare, tantus ipſe cum ſit,
Vt diverteret huc meridiatum
Parca ad lautia, ruſticumque tectum,
Pro quo villula honore nunc puſilla
Poſthac pluris ero mihi, atque villas
Omnes vel minima una provocabo.

1780. V. M. GIOVENAZZI.

Exſtat in villá Principis ALTIERI.

DELICIAE POETICAE.

FASCICVLVS II.

LVGDVNI BATAVORVM
Apud C. F. KOENIG
CIↃIↃCCLXXXIII.

DELICIAE POETICAE.

A D

CORNELIUM DE WITT

COS. DORDRAC.

Ex Angliâ reducem.

Nunc ego devictos Grajo ductore juvencos,
  Herculis et validâ monſtra ſubacta manu;
Nunc quibus inſurgit fœcunda laboribus Hellas,
  Factaque Pellaei prodigioſa ducis;
Omnia nunc credo magnae miracula Romae.
  Invenere ſuam ſaecla vetuſta fidem.
Nulla viris occluſa via est, et cuncta parari
  Wittiadae virtus indubitata probat.
Teſtis erit noſtrâ concuſſa Britannia claſſe,
  Hunc ſibi ſupremum ducere viſa diem;
Ignibus exustas deploratura carinas,
  Inque Caledonio naufraga rostra mari.
Testis erit vastis vix agnoscenda ruinis
  Londinum, gemino pene cremata rogo.
Et qui ferratis Thameſis devincte catenis
  Libera vix famulis exſeris ora vadis;
Gurgitibus rapidas nequiisti vincere flammas.
  Auxiliatrices nil valuistis aquae.
Obſtupuit trepidus vicina incendia Nereus,
  Atque illo primum tempore fratre minor.

Magnanimâ fidas hortatur voce cohortes,
Et praeit admonitu Witius ipſe ſuo.
Illius ad nomen pulſi fugere Britanni,
Cumque animo puppes deſeruere ſuas.
Noluit ulterius flammis victricibus uti.
Et debellatas miſit in alta rates.
Advolat in ſummos effuſa Batavia plauſus,
Dum ſubeunt noſtros vela Britanna ſinus.
Conſtitit attonitus, ſeque adſpexiſſe negavit
Geſta oculis Titan nobiliora ſuis.
Barbara nunc cedant aevi monumenta prioris,
Et quidquid veteres obſtupuiſtis avi.
Illud poſteritas toto meditabitur orbe,
Hanc ſibi materiam Calliopea velit.
Salve amor, invictis ſalve tutela Batavis!
Acclamat reduci patria tota tibi.
Aurea Libertas in te defeſſa recumbit,
Et patrocinium credidit omne ſui.
Per te ſub gratâ placidi requieſcimus umbrâ.
Haec tuus in Batavos otia donat amor.
Gaudent afflictae, te defenſore, Camoenae,
Quaeque tibi Pallas ſemper amica comes.
Illius exemplo, ne ſolo Marte valeres,
Muſarum fieri tu quoque numen amas.
Docta, ſupervacuam nunc aegida deſpice, Virgo,
Hoc ſub praeſidio tuta, Minerva, lates.

PET. FRANCIVS.

LIBERTATI AMERICANAE

A BELGIS AGNITAE S.

Anglorum dominas conculcat America Leges,
  Et ſua jam Belgas jura probare videt.
Libertatis amor populo placet unus utrique;
  Porrigit in ſidum foedus uterque manum.
Mutua Boruſſiae extendunt compendia terrae;
  Vela dabit ventis libera nauta ſuis.
Jamdudum imperio privare, Britannia, ponti,
  Viſque animi Belgis, quae fuit ante, redit.
Quid mirum, laetis ſi creſcunt gaudia rebus?
  Friſia ſi festis vocibus omnis ovat?
Ante alios, juvenes, Muſarum cura, triumphant,
  Laetitiaeque dicant publica ſigna ſuae;
Igniferasque faces, flammarum et mille colores,
  Quot non in coeli nubibus Iris habet,
Et quaecunque recens hac arte invenerit aetas;
  Vt faustis eſſent lumina temporibus.
Di facite, ut, ſcelerum quum ſolverit Anglia poenas,
  Pax iterum patrios viſat honesta Lares!

Franequerae 1782.

AD BATAVIAM.

Si diros patiare, Batavia, Buckinghamos,
  Feltonos pariter te dare tempus erat.

AD

CORN. HUG. VONK

Profeſſorem LL. OO. creatum.

Reliquiae tenues Solymorum, rudera ſancta,
Totque Palaeſtinis oppida fuſa jugis;
Priſcaque [illegible] Babylon [illegible],
Regiaque arcanis Perſica culta Magis;
Quique inter populos clari pietate Sabaei,
Placastis primi turis honore deos.
Vos etiam Tyriae pugnacia moenia Byrſae,
Et quam Pyramidum, Memphi, celebrat opus!
Ecqua recens veteres erexit fama ruinas,
Fulſit et obſcuris lux necopina locis?
Ecquod Vonkiadae nomen pervaſit ad oras,
Quas Aurora rubris prima ſerenat equis?
Vonkiades, gaudete, parat novus ecce ſacerdos
Eoo Batavos more piare focos,
Veſtraque linigerâ pompam comitante catervâ
Amſteliis ardet ſacra referre tholis.
Vonkiades, crinem Solymaide vincite olivâ,
Mundaque Siloës corpora ſparſus aquâ,
En, [illegible] Syriis florentia ſerta.
Jam ſuperat dextro limina ſancta pede.

Palma ter auratam foliis viridantibus aram
  Cinxit, Idumaeis edita palma jugis.
Cinnamon, et caſiam nardumque huc fundit acerra,
  Turaque, quae mittit dives odoris Arabs.
Lingua fave; jam myſta pio pia concipit ore
  Vota, ſuos nunquam non habitura Deos.
Et bene ſit patriae, bene ſit moderantibus illam,
  Et bene ſit pulcris artibus, ille rogat.
Cernite, felici comburat ut omnia ligno,
  Aëriis Libani collibus orta, cedrus!
Byblos odorati libavit cymbia Bacchi,
  Lucidus en templi culmina lambit apex!
Amſtela, per latum graditur tua gloria campum,
  Vt tua jam toto laus Oriente ſonat!
Euphrates celebrat, celebrat tua nomina Tigris,
  Plaudit Oronteâ garrula Nais aquâ.
Plaudit et e tepidis Meroë Cephea fluentis,
  Indus et aurifero non tacet ipſe vado.
At pater in primis Jordanes omnibus undis
  In laudes geminat murmura laeta tuas.
Quippe ſuis, totus quos exigit orbis, alumnis
  Antiquae patriae numen et inſtar habes.
Munera nec reputat leviora, quod Amſtela pubes
  Cognatae Sophies atria rurſus adit.
Quin procul Amſteliâ fugis, Ignorantia, ripâ,
  Presſaque Cimmeriis noctibus antra petis.

Non hic barbatis inſomnia viſa magiſtris,
  Non habet hic pueris naenia grata locum.
Omnia ſed certis auctoribus edita conſtant,
  Hiſtoricâque manent ſingula firma fide.
Hic colitur verum, primo mortalibus aevo
  Detulit aetherâ pagina quale viâ.
Turbida vulgus amet deducti pocula rivi,
  Nos juvat integris fontibus hauſtus aquae.
Felices populi, vernacula quando Deorum
  Lingua, nec interpres nomine notus erat.
Tum merito patuiſſe ferunt commercia coeli,
  Et comites hominum coetibus iſſe Deos.
Vos quoque felices, quibus haec fortuna labore
  Plurima poſt mundi ſaecula parta ſuo eſt.
Aemulaque Herculeae merito praeconia famae
  Poſteritas magnis grata rependit avis.
Qui ducti egregiâ feros pietate nepotes
  Expertes tanti non voluere boni.
Namque vireta ſacri ſquallebant ſentibus horti,
  Cum ſtipulâ lolium luxuriabat iners.
Monſtra per incultas reptabant plurima ſilvas,
  Servabatque triceps aurea poma draco.
Hoc debemus avis; jam ſuaves ſpirat odores,
  Picta coloratis floribus, omnis humus.
Arbor et auricomi nemoris ſua vertice pleno
  Munera lecturae porrigit ipſa manu.

Nec doctrina tamen victricia terminat arma,
Adjicere imperio ſed nova regna cupit.
En fortunatis locuples Panchaia ſilvis,
Nobilibus ſpoliis cognita, tota vacat.
Scaliger Eoos auſus tentare receſſus
Meſſis odoratae praemia prima tulit.
Mox flos heroum ſtimulante cupidine laudis
Exuvias patriis retulit inde Deis.
Et quam pene tibi (vetuit Libitina), Relande,
Nomina perdomitus clara dediſſet Arabs!
O tandem justo tellus Nabathaea triumpho
Cedat, et Oceano terra rigata rubro!
Hic, hic, Vonkiade, mereas ſtipendia fas est,
Hujus militiae pars tibi magna data est.
I, pede felici dites adſcende Sabaeos,
I, licet, Arabio victor ab orbe redi.
Reſpice Schultenſi virtute relata tropaea,
Exacuetque animos plurima palma viri.
Prima capeſſebas tanto duce munera belli,
Res tibi jam privo Marte gerenda venit.
Auſpicium Amſtelius praebet tibi grande ſenatus,
Ac praebet divos patria cara ſuos;
Patria Vonkiadae favet Amſtelis, et ſibi ſpondet
Perpetuum Muſis adſeruiſſe ſuis.
At tibi ne tanti ſint Trajectenſia Tempe,
Vel Rheni, Oceano proxima, ripa patris.

Quamvis praeradiat majoris pompa theatri,
  Ac tirociniis utraque ſavit humus,
Vt patriae dulcem posſis abrumpere amorem,
  Nataliquae aliud praepoſuiſſe ſolum.
Ya quoque Aonidum non eſt inimicus alumnis,
  Aut capitur ſolo Doridos ille choro.
Et nemus Amſtelium gratam cantantibus umbram
  Sufficit, et mollem fronde virente torum.
O mecum hic ſatius, laeta ſpatiatus in actâ,
  Mireris patriae fata beata tuae;
Inque dies cernens creſcentia moenia, dices,
  Hic novus Amphion ſaxa trabesque movet.
An potius vigilum mitis ſapientia patrum
  Ex toto populos allicit orbe novos?
Me quoque felicem! primae cui vere juventae
  Hic datur, et canis vivere poſſe comis.
Quod ſi noſter amor patriaeque eſt gratia vilis,
  (Talia diſcerpant omina flabra Noti!)
Te tamen arte aliquâ (frustra pugnare libebit)
  Sic teneam, ut nequeas urbe movere pedem.
Nec tamen implorem Phoebeae carmina Circes,
  Vel Perimedeo cocta venena ſeco;
Sed Veneri magnae faciam impetrabile votum,
  Vel eadem capiat patria Nympha meum;
Vel eadem capiat praeſtans virtute puella,
  [illegible]ies ripae, naviger Ya, tuae.

Limina, crede mihi, teneris reptata ſub annis
  Fleverit et notos deſeruisſe lares.
Tu lentus dominae ſpectes lacrimantis ocellos.
  Durities animo ſcilicet ista tuo est!
Non, non: te carae revocet ſi conjugis aura,
  E medio dederis gurgite vela retro.
Evenient, quaecunque cano: monet auctor Apollo,
  Et mea ſunt Paphiae vota probata Deae.

JAC. PHILIP. D'ORVILLE.

IN EFFIGIEM

JOANNIS BVRMANNI.

Non haec effigies Burmanni ſculpta; ſed ipſum
  Arte Prometheâ vivere in aere vides.
Talis Paeoniis meditatur pellere morbos
  Viribus, aut laetas Chloridos auget opes.
His oculis proavi, genitorque in fronte renident,
  Nil non egregiae pignora gentis habet.
Gaudeat Amſtelidum longos Hygiea per annos
  Huic tabulae carum compoſuisſe caput.

JAC. PHILIP. D'ORVILLE.

AD
PETRVM BVRMANNVM SECVNDVM
DE ENTHVSIASMO DICENTEM.

Qui, Petre, Castalii cauſas motusque furoris,
  Ac face ab aetherii pectora tacta doces,
Ipſe Camenarum coelesti percitus oestro,
  Vera vel exemplo, quae canis, eſſe probas.
Quippe hominem exuto nec jam tua verba ſonanti
  Delphicus adflarat linguam animumque Deus.
Dum modo divinae fulmen jaculatus in hostes
  Artis, ad antiquos cogis abire ſpecus:
Qua ſtupor et nugis mala mens operata canoris
  Perpetuum furvas excubat ante fores.
Ac modo Muſarum ingenuis acceptus alumnis,
  Nectar et ambroſiae promis ob ore dapem;
Paſſaque non ullos dudum praecordia motus,
  Sollicitas ſtimulis ad tua plectra novis.
Felix augurii! cui ſic in limine primo
  Contigerit famae, Petre, litare tuae.
Cernere jam videor florentia compita pube,
  Quae fontem aligeri te duce quaerat equi.
Cernere jam videor patriam ſuperare juventam
  Ardua Phocaici te praeëunte jugi.
Nos turmas animo gratante ſequemur ovantes,
  Ac tibi ter laetum pone canemus iö.

JAC. PHILIPP. D'ORVILLE.

GENETHLIACON

JANI VALCKENARII.

Nunc venuſtum funde carmen, Muſa, natus est Puer,
Natus est meo venuſtus Valckenario Puer.
Gratulantis nunc trochaei Franecam rotatiles
Mentis currite nuncii.

Valckenari, ſi qua Vatum cantibus tibi ſides,
Si quis est honor Poëtis, (est profecto maximus)
Accipe, o dilecte divis, quae calentem numine
Paean promere me jubet.

Aesculeta qui per Afra nobilis regnat leo
Capreas nunquam fugaces gignit, aut damas leves:
Est equo paterna virtus: nec columbas armiger
Inbelles generat Jovis.

Sic boni doctique doctis procreantur et bonis.
Sic puer, quem nunc trahentem casta cernis ubera,
Adſequetur gesta patris, adſequetur gloriam,
Magnis non minor in viris.

Inditus brevi ſtupendos exſeret niſus vigor,
Teque praemonſtrante firmo tramitem carpet pede,
Quem prementes priſca virtus ſegnis et nunquam labor
Arces vexit ad igneas.

Me probat Vatem colorans blandulas ſanguis genas.
Me probant Vatem nitentis bina frontis ſidera.
Lampadem cum fratre Caſtor puriorem non tenet
Stellato rutilans polo.

Saepe qualis ſit futurus ſigna dat natus recens:
Saepe cunae laeta rerum continent primordia.
Teſtis infans, qui draconum colla ſtringens parvulas
Foedavit ſanie manus.

Te tamen, Puer, [illegible] non manet monſtris decus;
[illegible] nec fronde tecto vulgus adplaudet duci.
Mitiora militantem caſtra reddent nobilem.
Et laurus maculis carens.

Ridet, en! dictiſque parvus praebet adſenſum meis.
Creſce, matris o Voluptas; o paternae ſpes domus,
Creſce; ut eruditus orbis, blande Jane, me brevi
Certum ſentiat augurem.

ERN. GVL. HIGT.

1759.

JOANNI PIERSONO

MOERIDEM

Edenti.

Laetis auſpiciis, venuste, prodi,
Graecarum arbiter elegantiarum,
Doctor Cecropiae probate linguae,
Prodi, ſplendidiorque, comtiorque,
Nec vestem maculâ inquinatus ullâ.
Tu, paucis hominum peritiorum,
Moeri, cognitus ante, literatum
Nunc orbem poteris perambulare,
Nunc quo vis pede libero vagari,
Attici geniumque gratiasque,
Pandens eloquii, tuasque dotes.
Nos, o delicium meae juventae,
Quondam traxit amor tuus, tibique
Jam manum medicam, et mihi parabam
Nomen, cum rapuit ſubortus ardor
Transverſum ex adytis novem ſororum,
Ad ſevera magis, magisque casta,
Vt tum viſa mihi fuere, ſacra.
Non tulit Deus, ac redire jusſit,
Qui mortalibus orbis in theatro
Partes distribuit, Choragus unus,
Nutum ut ingenii ſequente quovis
Scena ſic melius ſtet univerſi.

Te vero interea latente, Thomas
Ad nos luce novâ venit renatus:
Ruhnkenique operâ Platonicarum
Interpres venerum fugit latebras,
Doctorum cupidus receptis ulnis.
Quin et Grammaticos ſuper verendum
Tollit Heſychius caput vetustos,
Ac, ſpondens ſibi jam perenne nomen,
Magnum crescere opus nitore multo
Cernit; quod pariter laborioſum,
Et doctum pariter, Dei faventes
Perduci faciant ad umbilicum.
Vidit ac doluit meus ſodalis
Pierſonus, Charitum manu politus,
Pastusque a teneris lepore Grajo;
Et tu, Moeri, jaces, ait, tuumque
Ignorant homines decus, malignis
Damnatum tenebris, ſituque foedum?
Non ſinam, et maculas, librariorum
Quas ſtupor dederat, nec eruditus
Anglus ſustulerat, repûrgat omnes.
Ergo vive, tuâ, vigeque, forte
Felix; Vindicis et ferens per orbem
Laudes egregii, a nepote ſero
Famam pro meritis fer invidendam.

ERN. GVL. HIGT.

1759.

DELICIAE POETICAE.

FASCICVLVS III.

LVGDVNI BATAVORVM
Apud C. F. KOENIG
CIↃIↃCCLXXXIII.

MICH. RVTERO
Victori claſſis Britannicae.

Oceano ſervile jugum dominosque minatus,
  Et conculcato vincla pudenda mari,
Altum animis ibat ſpirans pirata Britannus,
  Ac late aequoreas raptor agebat opes.
Non illo Autolycus furacior. ipſa Celaeno
  Phineam tetigit parcius urgue dapem.
Haud tulit, et frendens animo ſubriſit amarum,
  Caeruleae Nereus fata gravatus aquae.
Hicne mihi ſubſesſor ait, regalia multum
  Carnifici doctus colla rotaré manu?
Aemule Pompejo Cilices invade, meoque
  Qui potes hanc pestem pelle, Rutere, mari.
Sit libertatis nos asſeruisſe Batavae.
  Hanc ſibi nam de te patria ſpondet opem.
Claude ſuo Tameſi, quibus aequora claudere lex est,
  Sacrilegas arce, quà patet unda, manus.
Paruit, atque obicem ſcopulumque furentibus Heros
  Se dedit, et tuto jusque fidemque mari.
Civica pro meritis minimum est, quam patria ſoſpes
  Aptat honoratis, dux memorande, comis.
Hac ſalva eſt natura manu: commercia mundo
  Reddita, ſunt Martis ſudor opusque tui.

Gloria militiae rerum pars altera veſtrae,
  Publica jam populis en mare ſtrata via eſt.

NIC. HEINSIVS.

Fragmentum

DE PACE.

Bella premunt nos cruda, premunt nos horrida, Graevi,
  Bella, nec ingenuae jam ſuper artis honos.
Obſtrepit inſanum trepidis Bellona Camenis,
  Et tuba poſthabitae ſanguinolenta lyrae.
Martius agricolis palantibus adſilit atrox
  Raptor, et immeritas fert ſibi ruris opes.
Flamma quod intactum miſeris gladiusque reliquit,
  Impetus aequoreae ſaevior haurit aquae.
Arva prius flavae Cereri regnata natantur,
  Altricem pecoris navita ſulcat humum.
Deucalioneae terremur imagine ſortis,
  Et noſtri minimum ſunt fera bella mali.
Quin coit in nimbos truculentior hoſtibus aether,
  Ejurant ſolitam quin elementa fidem.
Praeda jacent ſparſis viduatae civibus urbes.
  Heu! ubi laus Martis priſca, Batave, tui?
Arma ubi nunc, Veſper quae formidabat et Eos,
  Palmaque ab adſerto crebra relata mari?

1678 NIC. HEINSIVS.

Ex epiſtolis MSS. vide Syllogen Epiſt. Tom. IV. *p.* 554

In

FRANCONIS BVRGERSDICII

Inſtitutiones logicas.

Sic comparata ferme res mortalium eſt;
Vt qui laboris plurimum atque induſtriae
Ad promovenda ſeculi impendunt bona,
Doctaeque mentis grande et excellens opus
Chartis ſacratum plurimo dant uſui,
Hos a ſepulcro conſequatur ſera laus,
Solique capiant praemia a nepotibus.
Ita poſterorum eſt ſenſus incorruptior,
Sinceriusque judicat ſeclum ſequens,
Quam turba praeſens, quae per invidentiam
Infenſa magnis perpetim virtutibus,
Quas colere non vult, odit. haec malignitas
Loliginisque hic ſuccus excelſos petit
Viros, premitque ſpiritus ſummum ad diem.
Diverſa Burgersdicio demum meo
Favore quodam coelitus ſors obtigit;
Divina cujus ſcripta, quîs par eſt nihil,
Et nil ſecundum, mox repente ut prodeunt,
Conſenſione inuſitatâ comprobat
Quicquid Batavia eruditorum tenet,

Tereque Leida. Quae viritim ſuſcipi,
Et ubique mandant omnium teri manu,
Patriae parentes, quos penes ſumma eſt rei.
Ergo hunc beatum jure quis non praedicet,
Qui vivus illis intereſt nunc laudibus,
Quas ferre paucis funus ac cinis ſolet.

1626. PET. CVNAEVS.

I.

EV. BRONCHORSTII

Commentarium in Regulas Juris.

Perfuncte quondam laudibus cunctis ſenex,
Privâque felix luce claritudinis,
Tu, cui ſenecta portus haud ingloriae
Poterat quietis eſſe: quae cupido te,
Quis tantus ardor mente concitâ rapit,
Tot ut ſubinde grandiora induſtriae
Monumenta vulges uſibus mortalium?
Sic nempe res eſt. Dia mentis indoles,
Quanto propinquat ultimus dies magis,
Cognata cum jam viſitabit ſidera,
Deoque conjungetur et coelo ſuo;
Hoc plura tentat, quae ſuis natalibus
Condigna credit. Summa virtus haec Dei eſt,

Se publicare mundo. Is eſt par numini,
Qui plurimum auget ſeculi ſui bona,
Prodestque cunctis. Petitur hac coelum viâ.

PET. CVNAEVS.

In

EV. BRONCHORSTII

Controverſiarum Centurias.

In jure dando cum foret mortalium
Disſentientum ſumma discrepantia,
Tandem ipſa leges condidit necesſitas,
Quae rite ſcriptae ſemper uno civibus
Loquerentur ore, jusque certum redderent.
Sed has ut ingens ille Justini nepos
Conferri in unum jusſit, et ſeclum ſuum
Primus beavit dono inaeſtimabili,
Conſarcinator in gravi culpâ fuit
Tribonianus, cujus inſolens manus
Hinc inde multa transtulit, quae verius
Congesta, quam digesta nominaveris.
Hinc ſanctiore Juris in volumine
Nox ſaepe denſa, ſaepe contradictio,
Et mille rerum vortices ſunt; quos prius

Tot inter aevi grandiora nomina
Nemo univerſos vicerat feliciter,
Vis celſa donec inclyti Bronchorstii
Emenſa late est, quicquid hoc erat rei,
Legesque rurſus duxit ad concordiam,
Tenebrisque Juris praetulit claram facem.
Hanc ante partam gloriam recente nunc
Laude aggerare maximus parat ſenex,
Postquam hisce chartis explicatioribus
Res Judicatas addit, et communium
Opinionum caſibus ſuper fori
Apices feraci pectoris promit ſinu.
Sic expedivit, quicquid ante defuit
Coepto priori. Scrupulos legum parum est
Monſtrasſe, jura ni recepta junxeris.

1695. PET. CVNAEVS.

In

ANT. SCHVLTINGIVM

De M. T. Ciceronis Jurisprudentiâ dicentem,

Legum peritum qui fuisſe Tullium
Negat, parumque Jureconsultum putat,
Legum peritus hunc redarguit, ſcholae

Franequeranae magna laus, Schultingius.
Omnis ſcientem Juris, et rerum Fori
Fuisſe Marcum Tullium, hoc libro ſuo,
Ipſius ille Tullii verbis docet.
Legite hunc, periti juris, et ſententiam
Mutate vestram, ſi quis error vos habet;
Legite hunc, diſerti; ſcripſit haec vobis parens,
Auctorque verae Tullius facundiae,
Priſci peritus juris, ut fandi potens.
Vtrumque dum fuisſe Tullium probat,
Vtrumque et esſe ſe probat Schultingius.

1702. PET. FRANCIVS.

JOAN. JAC. VITRIARIO
ANT. SCHVLTINGIVM
Funebri concione laudanti.

Si quid beato mixta coelitum choro
Sentire nostri dia mens mortalium,
Si posſet ultimos honores funeris:
Schultingium, justi, bonique vindicem,
Et Christiani nominis pulcrum decus,
Fuisſe laetum laudibus, credam, ſuis,
La[illegible] ante funus nobile Vitriario.
Non quod juvaret usque in ultimum diem

Vitam referri publico exactam bono;
Quamvis et illud non inane gaudium:
Sed quod probato moribus ſanctis viro,
Laudisque ſplendidae, laborumque ſocio,
(Existimare qui vel unus noverat,
Demeruit orbem quot ſibi virtutibus)
Post fata ſentiat, et probum dici, et pium,
Mystamque Juris omnium castisſimum.
His jure laeta ſortis humanae bonis,
Anima beata! memoriae liceat tuae
Cultori, ut addat carmina haec praeconia.
Deſinite mirari, nepotum ſaecula,
Potuisſe tantas unius dotes viri
Tam lucidâ eloquî referri gratiâ.
Sic ille vixit optimus Schultingius,
Laudes ut omnes veritate profluant.
Sic vivit hic, ut ore, Vitriarius
Probaverit ſuis probata moribus.

DAV. VAN ROYEN.

Ad Fratrem

ADRIANUM VAN ROYEN.

Sic, ubi laeta ſeges precibus, duroque labori
Respondet, placido rusticus ore nitet:

Sic gaudet cum patre puer, cum conjuge conjux,
  Ad ſua ducentes horrea meſſis opes:
Et pia, luce ſacrâ, perſolvens vota, ſacerdos
  Ipſe dat agricolae ſpicea ſerta deo:
Et merito; votis, frater, ſtudioque perenni
  Conveniens, doctus cum tibi creſcit honos;
Blanda pias animi modulantia carmina grates
  Iam tibi diffuſo pectore lene fluunt.
Ecquis erit, viduae cernenti commoda nati
  Qui ſtatuet voti, laetitiaeque modum?
Gaude, dulcis anus, gaude, cariſſima rerum.
  Sis laeta alterius prolis honore tuae!
Deſiſto ſimulare: Deus, qui pectora movit,
  Qui miris toties ad mea vota fuit,
Infucata jubet producere carmina, fictos
  Nec ſinit in noſtris verſibus eſſe modos.
Gaude, dulcis anus, gaude, cariſſima mater,
  Sis laeta alterius prolis honore tuae!
Scilicet haec, memini, memorem me triſtia fata
  Fecerunt, moriens viderat ante pater.
Deficiente manu, genetrix, te cara tenebat,
  Pene meis lacrymis obrutus ipſe aderam:
Deſine foecundi, dixit, pia portio lecti,
  Planctibus et lacrymis aſpera fata queri:
Me mea fata vocant, non haec ſine Numine currunt;
  Cuique ſtat et vitae, mortis et hora ſuae:

Sic placitum: ſequimur; tamen, ut viduata marito,
Gloria ſit ſummo, non eris orba, deo.
Nec te poeniteat partus ſubiisſe labores,
Prole ſuâ ſtabit, ſit numeroſa, domus.
En puerum, dos prima tori qui mascula casti,
(Erubui, et totis ſenſibus obſtupui)
Ecce ducem puerum, video fratresque ſequentes;
Hi ſiccent lacrymas, ſedula turba, tuas.
Qui viduis conjux, deus est, deus, orba parente,
Praeſentem pubes quem pia voce rogat.
Deſiit, et facrat; praecluſaque lingua dolore
Dicere vix potuit: ſint rata vota precor.
Ah! quoties Themidos facturus ſacra Batavae,
Seu, Schagene, tuis ſancte ſub auspiciis,
Sive tuis, Zanene, aequi castisſime vindex,
Ipſe pio vovi vota paterna animo!
Ah! quoties veteris ſpatians ſub tegmine ſilvae,
Delitii, ſilvae, nobilis Haga, tui,
Carmine tentavi tenero depellere curas,
Quae variis animum detinuere modis:
Non tamen usque mihi Muſae reſponſa negabant,
At tum praecipue cum pia vota dedi:
Sint rata vota patris! (cantabam) retulit Echo,
Sive deus carmen, ſint rata vota patris:
Omine laetatus ſupplex pia numina adoro,
Et potui tremulâ, ſint rata! voce dare.

Evenere, patris modo qui dignatus honore,
  Quique ſenatoris nomine clarus eram:
Nunc meritis mihi major honos, precibusque remisſis
  Altior in patriâ contigit urbe locus.
Quâ gravis ante ſenex, materno ſanguine junctus,
  Sederat, et ſellâ quâ mihi ſanctus avus,
Conſpicior: mihi, livor edax, ignosce canenti,
  Si ſolvam facili publica vota deo:
Si, mihi Castalii dum pocula plena liquoris
  Sufficiat festâ fautor Apollo die,
Dicere ament elegi Hoogenhoukia nomina nostri,
  Alphenumque gravem, Willegenumque meum.
Te quoque, clare atavis, propriis qui clarior actis
  Iam ſummae, Hoogveeni, proſpicis usque rei.
Et tantos meditata viros, ſi grata Camena
  Scripſerit: auctus honos his mihi Conſulibus.
Ne tamen ulterius nobis dubitare liceret,
  Reſpiceretne favens vota paterna deus;
Eveniunt, titulus tibi major ab arte medendi
  Surgit, honoratâ conſpicerisque togâ.
Qui modo dilectos non ultimus inter alumnos
  Pendebas almae matris ab ore puer,
Iam juvenis (lustro bene vix, germane, peracto)
  Doctorum primus mistus es ordinibus.
Hic ſine me tibi partus honor. ſolertia ſummos
  Movit, et ingenii ſigna probata, viros

Addere Doctrinae titulos, quis rara fovetur
  Praemiaque ingenuo digna labore dare;
Illius, illustris quo gens Wasſnaera ſuperbit,
  Lex priva est nullo disſolvenda modo.
Dusſenius nimium Muſas amat ille ſeveras,
  Posſet ut ingenii qualibet arte capi.
Sunt quoque, quis Vrbi, Batavae quis cura Minervae
  Nobilis est, quatuor, conſul esſe, viris;
Qui procul et ſtudio turpi, poſitoque favore,
  (Adſpice Thespiaci tot decora ampla chori:)
Vsque ſtudent ſervare decus, famamque Lycei,
  Nomina munifico docta fovere ſinu.
His vigiles placuere tui, germane, labores:
  Inde tibi clarus conciliatur honos.
O quantum est genti, cui non ingloria ſors est,
  Posſe ſuae laudis praemia ferre novae!
Haec tibi gratamur, cui prima est gloria honore
  Palladio claram nobilitasſe domum.
O ita (ſis Princeps) Batavum ſibi docta Lyceum
  Saepius e nostra gente tributa petat.
Sic ſibi, Royenum Leidae quod Curia nomen
  Novit, et o longam noverit illa diem!
Inſertum aeternis Muſarum nobile fastis
  Perpetuet laudem, perpetuetque decus.

DAV. VAN ROYEN.

D. M.
CORN. FLOR. VAN LOOSEN.

Sic iterum noſtris horrorem annalibus addunt
  Tempora, quae dirae ſunt monumenta necis!
Sic Loſene jaces, lacerum et deforme cadaver,
  Obſcoenas referunt quem jugulasſe manus!
Da veniam noſtrae, celeberrima turba, Camenae,
  Qua viget ad Batavos inclyta Leida lares,
Da veniam, caſtas ſi forte offenderit aures,
  Asperior licitis dum fluit illa modis:
Nam novus in numeros nec opinam concitat ardor,
  Vnde ſodalitio ſanguine vena calet.
Horret ad adſpectum ſinuoſus flumine Rhenus,
  Condit et undoſo ſquallidus amne caput.
Ecquid id eſt, juvenem magna proſtrasſe catervâ?
  Proſtratoque truces applicuisſe manus?
Ecquid id eſt, crebris ſudibusve onerare labantem?
  Aut dare jam victo vulnera ſaeva viro?
Sic timida accipitris pennae ſtridore columba
  Vnguibus exſpirat facta rapina feris.
Sic perit et cervus, canibus laceratus iniquis,
  Obruta nocturnis ſic cadit agna lupis.
Sic quoque Palladias quondam Schröderus ad aras
  Occidit, abjecti victima foeda gregis.

Abſit, ut haec ſancti ſint juſſa verenda ſenatus!
  Non fluit a tanto lex male lata foro.
Abſit, ut ille fidem miſeris nebulonibus ullam
  Praebeat, aut vulgi comprobet acta levis!
Talia mendicus latret convicia miles,
  Militis hic titulo ſi modo dignus eat.
Talia plebejae ſint ſomnia vana catervae,
  Dumque colum verſat, garrula narret anus.
Maecenas aequi praeſes, Ruckere, ſenatus!
  Quem fovit proprio candida Diva ſinu;
Vos quoque, queîs Batavi commiſſa est cura Lycei,
  Aurea Palladio pectora cara choro!
Infandum punite nefas: et ferte Minervae,
  Dum queritur, ſubitam (namque poteſtis) opem.
Iſta per exanimi manes optamus et umbram!
  Ne deſit cineri paxque quiesque ſuo.
Iſta quidem lacrymis genitrix expoſcit, ademtum
  Quae natum paſſis fletque gemitque comis.
Vos quoque defuncto, cariſſima turba, ſodali
  Conſue lethiferi taxea ſerta jugi.
Ferte, decet, frondes, et amari inſignia luctus,
  Infelix tumulo quas cypariſſus alit.
Ducat in Elyſiis ſic otia grata viretis!
  Inque cubent patrio molliter oſſa ſolo!

JAN. VAN AALST J. V. S.

1757.

DELICIAE

POETICAE.

FASCICVLVS IV.

LVGDVNI BATAVORVM

Apud C. F. KOENIG

CIↃIↃCCLXXXIIII.

IN IMAGINES

LIBERTATIS PATRIAE

DEFENSORVM.

Vivida nobilium qui conſpicis ora virorum,
  Quos pia Mentoreo ſculpſit in aere manus,
Ecquid inardeſcis non degener, et ſacer horror
  Te quatit exoſum vincula ſervitii?
Jure cales. Batavum calor hic decet. Ecce tabellas:
  Credideris mutos libera verba loqui.
Publicolas Brutosque vides. Frendentibus Anglis,
  Hos habet indigetes Patria noſtra Deos.

Cantus cycneus.

1783. JAN. GROTIVS.

D. M.

NICOLAI HEINSII.

Tacete, Muſae, et omnis eruditior
Pindi clientum turba ad hunc tumulum tace.
Alibi canoris eſſe, ſi libet, licet,
Alibi diſertis: ſolus hic regnet ſtupor,
Et horridum ſuſpiriis ſilentium,
Et vim dolendi ipſam ipſe ſuffocans dolor.

Qui nempe verbis poſſet aut flendo loqui,
Iniquus omnis, indecens, ineptius,
Indignus eſſet Heinſio luctus meo.

CONST. HVGENIVS.

PETRO BVRMANNO
Carmen Seculare Academiae canenti.

Pulcrior coelo nebulà fugatà
Phoebus exſurgit, fidibus canoris
Suscitans Muſas vocat, ut reviſant
Atria Leidae.

Ad diem feſtum rapit ignis idem,
Ducit et ſecum ſacer ordo ſuaves
Gratias, Suadam, Venereſque Grajas
Atque Latinas.

Artium mater, ſapiens Minerva
Attulit ſummum pretium laborum,
Gloriam; virtus, honor, atque fama
Hanc comitantur.

Omnis aſſurgens chorus ille Petro,
Hunc rogat, cantet ſolitis parentum
Laudibus veros Batavi Lycei
Laetus honores.

Inchoat vates, tumidoque Phoebum
Pectore excuſſit, ruit acer, actus

Numine interno, memorans Batavi
Sidera coeli.
Igneus Muſae vigor haud moritur
Semidoctorum numeros virorum:
Alta ſed, nugasque fugare ſueta,
Scandit olympum.
Candidas felix animas poëta
Devocat coelo, Batavisque reddit,
Magnus a Dovzâ venit ordo, claudis
Hunc Perizoni.
Carpit, o ſolers! propriasque cuique
Quas dabit laudes? meritamque factis
Gloriam juſtus tribuit; nec ultra:
Vilia ſpernit.
Acer hic ſenſus dominatur; ornat
Mente conceptum lepor, et venuſtas;
Quam fluunt dulces numeri, modique
Auribus apti!
Euge! ſic fulgens Academiae laus
Nititur ſolà celebri docentum
Ingenî famà: dabit haec opima
Caetera dona.
Leida, ſi felix, tua dona noris!
Fida dum Muſis ſtatio vocaris,
Grata ſis! namque hinc tibi vera virtus,
Ars, honor, aurum.

En! habes vatem veteres canentem
Carmine Heroas, ſimul ille monſtrat,
Omnium laudes ſibi largiendas,
Judice Phoebo.
Elicit Pindo, vocat ille ab Haemo,
Ducit et Muſas Patriae per oras,
Ad tuum Rhenum modulis ſonoris,
Ducit ab Hebro.
Talia Eurotas didicit beatus
Ad pias ripas meditata Phoebo,
Inter argutas crepitante fronde,
Carmina, lauros;
Talia audivit, ſtupuitque Caeſar,
Dum canit Romae peritura nullis
Saeculis, Grajas ſuperans Camenas,
Muſa Maronis.
Vivito felix! juvenumque mentes
Nectaris ſucco liquido imbuas! ſic
Grata te praeſens celebrabit aetas,
Poſteritasque!

HERM. BOERHAAVE.

ADRIANO VAN ROYEN
ADR. JOAN. WESSELIAM

Domum ducenti.

Phoebus, ut vidit numero carentes,
Hortulus turgens Batavi Lycei
Quas alit, ſtirpes, hic agellus, inquit,
Orbis imago,
Cogit incluſas ſpatiis iniquis
Copias terrae; ſatis eſt alumnis
Artis inventae mihi, ſolus ille
Sufficit orbi.
Mox, ubi certâ ſerie locatos
Ordines harum ſpeculatur, artis
Lege, naturâ ſimiles, reductos
Ad ſua ſigna,
Dignus, exclamat, meus Adrianus,
Pervigil cultor placiti laboris,
Quem vehat clarum meritis in aſtra
Palma decora!
Artis inſtrumenta docet, refertque,
Pectori inſtillans docilis Juventae,
Priſca quae laudat, ſapiensque ab uſu
Serior, aetas.

Si quid Europae gremio ſalubre
Naſcitur, campis Aſiaeve opimis,
Omne, quod nuper tribuére largi
    Afer et Indi,

Condit, et promit, patiens laborum,
Perſpicax veri, pretiumque rebus
Callide ponens, ſapienter aptat
    Vtile dulci.

Pangit et carmen, mihi quo probavit
Spiritum, et venam: ſimul unus omnes,
Quas amo primas, propriasque laudo,
    Poſſidet Artes.

Ergo dilectum caput ipſe cingo
Laureâ, innexis ederis, coronâ;
Silphio raro, atque oleae Minerva
    Frondibus ornet.

Stabat ornatus juvenis, neque ultra
Eſt, quod exſpectet, pretium laboris,
Stabat inſignis titulis in altâ
    Palladis aede.

At Dei riſit minus uncta dona,
Per Jocum jurans, vegeto et valenti
Aptius pignus modo ſe daturam,
    Pulcra Dione.

Gratiis nata auſpicibus puella,
Moribus ſanctis, placidiſque mente,

Apta quae caſtos oculis pudicis
    Paſcere amores,
Sermo mellitus fluit huic venuſto
Ore, dum fundit placitura verba
Auribus divûm, niveaeque mentis
    Candida ſigna,
Prodit, en, fama celebrante major,
Digna, quae primam merito jugetur,
Hos Hymen jungas, venit, euge, praeſens,
    Veſſela Nympha!
Haec levet triſtem facie ſerenâ!
Dulce ridendo fuget illa curam et
Dulce narrando! Comes illa ſit ſua-
    viſſima vitae!
Brachiis ſtringens abeuntis artus,
Oſculis blandis venientis ora
Mulceat! felix modo ſi maritum
    Spectat, et audit.
Laſſus, in laetis operatus herbis,
Integret vires epulis paratis
Conjugis curâ, ſociâque menſae
    Gaudeat almâ!
Pax toro concors, amor, et voluptas,
Gaudium conſtans, jocus, et juventa,
Denique et ſomnus placidus, ſalubris,
    Semper adeſto!

Munera expertus mea dicat ipſe,
Dulcius ſi ſit calidis peruri
Solis aeſtivi radiis, patique
Frigora noctis?
Ramus an Daphnes, oleaeve canae,
Si laſer ſiccum, viridisve palma,
Plus juvent gnarum, et calidum juventâ,
Quam mea dona?
Quam ſoni fracti, ambiguae repulſae,
Suaviter victae queruli ſuſurri,
Baſia, amplexus, oculique putres
Nectare amoris?
Annuit Phoebus. Venerisque Pallas
Hoc probat; quamvis Cythereae iniqua
Semper. Hinc Muſae reſonare cogunt
Plauſibus aulam.
Gratiae, et Nymphae, violas roſasque,
Lucidis myrti foliis nitentes,
Adferunt, flores croceos et inter
Lilia odora.
Ipſe felices Hymenaeus altum
Ducit ad lectum, recinunt canorae
Virginum voces, juvenumque mixtae: e-
ſtote beati!
Fertilis conjux pariat marito
Liberos, in quis vigeat parentum

Spiritus! ſitque hinc Patriae bonorum
Certa propago!
Stirpe Royenâ redeat Minervae
Fida tutela, et Patriae ſaluti
Sacra, in aeternum celebranda, Groenendykia virtus.
Hinc ſenectuti placidum levamen
Patrias artes bene docta proles,
Pulcrior ſemper, meliorque, ſpes haec
Optima vitae.
Sera vos tandem numero beatorum
Inſerat virtus! Superetque clarum
Poſteris nomen, ſtimulusque ad altos
Acer honores!
Verba ſinceris ſociata votis
Integer canto; meritoque amicus
Vt fui, re ſic dubiâ, atque certâ,
Semper et idem.

1734. HERM. BOERHAAVE.

ADRIANO VAN ROYEN
ADR. JOAN. WESSELIAM
Domum ducenti.

Tene ego fragranti redimitum tempora myrto,
Dimidiata animae pars, Adriane! meae;

Tene ego felicem, te terque, quaterque beatum,
Cum poſſim argutis dicere carminibus;
Invidioſa meae quaeram argumenta Camenae,
Quis taciturna tuo ſacra die faceret?
Non ita: ſeceſſum quamvis et commoda quaerant
Otia perpetuum carmina digna legi.
Non ita, creſcentes mediâ licet urbe labores
Me teneant, curas detineantque meas,
Muſicus exceſſit toto mihi pectore fervor:
Vt verear facili plectra movere manu.
O valeat! caſtas potuit quicunque puellas
Et faſtu, et curis deſeruiſſe novis.
Plectra olim primae grata inſtrumenta juventae!
Plectra mihi quondam grata futura ſeni!
At tum praecipue gratiſſima munera, honori
Carmina cum licuit dicere laeta tuo.
Dicimus, en! fauſto ter et amplius omine chordae
Reſponſura ſono commoda verba fluunt.
Sponſe! novum nomen! quo non ego gratius ullum
Adpoſui titulis, care Adriane! tuis,
Dulce ſonat, votisque favens tibi rite peractis,
Nil quidquam precibus ſivit abeſſe meis.
Ergo ſollicitos aliorum ſemper amores
Carminibus ludes, culte poëta! tuis?
Et pia legitimi celebrabis foedera lecti,
Oſculaque, et caſto gaudia juncta toro?

Ipſe velis vegetam tenero ſine amore juventam
  Securus tacito praeteriiſſe pede?
Ipſe velis doctos inter pallere libellos?
  Et vitâ nunquam commodiore frui?
Cui tantum inſudas? cui tot, variosque labores
  Difficili ſolus ferre tenore cupis?
O! quoties dixi, neſcis, temerarie! neſcis,
  Dulce jocans quantum ſublevet uxor onus.
Eſt aliquid ſolitos collo ſenſiſſe lacertos,
  Oſculaque eſt aliquid ſponte data accipere.
Eſt aliquid, libros, veniam tamen ante precatae,
  Conjugis ut carae claudat amica manus.
Et duros inter, ludentum, audire labores,
  Quid ſibi natorum turba jocoſa velit.
Et ſignare oculis, animo et ſperare ſagaci,
  Quos feret hic fructus, praemiaque ille dabit.
Haec ego te monui, monitisque faventia junxi
  Vota tibi, ut poſſis tanta videre bona.
Annuit inpletum toties prece ſupplice coelum,
  Annuit, et fauſto ſponſus ades titulo.
Jam vigiles cupidi cruciantes pectus amantis
  Diffugiunt curae, diffugiuntque metus.
Ecce Joci dulces, arguto lumine Riſus,
  Luſus, et è Paphiis oſcula nata roſis,
Advolat haec inter nitidis Amor aureus alis,
  Et nectunt capiti ſerta decora tuo.

Spargit Amor blandus metuentem frigora myrtum,
Prima pati renuunt frigora myrtus, Amor.
Imber odoriferos magnâ vi verberet hortos;
Auferat et teneris floribus omne decus;
Ipſa, ſacris quas alma ſui ſervavit alumni,
Dimittit gremio divite Chloris opes.
Ergo agite! o juvenes! ſacras accedite ad aras,
Thura crepant mediis ignibus, omen ineſt.
Jungite concordes feſtivo foedere dextras,
Stetis compoſitis ante deos manibus.
O! ita conjunctis animis bene vivite, ſanctus
Legitima ut vobis vincula nectit Hymen.
Sic ſors laeta fluat, contentaque ſimplice voto
Sic bene pax placidos incolat alma lares;
Sic ego, ſic dulcis mecum mea Berghia, fructus
Fraternae poſſim carpere amicitiae.
Haec deus ipſe jubet, multo qui vinxit amore
Fraternos animos, haec deus ipſe jubet.
Haec pudor, et nullo fucata modeſtia faſtu,
Haec ſpondent mores, candida virgo! tui.
Haec pietas nobis, virtus tua maxima, tanto
Filia quem redamas digna parente, probat.
Adſis! unanimi generis felicia fata,
Quod ſub femineâ crevit amore manu,
Promoveas! multo ſic longum ſtabit amore
Ruytenburghiaco ſtemmate Weſſelia!

Par bene compoſitum! juſtis par nobile votis,
  O Adriane tuis! O Adriana tuis!
Ecquid votivis ſuſpendo mutua amantum,
  Plena cupidinibus, gaudia carminibus?
Ludite concordes, et qui tua nomina miſcet,
  Luſibus incaleat, blanditiisque torus.
Ludite foecundi juvenes, ſic prole beata
  Stet longum, et multo fulta nepote, domus.

1734. DAV. VAN ROYEN.

PETRO GYS

ET

MARIAE VAN DEN BERGII

Quintum conjugii luſtrum celebrantibus.

Si, qui ſolutus legibus latis, Deus,
  Fons aequitatis purus eſt,
Concederet cuiquam ſuae mortalium
  Sortis modum praeſcribere:
Juvenisque, ad aſtra ſupplices tendens manus
  Timore plenus numinis,
Fructus, rogaret, redderent ſibi ut ſuos
  Jam rura quondam culta avis:
Sanctisque virgo moribus pulcherrima,
  Facieque honeſtâ amabilis,

Conjuncta ſecum dulcis ut vinclo tori
  Dies quietos duceret:
Pio foverent maſculam prolem ſinu
  Mater, paterque amplexibus;
Qui moribus probus, docilis et ingeni,
  Matri, patrique gaudium:
Haec dum videret, ipſe factus jam ſenex,
  Non absque honore viveret.
His annuiſſet ſi bonus votis Deus,
  Probaſſet eventu et preces:
Quis non beatum maxime mortalium
  Juvenem hunc ſenemque duxerit?
Vides tabellam, noſtra quam pinxit manus,
  Placentque ductae lineae,
Amate Gyſi! ſimplici non copulâ
  Adſtricte noſtro pectori.
Placere laetor, et placere Conſuli,
  Patrique prolis maſculae,
Viro marito conjugis ſuaviſſimae,
  Rebusque contento ſuis;
Tibi placere, te, tuasque dum cano,
  Gyſi! beatitudines.
Vt nuptiale ſaeculum licet tibi
  Deo favente condere.
O! ſi ſoluto publicis negotiis,
  Solique reddito mihi,

Canora doctae fila grato pollice
  Lyrae daretur tangere;
Conjuncta nervis fauſta vox ſonantibus
  Cantaret argutum melos,
Te, vere primo floridae puertiae,
  Aeſtate maturâ virum,
Venére ut autumni graves fructu dies,
  Te laude juſtâ diceret.
Sumtâque carmen creſceret mihi a togâ,
  Tui laboris praemio.
Jam ſella judicis, et ſenatus dignitas,
  Et amplitudo faſcium,
Referre nomen me juberent Gyſium
  Sublimiori ſpiritu.
Matrona, quâ non altera eſt metuentior
  Dei Deorum maximi,
Quae, ſi quid ardentes preces matris habeant,
  Piaeque lacrymae ponderis,
Servaſſe votis imminentis filium
  Credenda lethi è faucibus.
Matrona ſanctis nobilis virtutibus
  Vxoris exemplar piae,
Tu ſola noſtri inſigne carminis decus
  Foresque materies lyrae,
Vt es ſororum cura tenera, honos domus,
  Amorque verus conjugis.

O quam juvaret diligentem me tui,
  Flos, et juventae gloria!
Felicitatem ſortis ingenuae tuam
  Cultis monere verſibus.
Nunc luce ſacrâ cum tacere me pius
  Amoris ardor impedit,
Delineaſſe mihi tabellâ ſit ſatis
  Sortis beatae imaginem,
Collata veſtrae tota cum reſpondeat,
  Par conjugum lectiſſimum.
Mecum agite, tantis quîs frui licuit boni
  Per quinque luſtra condita,
Deo peragite ſempiternas gratias,
  Et mente candidâ et manu.
Benignitatem de die in diem novam
  In vos referte laudibus.
Sic fila vitae lenta qui produxerit,
  Et vos ſalute cinxerit,
Sic rem domumque qui potens adauxerit
  De ſede ſublimi Pater
(Pietate candido fluenti pectore
  Gaudet enim, et immotâ fide,
Solo in receſſu mente dictas ſupplici
  Exaudit et lenis preces)
Vos explicabit omnibus moleſtiis,
  Secum ſenectus quas trahit,

Natumque, veſtra qui voluptas unica eſt,
  Et una cura, unus et amor,
Timore veri pectus incoctum Dei,
  Rectique amore ſimplicis,
Aetate primà, quae decent virum, artibus
  Tinctum ſeverioribus,
Servabit omnibus, innocenti quae imminent
  Puertiae, periculis,
Illique ſcripta conferet colentibus;
  Pie parentes praemia.
Sic ſera tandem ut illa venerit dies,
  Laboris omnis terminus,
Vitalis aurae leniter quà ſpiritus
  Feſſo recedit pectore,
Orbata luce comprimuntur lumina
  Nati manu piiſſimà,
Tunc mens ſoluta corporis vinclo gravi
  Et pura Chriſti ſanguine,
Recepta coeli ſede formoſiſſimâ,
  Mentis beatae patriâ,
Audita non unquam aure, nec mortalium
  Quae lingua proloqui valet,
Immixta dicat coelitum ſancto choro
  Divina ſemper carmina.
Deumque tollat laudibus, celebret Deum,
  Deumque tota concinat,

Et maximum optimum, patremque, filiumque
Et ſpiritum ſanctiſſimum.

1735. DAV. VAN ROYEN.

AD

JOANNEM VAN DEN BERGH
AGNETAM JAC. VAN DEN BERGH
ANDREAE CVNAEO

Filiam deſpondentem.

Berghi! mearum ſplendor, et rerum decus.
Colende Berghi! vel mihi patris loco.
Lucente feſtis atrio tibi ignibus,
Dum nata natu minima voto candido
Juvenis mariti virgo tranſit in manum,
Miſcere vatum en fronte diffuſâ choro
Se Muſa geſtit verſibus piis mea.
At non ut altis (blanda quamvis rideat
Sors ipſa, plurimâ petita olim prece)
Vir magne! nomen efferat tuum modis:
Dicatve carmine poſteris digno legi,
Virtute candidâ, laboreque improbo
Vixiſſe te civem optimum Patriae bono.
Suſpenſa, non vano et timore forſitan,

Ne livor ultro ſe laceſſitum putet,
Negligere clarum hoc carminis malit decus:
Minus faceta quam minus cupit pia
Dici, domeſtica ut facit ſacra Pieris.
Laudare ſaltem proſperam ſortem domus
Fas ſit poëtae, luce cui licuit bonâ,
Junone fauſtâ, inſerere ſe genti tuae:
Fas ſit poëtae, candidâ modeſtiâ
Solvere benignis publicas grates deis,
Favére ſummis qui tuis laboribus
Patriae ſalutem propter exactis rati:
Quique, ut ſenectae gravior obrepit dies,
Ad vota mites tua dedere, maſculis
Videre ſuffultam nepotibus domum,
Laetantis ante qui pedes ludunt avi,
Dulcique flores congerunt materterae:
Laſcivienti dulce ridentes manu
Sparſiſſe gloriantur in ſponſae comam
Foliis roſarum myrteum mixtum nemus,
Sponſumque, ſponſamque avolantes clamitans.
Juvat videre, mitium ô ſenum decus!
Agilis puertiae jocos innoxios
Vultu ſereniori, et aure non gravi
Accipere; fallor? an futuri provida
Mens audet argutis jocantum è luſibus
Conjicere, veniens quid boni ferat dies?

Laeta ferat! impleantque ſpes aequas avi!
Et, vota vatis ſi ſuos habeant deos,
Agneta raris pulcra virgo dotibus
Viri calor juvenis, et amor, et gaudium,
Cupidâ ſoluto vinculo ſponſi manu,
Innexa ſtrictis jamque jamque amplexibus,
Foecunda ſurgat mater e viri toro!
Sic tibi peractis augeatur menſibus
Numerus popelli maſculus domeſtici,
Cui, ſive doctis impetu Sororibus
Sacro vovere ſe volet, ſive gladio
Armata juſto dexteram Themis magis
Placebit, optimatiumve liberis
Votis honoratos ſibi faſces volet
Sperare non remiſſiori pectore,
Imitanda praeſto exempla erunt domeſtica,
Cunaea geſtis clara gens honoribus
Paterna quae dabit, dabitque Berghia
Gens Conſularibus coruſca faſcibus.
Inhibet pios Camena dulcis impetus,
Lyramque ponit, ſupplici hac dicta prece,
Vt tu, mearum ſplendor, et rerum decus,
Berghi colende vel mihi patris loco,
Patriae ſuperſis laetus, et genti diu!
Redeas ad aſtra ſerus, et vitae ſatur!

1735. DAV. VAN ROYEN.

EMBLEMA.

Tranquilla in ipſis vexationibus Innocentia.

Vate pio preſſam nimbis gravis obruit alnum
  Imber et irato fulmina rupta polo.
Naufraga vexatae laxantur membra carinae
  Fluctibus! optati Caſtoris aſtra latent!
Aſt cladem hanc carae ſolatus amore puellae,
  Argutum Vates pollice verrit ebur.
Aeole, quid fruſtra ventorum flamina torques?
  Quid, Nereu, tumidis frena remittis aquis?
Perſtat io! in mediis Virtus immota procellis,
  Aequoris horrendas ſpernere docta minas.
Sic fortes Fortuna juvat, mundique ruinam
  Excipit intrepido pectore fidus Amor.
Nil mirum! Servat Veneris tutela poëtam,
  Qui caſtae Fidei foedera ſancta colit!

1771.

HVGONI GROTIO SACRVM!

Prodigium Europae, docti ſtupor unicus orbis,
Naturae auguſtum ſe ſuperantis opus;
Ingenii coeleſtis apex, Virtutis imago,
Celſius humanâ conditione decus;
Cui peperit Libani lectas de vertice cedros
Defenſus verae religionis honor;
Quem lauru Mavors, Pallas decoravit olivâ,
Quum bello et paci publica jura daret;
Quem Tameſis Batavae miraclum et Sequana terrae
Vidit, et adſeruit Sueonis aula ſibi;
Grotius hic ſitus eſt; Tumulo discedite, quos non
Muſarum et patriae fervidus urit amor.

PET. BVRMANNVS SECVNDVS.

Delphis, ſepulcro inſculptum.

DELICIAE POETICAE.

FASCICVLVS V.

LVGDVNI BATAVORVM
Apud C. F. KOENIG
CIƆIƆCCLXXXIIII.

DELICIAE POETICAE.

A D

JOAN. ANDR. CVNAEVM.

Leidanae decus inclytum, Cunaeë,
Curiae, gravis et probus ſenator,
Prudens mens cui rerum, et in ſecundis
Horis et dubiis reperta recta;
Viſa cui, titubante mente Patrum,
Majeſtas Procerumque vindicanda,
Dictis imminuenda nec protervis,
Civium ſimul et tuenda jura.
Quod nunc, prô pudor! haud fatentur omnes,
Tu, quicunque terunt humum Batavam,
Amas dicere liberos paresque.
Vetuſtiſſime de meis amicis,
Quotquot Leida pio ſinu recondit,
Nulli poſteriorque caritate;
Fide nec dubiâ mihi probate
Ope et conſiliis tuis egenti.

Horae jam tibi ſi qua pars ſuperſit
Curis, quas geris, urbis a regendae;
Mente ſi quod ab otium colendâ
Robertſonius, et tuus Thuanus,
Par et Br[illegible]ius hic honore noſtras,
Verſus perpete quos manu, relinquunt,
(Sic proles tua, Petrus, Everardus,
Doctrina referant Petrum priorem,
Auctorem generis tui Cunaeum;
Vrbe vel referant patrem beandâ!)
Nugis paſcere Muſicis, precamur,
Inſcribi ſine nomen et libello,
Qui, quicquam mea vota ſi valebunt,
Tritus ore hominum politiorum,
Annis unius haud peribit aevi.

Pro tibi meritis tot hunc habeto,
Pro tot officiis, amore plenis,
Totque amicitiae notis benignae,
Queis dudum cumulare me ſolebas.
Fronte nec leve ſperne munus altâ;
Praeter carmina nil habet poëta,
Mentem quo memorem probare poſſit.

SANTENIUS.

Epitaphium

BEVEROVICII.

Lex hic medendi, ſanitatis regula,
Salus ſalutis civium, vitae artifex,
Mortis fugator ſedulus, victor ſuae,
Scriptis ſuperſtes ipſe poſt mortem ſibi
Dordrechti Apollo et Aeſculapius jacet.

DAN. HEINSIVS.

In Athenaeum

AMSTELAEDAMENSE.

Priſca locum dare ſueta novis. ſtat nomine magno
  Leida vetus. creſcunt, quas ſua fama manet.
Vna ſed ante alias urbes hac laude ſuperbit,
  Amſtela quam junctis Yaque lambit aquis
Divitias gemini quae poſſidet aurea mundi,
  Cui dat Eous opes Heſperiusque ſuas.
Nobilis imperio rerum, quas continet orbis,
  Orbis et imperio tollere digna caput.
Vrbs populis anguſta ſuis, licet aedibus altis
  Lucida contempto ſurgat ad aſtra ſolo.

Et tantum tamen ima petit, quantum exit in auras;
Vrbs Veneti cedas ambitioſa maris
Merx una huic deerat, quâ jam bene dives abundat:
Doctrinae incedit nunc quoque celſa bonis.
Mercurio ſtaret ſolo cum praeſide quondam,
Praeſidium Pallas junxit amica ſuum.
Mercurii famulos numero comprendere non eſt:
Tres ſibi ſacravit dia Minerva viros.
Poſtmodo major erit numerus, tempusque futurum eſt,
Quo petat hinc cultum docta juventa ſuum.
Auguror, an Batavas premet olim major Athenas,
Dote aliâ ut nullam novit habere parem.

CL. SALMASIVS.

FREDERICO BENEDICTO CARPZOVIO
ET
ANNAE ELISABETHAE JEGERS
Sponſis.

Humano generi ſalubre numen,
Cypron quae Zephyro colis patentem,
Cujus florida ſunt Cythêra regnum:
Ingens nunc, dea, ſe tibi triumphus

Spondet, gloria nunc paratur ingens.
Praedam non humilem tuus Cupido,
Plebis nec ſpolium quotidianae,
Certo trux puer aſſecutus arcu eſt:
Totâ conſtitit hic labor pharetrâ.
En Carpzovius ille, qui Minervae
Prae cunctis tetricae deis ſtudebat,
Vt jam non ſimilis ſibi ſit ipſi.
  Tandem nubila cede ſolitudo
Lecti coelibis, horridaeque noctes,
Vos cum Socraticis valete chartis.
Noctes ſollicitae, perenne frigus,
Et vos difficiles abite curae,
Pallas quas ſibi docta vindicabat.
Veſtras ſarcinulas habete vobis,
Lychnos, ſcrinia, ſepiam, papyrum,
Mentis carnifices ſopore caſſae.
Lucubratio ferietur omnis:
Alterni Chariſin ſuis lepores,
Et ferae Venus imperet lucernae.
Hinc, hinc ocius ociusque abito,
Inquam, qui tacitas vorax medullas,
Aegrum qui penitus cor exedebas
Aeſtu perpete litteratus angor,
His cum ſarcinulis. habet; peractum eſt:
Regnant gaudia praeferenda vobis.

Plus vobis dominae papilla lactens,
Et compar niveo ſinus liguſtro,
Plus cum flexanimis poteſt ocellis
Quae cervix ebur aemulatur Indum,
Et pexi teres annulus capilli,
Et quas carmine nullus illecèbras
Nullus delicias amator aequet.
Plus ah ſuaviolum poteſt vel unum.
Noctes quot periere nil agendo!
Pallas da veniam ſevera ſaſſo.
Caſtris transfuga nunc tibi relictis
En Carpzovius inquieta damnat
Lecti taedia ſe ferentis unum.
Tot diſpendia noctium gravatus,
Curas tot vigiles inane nomen
Vltro devovet, exſecratur ultro.
Saecli nunc feret arbores futuri,
Stirpem laudibus aemulam paternis:
Et quos Curia, quos Senatus auſpex
Multo promeritos honore tollant:
Dextrum quos Themis hinc avita numen,
Hinc Phoebo duce cum ſorore Phoebi
Muſae reſpiciant amoeniores.
In formâ dominae ſtupet nec unâ,
Vitae deſidis otioſus auctor:
Non ſemper placitis inhaeret ulnis,

Aut pendet patulo ſalax ab ore.
Sed cum Pallade dividens Dionen,
Jucundiſſima quae viciſſitudo eſt,
Noctes dat Veneri, dies Minervae.
Ad Tritonidis acrior palaeſtram
Poſt haec ludicra laetiorque ſurgit.
A complexibus oſculisque multum
Doctus jugibus incaleſcit ardor.
Hanc charta ambroſiam venuſta ſpirat;
Hoc facundia nectar hauriendo,
Oeſtro percita ceu ſit entheato,
Terris aethera concipit relictis.
Oblectamina quid diurna narrem,
Immunes quibus erogantur horae?
Nunc ſtipendia luculenta dotem
Sollers ponere, quaeque parta miles
Ductu ſub Paphio merebat aera,
Ne cenſus male deteratur obſtat:
Quin et Mercurio probatus aequo
Lucri praemia tollit adfluentis.
Nunc lautos opibus ſuis dat uſus:
Caris tempora nec negans amicis
Curam ſed modico domat Lyaeo.
Quali ſeria tunc joco renident!
Muſae dicite, dic Minerva, quaeſo,
Turbae de numero quis eruditae

Sortem fert genialius beatam?
Omni en commoda pleniora voto.
I nunc, quisquis es, I novem Camenis
Excluſo invigila, miſelle, ſomno:
Mentem lumine, pallidoque morſus
Carpentes animum profeſſus ore;
Vivum prae macie merà cadaver.
I pernox ſterili vovê Minervae
Moeſti frigida regna coelibatûs.

1676. NIC. HEINSIVS.

AD

LVDOVICVM XIV

De hibernâ ejus in Burgundiam expeditione.

Intempeſta patet ſubitis dum bruma triumphis,
Et tibi tam faciles praeſtat in arma deos;
Fulminei genus ecce novum, Rex unice, Martis
Saecula, quod ſtupeant, quodque imitentur, habent.
Tanta parum nobis miracula credimus ipſis,
Et veram ſuperat gloria parta fidem.
Oppida tot munita manu, nec pervia ferro,
Vix transcurrentes ſuſtinuiſſe minas.

In palmam frondere nives, in ſerta pruinam
  Vidimus effoeto luxuriare ſinu.
Imperii legem placidam, Martisque ſerenum
  Sidera ſenſerunt atque elementa tui.
Victus Iber pars parva novi, Rex magne, tropaei eſt;
  Cum Natura jugum diſcat et ipſa pati.
Qualem aeſtas laurum, capiti quos ſpondet honores,
  Cui tantum decoris verna parabat hiems!

NIC. HEINSIVS.

Vide Heins. epp. mss. ad Graev. ep. 51. p. 108. de hoc epigrammate ita Graevius tom. IV. Syll. p. 67: *Carmine tuo, cujus copiam mihi feciſti, nihil terſius, nihil rotundius, nihil divinius, ita me Muſae ament, legi a longo tempore. primas fert inter omnia tua epigrammata Mallem ego ejus auctor eſſe, quam illam laurum meruiſſe, quam praedicas.*

EVERHARDO BLEISVICIO

Viro Conſulari,

Delphorum, urbis Patriae, antiquitates illuſtranti.

Stirpis vetuſtae, ſaeculoque non uno
Notae Batavis laus decora, Bleisvici,

Tot Conſulum propago, et ipſemet Conſul;
Quodcumque honorum, commodi ante quodcumque
In te tuosque patria alma congeſſit,
Quodcumque collatura commodi porro eſt,
Chartis abunde tam bonis repenſaſti:
Obliteratos civitatis annales
Vindex avitae, totque geſta dum famae
Adſerta reddis, tot ſitu tenebroſae
Oblivionis evoluta das noſci.
Pietatis o certamen inclytum alternae,
Gens mutuentur unde poſtera exemplum!
Quanti hac papyro debitum aeris expungit
Bleisvicianae germen aureum ſtirpis!
Vitae atque honoris ecce, quem quod accepit,
Proles parenti grata pius remetitur.

NIC. HEINSIVS.

Imago

D E L P H O R V M.

Vrbs populos inter tibi tertia ſorte Batavos
  Hic datur, artifici ſurgere juſſa manu.
Multus ubique nitor; privati ſive penates,
  Sive trahunt oculos templa forumque tuos.
Circum prata virent, foetumque rigentibus undis
  Tondendum pecori ſufficit uber humum.

Hanc, catus invideat cui Ser, figulina frequentat:
  Huic opifex artes dextera mille parit.
Armipotens Moſae ſociat dum Corbulo Rhenum,
  Huc geminas egit moenibus auctor aquas.
Sin dubitanda fides annalibus; aſpice cives,
  Culta tot ingenii pectora dote ſui,
Quae Delphis habitat Paean praelata vetuſtis;
  Eſſe hanc Romanum jam fatearis opus.

NIC. HEINSIVS.

CORNELIVS TROMP.

Neptuni ſoboles, hoc Trompius ore Batavus,
  Et patrii plenus numine Martis, erat.
Ipſo dextra viri ſpirat vel in aere triumphos:
  Stragem hoſti gladius quo minitetur habet.
Hunc merito peperiſſe Thetis ſibi mallet, Achille,
  Cui mare plus decoris, quam tibi Troja, tulit.

NIC. HEINSIVS.

JOHANNES RVTGERSIVS

Guſtavo Magno a conſiliis et legationibus.

Guſtavo en gratum Magno caput, ille probati
  Regibus eloquii conſiliique potens,

Cor Veneris Latiae Rutgerſius, Attica Pitho,
Quem Cirrha aſſeruit, nec minus aula, ſibi.
His fretae auſpiciis populatrix Parca juventae
Maxima ſpondentem rupit iniqua colum.
Tot merita heu! meritisque dati feciſtis honores,
Vt mors flebilior tam properata foret.

NIC. HEINSIVS.

AD

RVLANDVM KINSCHOT

Supremae litibus judicandis Curiae Aſſeſſorem.

Laus ſpectata foro, nec avitae degener artis,
Sive Erato curae eſt, ſeu Themis alma tibi,
Sollicitae, Rulande, togae largire reisque
Otia, dum noſter te ſibi Pindus habet.
Non ego, res vacuam ſed publica flagitat aurem.
Geſta, fidem quamvis non habitura cano.
Ecce ducem, patriae modo qui pereuntis habenas
Et victrice regit jura renata manu:
Qui Celtis tam flenda gerit, tam flenda Britannis,
Quam Libertati bella decora ſuae:
Qui proſtrata levat juvenilibus arma lacertis,
Et fovet attritam clade miſertus humum:

Poſt conclamatam qui ſpes, qui vita, ſalutem,
  Civibus adfulget, qui medicina, ſuis.
Hei mihi, quod noſtrae conſors Elegeïa Muſae
  Non capit heroum viribus orba pedem!
Quanta mei monumenta darem, dux magne, favoris
  Aſtra per Aönio lucida raptus equo!
Parta tibi tellure parum eſt victoria laudis:
  Accumulat dextrae vindicis unda decus.
Illa, tuis toties proavis molita triumphos,
  Nunc quoque conſuetam praeſtitit unda fidem.
Obſequio generum Tethys te demeret omni
  Pronuba, dotales et tibi ſternit aquas:
Gurgite quà profert Sol matutinus Eoö,
  Quàque ſalutantes Hesperon abdit equos.
Quae tam conſpicuis virgo ſocianda tropaeis,
  Spe ducis occultà non velit eſſe mei?
Salve auſpex, ſalve aſſertor memorande Batavi
  Nominis, ingenti cognite major avo.
Obtigerunt hoſtes tibi quattuor, unicus illi:
  Quod mors huic tulerat, fert tibi vita decus.
Hunc lenti trivere ſenem luctamina belli:
  Aeſtas omne tibi prima peregit opus.
Fortiter hunc coeptis ſors abſtulit invida rebus:
  Grande rudimentum patria ſalva tibi eſt.
Spem feſtina ſalus praevênit paene metumque,
  Vulneris et ſenſum promta medela ſui;

Poſt profligatam patuere pericula cladem,
  Damnaque praecipitis jam fugitiva mali.
Fulmina non aliter tonitru comitante ſonoro
  Per non proviſum rapta feruntur iter.
At quantis nuper, quot ab hoſtibus undique ſepti!
  Quale minabatur, quam famulare jugum!
Caſſa tremor miſeris excuſſerat arma Batavis.
  Praeſidium ſoli creditur omne fugae.
Conſternata metu nil corda viriliter audent.
  In nullâ ſupereſt una ſalute ſalus.
Deſperare vetas: et fracti cornua Rheni
  Prima laceſſitam non tulit unda manum.
Qualiter Herculeae titulos aucture palaeſtrae
  Avulſum capiti fles, Acheloë, decus.
Palma nec una ſat eſt, Regum jurata duorum
  Ter quater infeſſo claſſis abacta mari:
Aemula terra negat, ne plus tibi debeat aequor,
  In titulis poni fama ſecunda tuis.
Hinc atque inde pares decertavere triumphi:
  Par meritas ſubiit laurus utrimque comas.
Devovet infauſtum cognata Britannia Martem,
  Illa ſui decoris jam memor, illa tui.
Et tibi ſe viciſſe dolet, cumulumque doloris
  Celta tot exhauſtas plorat inultus opes.
En laetum agricolis, et opimum frugibus annum,
  Cui pro meſſe ſalus paxque relata domum eſt.

Frondibus Idaliis age cedat Apollinis arbor:
  Hinc quoque ſerta duci danda, Thalia, meo.
Plus ſatis alterni jam ſanguinis arva biberunt.
  Sit locus et Gnidiae, Mars pater, oro deae.
Daque duci, quod inermis agat. tibi certet amando.
  Nam bona militiae pars Erycina tuae eſt.
Non negat hoc Siculae trux incola Mulciber Aetnae,
  Bella geri ſemper qui tibi cruda velit.
Apta Venus paci, pacis tutela Cupido,
  Ne fera non ponat vitricus arma, cavet.
Tolle tuas et conde faces, furialis Enyo,
  Taeda Cupidineam non decet atra manum.
Junctis parvus Hymen Hymenaeus Amoribus adſit.
  Turba triumphalem perſtrepat illa domum.
Annumera vectigal, Hymen, nova robora Marti;
  In quibus agnoſcat ſe pater, ornet avos.
Magnanimâ feriem, Rulande, propagine dignam
  Surgere jam video, jamque referre ſuos.
Fruſtrari documenta patrum, ſpem fallere noſtram,
  Pignora Arauſiaci non didicere laris.

NIC. HEINSIVS.

In Commentarium
JOHANNIS BAPTISTAE PACICHELLII
De jure hoſpitalitatis.

Hoſpitii dum jura docens alterna recenſes,
Seu veteri ritu tradita, ſive novo,
Charta Pacichelli longos aditura nepotes,
Quâ ſecat aërium fama volucris iter;
Vade liber, certusque tui rape praemia lucem,
Praemia limatum quae ſibi poſcit opus.
Vade, fugax latebrae, per apertum laudibus orbem,
Et fer Romuleum docta ſub ora decus.
Saecula ſubſcribunt vigilato cana labori,
Nec te nulla velit bibliotheca ſuum.
Poſt latum, quod obivit herus tellure ſoloque,
Latius in populos ſe tibi pandit iter.
Innumeras ubicunque domos ſic plauſibus imple,
Hoſpitii conſtent ut tibi jura tui.

1674. NIC. HEINSIVS.

In Compendium Medicinae

CONSTANTINI RVMPFII

Foederati Belgii in aulâ Suecanâ Miniſtri.

En iterum prodit medicantis gloria Phoebi
 Pagina, quam Stygiae jura verentur aquae:
Morborum praeſtat domitor mortalibus aegris
 Rumpſius haud dubiam quâ pius auctor opem.
Charta Machaoniae ſucceſſibus aemula dextrae,
 Pondere par rerum, par brevitate labos.
Sancta tibi quid charta precer? compendia vitae
 Quae dîs aequandâ das procul eſſe manu.
Sera feras annos placitura legentibus opto,
 Et pars ſis voveo muneris ipſa tui.
Stagna triumphatae populi nunc ſpernite Lethes:
 En Lacheſis properam ſiſtere juſſa colum eſt.
Exiguo collecta ſalus humana libello,
 Arceat ut longum fata, fit arte brevis.
Jure ſtupes, lector, pulcri documenta laboris:
 Sed patriae medicam plus adhibere manum eſt.
Conſulit et fractis Batavorum proſpera rebus;
 Ne manus haec ſimilis non ſit ubique ſibi.

NIC. HEINSIVS.

COSMO MEDICEO

Belgium perluſtranti.

Cum ſit opum tibi tanta domi, tam lauta ſupellex,
  Arſacidum qualem, Cosme, nec aula tulit;
Inque tuas jurent Tyrrhena tot oppida leges,
  Foetaque Caeſaribus ſtirps tibi ſurgat avis.
Vsque adeo inſinuet tibi ſe cum plurima virtus,
  Vix ut ſecla ferant hac quoque dote parem.
Quid luſtraſſe juvat peregrinae mercis acervos,
  Quas rate ſubvectat nauta Batavus opes?
Tum quod praeterea peperit ſibi Marte togâque,
  Emtum non minimo ſanguine, Belga, decus.
Nil agis hoc ſtudio. veri vox plena, ſed audax,
  Provenit a meritis, inclyte Cosme, tuis.
Fluxarum peritura vides et inania rerum;
  Nec pretium longae grande putanda viae.
Si quem gaza trahit gemmâ pretioſior omni,
  Quas tu circumfers pectore, ſpectet opes.
Naturae ut luſtres ſemel omnia, temet adito.
  Aut nihil, aut oculis res ea digna tuis.

NIC. HEINSIVS.

COSMO MEDICEO

Belgium perluſtranti.

Frigida quo Batavûm luſtratur Apolline tellus?
  Stemmata protulerunt hoc Medicea decus.
Hic eſt a longâ qui ducit imagine nomen,
  Non minor invictis gloria Cosmus avis.
Illius immenſum complexa fideliter orbem
  Non ſe continuit mens ſpatioſa domi.
Et deſiderio, noſtraeque cupidine terrae
  Suſtinuit patrios deſeruiſſe lares.
Hactenus et ſolâ tantummodo cognita famâ
  Illum Teutonici nominis ora trahit.
Excipit ingentem gaviſa Batavia Cosmum,
  Et quâcunque poteſt demeret arte virum.
Amſtela tam raro ſua limina pandit honori,
  Et fovet Etruſcum mente domoque ducem.
Protinus accurrunt, laetique Herôa ſalutant
  Cæruleus Nereus, Pleïonesque nepos.
Ardua ſidereae ſubmittunt culmina turres,
  Pronaque magnificum Curia nutat opus.
Inclyta miratur Cosmus Capitolia, quaeque
  Tarpejum poterant templa decere Jovem.
Percutit attonitum domuum regalis imago,
  Et nitor, et certo forma decora modo.

Candida de ſummis volitant aplustria malis,
Circuit et lactas multa corona rates.
Explicat Eoas hic decolor India merces,
Et quas Heſperii contulit unda maris.
Fortia conſpicuae per moenia ducitur urbis,
Moenia quae fauſtâ, dî, poſuiſtis ave:
Aemula fundatae Neptunia moenia Trojae:
Se majora: ſuo neſcia ſtare loco.
Multaque praeterea toto celeberrima mundo,
Principis invicti lumina fixa tenent.
Se quoque mirandum, poſt tot miracula, donat,
Et videt Amſtelias, ipſe videndus, opes.
Huc referunt oculos, huc ora faventia, cuncti:
Et pars ſpectacii maxima Coſmus adeſt.
Qualis, Alexandri claram traducte per urbem,
Vidiſti cultos, Scipio magne, lares.
Qualis erat quondam multâ ſtipata catervâ,
Cum preſſit Batavam regia mater humum.
Obvia procedit, rigidos inculta capillos,
Seque duci totam dat glacialis Hiems.
Solaque ne tellus tanto gauderet honore,
Pandit ei facilem per vada dura viam.
Plurima quin illic cupidae ſpectacula menti,
Principis ad nutum gnava, miniſtrat hiems.
Ferrea praepetibus nectit talaria plantis,
Et celeres linquit poſt ſua terga notos.

Invidet ignavae ver nomen amabile brumae,
  Mallet et has circum luxuriare comas.
Huic Zephyri portare libens ſua munera conjux,
  Huic frugum genitrix diva benigna velit.
Et, cui pampineus firmat veſtigia thyrſus,
  Numine Lenaeus ſaucius ipſe ſuo.
Vnica ſollicitat magnum Tritonia pectus.
  Hic quoque Pierius, quem ſolet, urit amor.
Jamque cupit doctae luſtrare palatia Leidae,
  Quâque ſibi Paean fixerit aede lares.
Principis adventu tollit famulantia Rhenus
  Cornua, contracto quamlibet amne gelu.
Adglomerant lateri blandum Nereïdes agmen,
  Certaque laetitiae dant documenta ſuae.
Plauſibus innumeris totam ruit unda per urbem,
  Vixque capax decoris Leida beata ſui.
Docta venit virgo, geminis comitata deabus;
  Numina Tyrrheno non peregrina duci.
Ardet in amplexus. nec ſic ea creditur olim
  Acriſioniaden deperiisſe ſuum.
Inque pii titulos, Mediceaque nomina, Coſmi
  Temperat auratam Delius ipſe chelyn.
Candidus ominibus reſonat felicibus aether.
  Inſolitum nequeunt pulpita ferre jubar.
Ipſe pater clari ſpirat ſub imagine nati,
  Diaque magnanimos ora fatentur avos.

O decus, o tanti digniſſime nominis haeres:
  Principe quo merito gens Medicea tumet.
Te ſtupet ante omnes, te quando tolleret Arnus,
  Hoc uno voluit ſe ſuperare modo.
Exſeris aetheream ſupra tua tempora mentem,
  Quà tranas patrii ſidera ſumma poli.
Maxima nobilitas tibi diva domeſtica Pallas,
  Et quae Pegaſides atria veſtra colunt.
Ipſe deus, medicis quo nemo potentior herbis,
  Implorare tuam gaudet anhelus opem.
Tu reficis, tu, ſanćte, foves, lapſasque Camoenas
  Erigis. O Phoebi non pereuntis amor!
Te canet Vranie, nulloque ſilebit in aevo
  Principis ingenium Calliopea ſui.
Non opus aeternae miracula viſere Romae.
  Admiranda magis, quae Medicêus habet.
Nil ſupereſt, magni luſtrato numine Coſmi.
  Hoc mihi terrarum pro domitrice caput.

PET. FRANCIVS.

In gemellas

DAVIDIS HOOGSTRATEN.

Τοὺς διδύμους ποτὲ παῖδας ἐγείνατο μητιέτα Ζεύς.
Ὡγστράτιος διδύμας γείνατο θυγατέρας.
Μιμεῖται τοὺς ἀθανάτους ὁ μὲν ἰσόθεος φὼς,
Τὸν Φοῖβον κιθάρῃ, Ζῆνα τεκνοσπορίῃ.

Latine.

Progenuit natos geminos rex Jupiter olim:
Progenuit natas Hoogſtratius geminas.
Mira viro virtus. divorum hic aemulus, ipſum
Aequiparat Phoebum carmine, prole Jovem.

PET. FRANCIVS.

In obitum

ANTONII RILLII.

Ergo ego vivebam infelix, ut funus acerbum
Flerem, et fatalem, Fors inimica, diem?
Exſtinctum et cari jucundum lumen amici
Aſpicerem, et cineri dona ſuprema darem?

Ah mihi, ne tanto ſupereſſem praeda dolori,
  Mors poteras avidas injicere atra manus!
Nunc, heu me miſerum! lacrymis corrumpor amaris,
  Conficiuntque animum cura dolorque meum.
Nec poſſum lacrymis, nec poſſum fletibus ullis,
  Lux mea, ab obſcuris te revocare plagis.
Stat fixum, immotumque, et inexorabile Fatum,
  Et ſolido obſeptae ſtant adamante viae.
Incaſſum gemitus, incaſſum carmina fundo,
  Diripiuntque meas ventus, et unda, preces;
Nec potis aut Muſa eſt, aut carminis auctor Apollo
  Flectere Tartarei fata ſuperba dei.
At vobis male ſit, crudelia numina, Parcae,
  Proh ſcelus! in magnos numina iniqua viros.
Vos quodcumque boni eſt, et ſanctum quidquid ubique,
  Cogitis infernas protinus ire vias.
Vos etiam noſtro mortem properaſtis amico,
  Rupiſtisque atrâ candida fila manu.
Ah! Clotho obſcaena, Clotho immaniſſima, fuſos
  Polluere haud poterant tam bona fila tuos.
Scilicet extento cornix ut viveret aevo,
  Cervus et aetatem vix ferat ipſe ſuam,
Tam brevis eſt homini miſerae data portio vitae,
  Vix geniti in moeſtos proripimurque rogos!
Sed pereant ſontes, divûm contemptor et aequi
  Sentiat ante ſuos ultima fata dies.

Quicumque incertas ſcelerato pectore curas
  Volvit, et obſcoeno perditus igne flagrat;
Quicumque et vitae, virtutem exoſus, inerti
  Indulgèt, ſomno deditus, atque gulae;
Aut miſeris inſultat, et almae gaudia pacis
  Turbat, et inſano caedis amore furit,
Et ſcelus, et fraudes, et dirum crimen anhelat,
  Protinus ad Stygias ille feratur aquas.
At ſi quem rerum dominum ſapientia, ſi quem
  Sublimem virtus ardua tollit humo;
Nec regnum nec opes avidus praeponit honeſto,
  Praeſentique inopem prodigus auctat ope;
Et colit egregias divinae Palladis artes,
  Otiaque et placidae munera pacis amat;
Ah ſcelus eſt illum nigro ſubmergere Averno,
  Totque ſimul nobis eripuiſſe bona.
Ecce jaces, tecumque jacent, doctiſſime Rilli,
  Et decor, et probitas, ingenuusque pudor;
Et ſancti mores, et labis neſcia virtus,
  Et ſimplex animi candor, et integritas.
Nunc ubi ſunt alti ſapientia pectoris, et mens
  Invicta, et recti juſtitiaeque tenax?
Et grave conſilium, et felix prudentia laetis
  Rebus et adverſis, ingeniumque ſagax?
Omnia tecum una perierunt, optime Rilli,
  Et periit toto quidquid in orbe boni eſt.

At mihi fingebam, ignarus quid fata pararent:
  Ipſe meis ſtudiis dux erit, ipſe comes.
Ipſe etiam noſtrae ſolamen dulce juventae,
  Ipſe ſenectutis dulce levamen erit.
Quicum verſabor ſemper, quicum otia vitae
  Ducam arcto vinctus foedere amicitiae;
Quantum nec charo Pyladen conjunxit Oreſti,
  Quantum nec magno Theſea Pirithoö.
Sed mea vota leves Eurus jactavit in auras,
  Et deus averſâ reſpuit aure preces.
I nunc, tolle animos doctrinâ fretus, et acri
  Ingenio mortem longius eſſe puta;
Rillius ecce jacet fato conſumptus acerbo,
  Palladis invicto raptus ab usque ſinu.
Ille ingens legum interpres, Themidisque ſacerdos,
  Ille fori columen occidit, ille decus.
Quid nunc egregias miſero tenuiſſe tot artes
  Profuit, Aonias aut coluiſſe deas?
Sermonem Grajum, ſermonem doctus Etruſcum,
  Pene puer Latio doctus et ore loqui.
Quid geſtum primo mundi naſcentis ab aevo,
  Legit, quidve aetas priſca recensque tulit.
Divinique hauſit morum praecepta Platonis,
  Purum et Socratico nectar ab amne bibit.
Quin et Naturae leges arcanaque nôrat,
  Et quo naſcantur quaeque, obeantque modo.

Quid mare, quid tellus, quidve his circumfluus aër
Gignat, curve ignis cuncta reſolvat edax.
Immenſi molem quae vis contorqueat axis,
Quâque ſuam peragant ſidera lege viam.
An tellus medio librata reſederit axe,
Aut erret torti turbinis acta modo.
Cur ferus horribili ſplendeſcat lumine Mavors,
Tranquillo et placidus Jupiter igne micet.
Aurea nec deerat doctae facundia linguae,
Argutoque fluens gratior ore lepor.
Illum Pierides, illum dilexit Apollo,
Et fovit molli Pallas amica ſinu;
Carmina Threicio caneret quo blandius Orpheo,
Et traheret dulci ſaxa ferasque ſono.
Nec tamen immites potuit lenire ſorores,
Quin premeret miſerum mors violenta caput.
Indoctos doctosque rapit vis improba Lethi
Scilicet, et nullas nectit acerba moras.
Sed tamen ad ſuperas evaſit Rillius arces,
Immenſi felix et videt ora dei;
At mihi lugubres luctus lacrymaeque ſuperſunt,
Queis miſer aeternum triſtia fata fleam.

JOSEPHVS AVERANIVS.

AD PETR. FRANCIVM ET JAN. BROVKHVSIVM.

Dum veſtrà properans in urbe verſor,
Vos ambos equidem lubens viderem,
Duplex delicium, decusque noſtrum;
Sed tempus prohibet rigorque coeli.
Nam ſeptem revehunt gelu triones,
Stridit Sarmatico rigore plauſtrum,
Disjectis nebulis reducit Eurus
Jam coeli faciem ſerenioris.
Ros per coeruleas rotatur auras,
Crispantur niveis fruteta floccis,
Vrit purpureos pruina campos.
  Queis tanquam levibus parum moverer,
Ni me res gravior moleſtiorque
Quam primum jubeat viam vorare;
Arctoö Boreas ab axe ſpirans,
Qui ſternet rigidis fluenta cruſtis,
Hic me non patitur magis morari.
  Turres Amſtelias proïnde linquo
Trajectum revolans, robuſtiori
Dum nondum glacie ſtupeſcit omnis

Vechta, ſed tremulis moretur undis,
Et proris ſolitis adhuc ſecatur.
Vos o pars animae valete noſtrae,
Multum Petre vale, valeque Jane;
Si dî propoſitis meis favebunt,
Vos charos rediens brevi reviſam,
Seu velox glaciem ritu Batavo
Ferratis crepidis perambulâro,
Seu vectus celeri rotâ revertar,
Seu ſim funiſequâ ſequens carinâ
Facturus liquidas iter per undas.
Vobis interea precor, ſodales,
Felix auſpicium ſit hujus anni,
Quem multi ſimilis notae ſequantur;
Veſtris omnipotens et adſit auſis,
Et quicquid facitis, deus ſecundet!
Sortem, quam cupitis, benigna vobis
Det Fortuna comes; priorque votis
Adſtet proſperitas; utrique veſtrûm
Sit gaudens animus! memorque Bergî,
Broukhuſique vale, valeque Franci.

DAV. BERGIVS.

Amſtelaed. Jan. 1686.

D. M.
JANI BROVKHVSII.

Nunc eheu! numeros ſeveriores,
Nunc eheu! numeros Simonidêos,
Dictate, hendecaſyllabi, modosque.
Infandum memorate nunc dolorem,
Claudendum numeris modisque nullis.
Janus Broukhuſius nimis rapacis
Ah! mortis jacet obrutus tenêbris.
Janus Caſtalii chori patronus,
Antiſtes, philomela, flos, voluptas;
Cujus ſuaviloquis ſedens labellis
Omni tinxerat os lepore Pitho:
Janus, quem gremio ſerena docto
Pallas foverat, et chorus Sororum
Mero nectare paverat, Venusque:
Quem Phoebus pater, et comes Camena
Fontis Pegaſeï rigârat undis:
Cujus carmine limpidâque venâ
Demulſi toties pii poëtae
Hauſêre aetherio favos ab ore.
Janus, qui variâ eruditione
Bonisque omnibus artibus politus
Purgatam a carieque ſordibusque,

Ac

Ac nugis Lucumonis inficeti
Lyram reſtituit Propertianam,
Lyram reſtituit Tibullianam.
Nunc omnes veneres, ſales, lepores,
Conditi gravitate non ſeverâ;
Nunc domeſtica dos Latinitatis,
Dos illi propria elegantiarum,
Doctarumque decor facetiarum,
Vno contumulantur in ſepulcro.
  Luge, Hollandia, nobilem poëtam,
Qui lugere ſuo tuos ſolebat
Vates carmine; redde, quos requirit,
Quos debes dare, mutuos dolores.
Et vos ſolvite Manibus, poëtae,
Munera ultima. Ferte vina pura,
Ferte pinguia thura: plena ſtactes
Diſtillet lacrymas acerra odoras.
Sacris ignibus incaleſcat ara,
Votivis redimita ſit coronis.
Felix perpetuo locus Ciliſſum
Exhalet crocon, et roſas fragrantes,
Natas Elyſiis roſas in hortis,
Et ſpiret violisque liliisque.
Inſculpta interea haec legantur urnae:
Hoc Broukhuſius in loco quieſcit,
Suadae filius, ipſe quem cadentem

Sciſſâ moeſtus Apollo veſte flevit,
Cui Muſae exequias iêre triſtes,
Et planxit pia turba Gratiarum.

CORN. VAN ARCKEL.

A D
DAVIDEM HOOGSTRATEN.

Et ſatis aſſiduae, vates cultiſſime, curae
Sarcina cervicem preſſerat ante tuam.
Jam tibi tranquillae contingunt grata ſenectae
Tempora; jam turbae neſcia vita fluit.
Redderis ipſe tibi totus, totusque Camenis,
Maxima quae ſemper vota fuêre, tuis.
Non aliter ventos et ſidera navita paſſus,
Nunc Boreâ, pinum nunc agitante noto,
Vix tandem patriae portu fugiente potitus,
Subducit feſſae litore texta ratis,
Securusque, mari Corus quid peccet et Eurus,
Diluit ad patrios acta pericla lares.
Vt te nunc totum juvat in ſacraria Phoebi
Condere, et Aoniis orgia ferre choris!
Quâque poëtarum veſtigia certa priorum
Rara ad Hyanteas ſemita ſervat aquas,
Huc illuc praerupti errare per avia Pindi
Antra, profanorum non adeunda pede!

Antra, Venus quae blanda colit, puerique volucres,
Et Phoebo et Muſis addita trina Charis!
Hic tu fatidicae poſitus ſub tegmine laurûs
Concipies motus corda ſub ima novos,
Tactaque Pegaſeo prolutus pectora fonte
Pieriâ ſcandes ſidera celſa viâ:
Atque ita tendetur populis terrâque remoto
Aurea in Heroos barbitus apta ſonos.
Tum tibi non humili dicetur Pollio verſu,
Otia qui vati praeſtitit iſta ſuo.
Sponte datos faſces tellus ſellamque curulem
Audiet, ad geminos quà patet usque polos,
Conſiliique potentem animum, ſi rebus in artis
Convocet auguſtos curia ſancta patres:
Audiet in cives pectus mirata paternum,
Privaque prae populi commoda ſpreta bono.
Hinc tibi, quos coluit quondam gens aurea, mores,
Nec ſecli vitiis mens temerata ſui,
Ac procul a faſtu gravitas, et comis in omnes
Vultus Lethaeis eripientur aquis.
Otia jam quali memorabis parta cothurno,
Atque in Pieridas tot benefacta tuas!
Hic vix in meritas, dederint ſi numina, grates
Cum totidem linguis ſint ſatis ora decem.
Hic te deficient numeri, ſemperque ſonabunt,
Quam cupias, longe ſila ſonora minus.

Pollio ſed capitur gratâ teſtudine, et ipſe
Carminibus ponit pondera juſta tuis.
Ille favet Muſis, Muſasque colentibus aeque,
Nec partum ex Muſis deſpuit ille decus.
Nempe fuêre bonis ſemper pia carmina cordi;
Et benefactorum grata Thalia comes.
Carmina virtuti veniunt pulcherrima merces;
Hinc decore accepto clarior ipſa nitet.
Caetera disperdit monumenta annoſa vetuſtas,
Aeraque et inciſis ſaxa ſuperba notis;
At quem Caſtalio ſaturatus nectare vates
Commendet curae, poſtuma fama, tuae,
Hujus ab aeterno nomen non excidet aevo,
Virtutisque recens gratia ſemper erit.
Haec dos, Hoogſtratane, tua eſt; hanc Pollio dotem
Suſpicit, hanc rari muneris inſtar habet.
Magne, tuo, Conſul, longum potiare poëtâ,
Conſule tu longum, terſe poëta, tuo!
Vestiat hos humeros repetitum ſaepius oſtrum,
Saepe ſub illius faſcibus Ya fluat;
Dum tua, ſcandenti Capitolia ſplendida, clamet
Pieris: hoc annus Conſule fauſtus eat!

JAC. PHILIP. D'ORVILLE.

In Effigiem

ARNOLDI DRAKENBVRCH.

Accipe, Vechta pater, vicino munus ab Yâ,
  Ora Drakenburchî vivida in aere tui;
Ac venerabundis oſtentans gentibus, effer
  Ex vitreo glaucas celſius amne comas.
Jactet enim multos quanquam tua Pallas alumnos,
  At tuus ex toto qui celebretur, hic eſt.

JAC. PHILIP. D'ORVILLE.

In

AEDEM

ab

JOAN. JOVIANO PONTANO

Virgini

MARIAE ET JOHANNI EVANGELISTAE

Neapoli erectam.

Hymettio, Pontanus, os fragrans thymo,
Nec fabuloſis una de Sirenibus
Tuis, decorque primus, o! Neapoli,
Pontanus ille Virgini puerperae,

Viroque, quartus entheâ qui paginâ
Decantat humanae incolam formae deum,
Aedem ſacrârat, coelitum dignam pari,
Geniique teſtem et elegantis et pii:
Atque hanc eandem ſempiternam lêgerat
In manſionem, ſibi ſuorumque oſſibus
Requiem futuram jure manium ratus,
Divûmque religione non violabilem,
Dum ſalva rectis cerneres de turribus
Agris tremendum vortice igneo jugum.
Non ſic merentem vana ſpes imagine
Dulci fefellit; nec ruinae proxima
Labantis illud tecta ſpondent culminis,
Pariesve, campis pene pendent qualia
Fauni ſacella vel Dianae ruſticae:
Foedi nec albo numinum vultus ſitu,
Vel ara ſpondet patrio ritu carens.
Templum carere ſartor aedituo tamen
Negat, ſacrato deſidens qui limine
Profanat opere et ſentit eſuriens deos.
Araneoſa num magis donaria
Decent pereſas inter a blattis togas,
Vileſque pannos, praemia inpurae manus?
Velata quid quod his requirat janua
Non ſerta florum, aut infularum purpuram.
Quin, ut ſoles, (locine contices memor?)

Age turpe, ſartor rauce, jacta canticum,
Hymno putabit ſe celebratum polus!
Vae vatis umbrae, ſi quid ab obitûs die
Sapis, ſuſurro vapulas quae tam fero!
Polluta dudum ſed reliqueris loca,
Ad litoris myrtêta Campani evolans,
Inter ſuas quâ vivit Actius tuus
Laudes, notisque ſculpta claris marmora.
Quod ſi ſupremo, ſicut ille, codice
Pinguem ſagînam in bis decem ventres pigros
Cautus dediſſes, ſqualor omnis abforet
Ac ſolitudo: cymbalumque cum lyrâ
Fractaeque voces eviratorum Attidum
Feſtis diebus perſonarent compita.
Non Zmyrna talis in Ilii vatem fuit,
Aut gloriae tot civitates aemulae;
Sed templa, et aras ture pingues maſculo,
Statuasque certavêre civi ponere:
Quin conditoris atque cuſtodis dei
Inſtar, colendos ultimis nepotibus,
Vultus monetâ dedicarunt in ſacrâ.
An barbararum turba picarum loquax
Clius Latinae vicit argutum melos,
Ac Maeviorum tam feraci ſaeculo
Coepit Maronum prima laus ſordeſcere!
Quare venuſtis urbibus venuſtior,

O! una, tellus quas ſinu gerit Itala,
O! grata ſedes virginum choro novem,
Felixque Mercurialium mater virûm,
(Coeli favorem non enim parvi facis,
Nec fas piumve deſpicis mortalium)
Focis honores dentur oblitis ſui,
Aedesque cultu ſplendeat novo, neque
Poſthac, ſenectam, te cavente, ſentiat
Sacri per aevum fida cuſtos pulveris.
Id ore juſto fama publica comprobet:
Id ipſa debes, clara Parthenope, tibi,
Te ſiqua privae cura tangit gloriae;
Viroque debes, mille qui dotes tuas
Mirandus aeternavit eloquentiae
Suadâ pedeſtris, et aureae ſimul fidis
Potente plectro. ſemper ipſa ſic novis
Phoebi perennes concinenda oloribus.

JAC. PHILIP. D'ORVILLE.

AD

HUB. GREGOR. VAN VRYHOFF

Profeſſionem Juridicam Hardervici auſpicantem.

Gallia, Vryhovi, quem vidit, et Itala tellus,
Et comitem noſtrae Sicelis ora viae;

Quemque meum novêre latus gens plurima, ſeu qua
Danubium, Rheni ſeu qua fluenta bibat:
Auctor Muſa viae ſociam ſe junxit eunti;
Ac reducem patriis reddidit illa focis.
Nunc tibi continuo tribuunt, namque ipſa nequivit,
Digna Venus cultu praemia, digna Themis.
Illa beat ſocium praeſtanti conjuge lectum,
Haec adytis myſtam praeficit ipſa ſuis.
Macte datis utriusque deae, longumque fruare,
Quâ favor hic venit conciliante, memor.

JAC. PHILIP. D'ORVILLE.

A D

HVB. GREG. VAN VRYHOFF

Profeſſionem Juridicam Amſtelodami auſpicantem.

Te Romana Themis ducens ad Pallados aedem,
Quâ nitet herboſis Amſtelis acta toris,
Vryhovi, dixit: nunc, nunc decus adſere noſtrum,
Deſuetisque refer Romula jura focis.
Me Beroë, me Roma fuget, me regia Byzae,
Dummodo me latis moenibus Ya colat.
Juſſa facis. populi laudas et ſcita ſenatus,
Roſtra quibus priſci perſonuere Remi.
Juſtitiaeque jubar celebras, de colle Quirino
Quod terras radiis ſparſit ubique ſuis.

Agnoſcunt cives, fax ſe quam ſplendida certum
  Ad Themidos patriae limina ſignet iter.
Ipſa potens aequi plaudit dea, et incola Pallas:
  Ac ſequitur Pindi voce lyrâque chorus.
Tum, quos naſcentes oculis Aſtraea benignis
  Viderit, adſenſu dicta diſerta probant.
Cimmeriis populis ſua nox placeantque tenebrae;
  Nos juvat Eoö ſole ſerena dies.

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

CARMEN SAECVLARE

pro Amſtelodamenſi Athenaeo.

Di, quibus caſtae placuere mentes
Semper, intactaeque malis protervi
Saeculi, curae quibus eſt, eritque,
  Candida virtus!
Jura ſi recte colimus nepotes,
Quae pii ſancte coluêre patres;
Si fides noſtris probitasque nondum
  Exulat oris;
Civium voces, redeunte ſaeclo,
Pallas ut noſtrâ tenet urbe ſedem,
Supplices audite, novi precantum
  Signa favoris.

Artium regina, bonique cuſtos,
Si quae Erechthêis dederas Athenis,
Nunc Athenaeo poſuiſſe gaudes
Nomina noſtro;
AEdibus rurſum tibi dedicatis,
Quae modo adſtantum ſonuêre plauſu,
Praeſes antiquo magis auſpicatum
Adde nitorem.
Barbaros mores reprimas, Patrumque
Proſperes decreta ſuper docendis
Civibus, mentisque bonae miniſtres
Semina large.
O maris vaſti dominator, almae
Forte munimen patriae, ſed idem,
Conciti fluctus ſimul intumeſcunt,
Maximus horror:
Peccet in puppes truculentus auſter
Africas, at tu Batavûm carinis,
Quae vehunt amplas, revehantque, merces,
Aequora ſterne.
Neu ſinas, flavum violenter Yam
Ire dejectum poſitos morandis
Objices magno, neque te improbante,
Fluctibus auſu.
Te quoque, Alcide pater, invocamus
Rite, quem quondam ferus eloquentem

Celta miratus poſuiſſe mores
Fertur agreſtes.
Tuque, quem fauſto, Jove digna, ſudit
Pleïas partu, geminis, quibus tu
Vnice polles, cupidos doceri
Dotibus auge.
Vosque veraces ceciniſſe, Muſae,
Nuper inſtauratum opus auſpicantes,
Vocibus nec non fidibus, futura
Gaudeat aetas.
Alme ſol, ſeu Phoebe probas vocari
Splendidum coeli jubar, ó micantem
Qui diem profers, hominumque mentes
Luce ſerenas.
Amſtelae quidquam licet urbe majus
Noveris, at nil melius nihilque
Amſtelae poſſis vagus intueri
Doctius urbe.
Prome, age, obductas, pater alme, dotes,
Quas ſitus dudum premit, utque nubes
Mane propulſas, age, pelle tardae
Nubila mentis.
Vosque, conjunctae propiore nexu,
Optimae altrices docilis juventae,
Suada D'Orvillî genialis, atque
Aſtraea Sibeni;

Pergite abrupti per opaca callis
Ducere ad templum juvenes Honoris,
Publicas laeto moderari habenas
    Omine natos.
Vosque, Muſarum decus ac Minervae,
Nobiles rerum domini, bonorum
Civium infirmis potiora votis
    Jungite facta.
Per manus veſtras ſuperorum in Vrbem
Dona labantur; veluti per alveos
Limpidi fontis liquor aeſtuantem
    Manat in agrum.
Hoc neque in ſomnis modo vanus augur,
Nec Sibyllini monuere verſus;
Publicae jusſit ſed amor ſalutis
    Dicere carmen.
Quod velim denos decies per annos
Plus ſemel ſeri referant nepotes,
Dulce Lesbôae fidibus puellae
    Ludere docti.

BALTH. HUYDECOPER.

D. M.

JACOBI ODÉ.

Parce pios lacrimis, Academia, ſpargere manes
  Et ſolvi placidos fletibus in tumulos.
Nil gemitus, nil vota movent, ubi funere merſa
  Tranavit pigros pallida forma lacus.
Fudit et Odryſius, raptâ bis conjuge, vates,
  Tartare, vota tuis irritus in tenebris.
Bronteâ ſtant firma manu, reditusque coërcent
  Moenia, et aeterno fulta adamante domus.
Nec Phlegethontêas potis eſt remeare paludes,
  Aut variâ Stygium fallere ab arte ſenem.
Sic doctae cecinere deae, proh! ferrea ſacrum
  Eriperet Sophiae cum Libitina caput.
Profuit ingenii quid nunc calor ille ſagacis,
  Cognata aut patrio mens generoſa polo?
Quid ſuperas tentaſſe domos, magnaeque parentis
  Stamina per, certas exſeruiſſe vias?
Quid pietas, niveique juvant ſine crimine mores,
  Vitaque non ullis commaculata notis.
Num minus immites, feralia numina, Parcae
  Foeta jubent doctis ora ſilere ſonis?
Illa ſilent, gelidumque exſanguia pondera marmor,
  Innumeras dotes vilis arena tegit.

Optima lanificae ſubducunt prima ſorores,
  Et qui debuerant fata ſubire, manent.
Tene, decus Sophiae? Mors ſaeva, decusque Lycei
  Auſa eſt Lethaeis mergere gurgitibus?
Egregium columen, ſtudiorum maxime vindex,
  Sternere ten' dirae ſuſtinuere manus?
Qui dubias per ſaxa rates, regeresque per aequor,
  Monſtraresque viam, ſcilicet unus eras.
Damna dolore gemit confuſa perennia Pallas,
  Liquitur et moeſtas Phoebus ad exſequias.
Ereptumque ducem generoſae, triſte, juventae,
  Et ſtudiis raptum, congemuere, bonis.
Sed tamen huc omnes lucem celeramus, et atrox
  Buſtorum immunes vivere Parca vetat.
Non vigor Alciden, formae nec honos Hyacynthum,
  Verſutum exemit non dolus Aeoliden.
Vnica doctrinae ſtat gloria, nominis auctor
  Muſa perennantis ſola perire vetat.
Igneaque aeternos auguſtae mentis honores
  Mnemoſynes ſacro Fama locat gremio.
Sic vives chartis, vir maxime; nomina ſemper
  Florebunt doctis celſa voluminibus.
Aligerum dum turma rapit, ſuperisque reponit
  Sedibus, et patrios dat tenuiſſe locos;
Priſca ubi divini ſpatiatur vita Platonis,
  Quâque colit Sophici Praeſul, amorque chori,

Maximus errorum domitor Carteſius, et quo
Newtonus rapidâ ceſſit in aſtra fugâ.

JAN. HELVETIVS.

In Helvetii poëmatibus pag. 38 verſu 7. Lector benevolus reſtituat: Cantabrove truci; pag. 42. vſ. 5. *Te juvat amplecti! quam tu ſitientia vatum* &c. item aliud Helvetii diſtichon in hunc modum refingat:

Invidiae meruere dari, *malus aſperat iras*
Livor, *et infeſto* nomina dente petit.

Quod ſi quis alios errores, qui in carmina edita ſubrepſerint, mihi indicaverit, illum ego in amicorum numerum reponere non dubitem.

DAVID HVME.

Auſpice cui Sophies patuêre ſacraria Phoebo,
Quemque ſuo erudiit Graja lepore Charis:
Angliaque Hiſtoricum quem jactat libera verum,
Humius artifici talis in aere viget.

PET. BVRMANNVS SEC.

Epitaphium

RAPHAËLIS.

Hic ſitus eſt Raphaël, metuit quo ſoſpite vinci
Rerum magna parens, et moriente mori.

ROMAE.

Lympha pudica deum vidit, et erubuit.

Euangel. Joan. Cap. 2.

PARENTI FILIVS.

Quae miſer impoſui lugubria ſaxa ſepulcro,
Mi pater, innumeris accipe pro meritis.
Quod ſi marmoream licuiſſet ſumere formam,
Te natus tegeret non alio lapide.
Inciſaeque notae legerentur: gratus Alexis
Reddidit eſſe patri, ſitque patri tumulus.

NEAPOLI.

In filiolum matris monoculae monoculum.

Blande puer, quod lumen habes, concede parenti,
Sic tu coecus Amor, ſic erit illa Venus.

Delicias dominae, catulam puer obruit ictu
Stipitis. improba ſors, improbus ille puer!
Fallimur; in catulam, dominae quod ſola placeret,
Indignans faculas praecipitavit Amor.

GEORG. MVRRAY.

FRANCLINVS.

Eripuit coelo fulmen, ſceptrumque tyrannis.

DELICIAE

POETICAE.

FASCICVLVS VI.

LVGDVNI BATAVORVM

APVD A. ET J. HONKOOP.

CIↃ IↃCC LXXXV.

P H Y L L I S.

Hactenus in vanum tacito langueſcimus aeſtu,
  Supplicioque meo clauditur ignis edax.
Qualiter Aetnaeae labefactat viſcera rupis,
  Emicet aërium donec adeptus iter.
Qualis in Oetaeis nuptae Calydonidos ira
  Invictum Alciden torſerat ante jugis,
Cum, gemitu magnum faſſusque levansque dolorem,
  Virtuti didicit cedere nolle malum.
Auxilio tabes caret impercepta, fereque
  Altius ad vivum non revocata meat.
Paſtori Idaeo, ſi Sparten mutus adiſſet,
  Judicii pretium non tribuiſſet Amor.
Et tibi plus formâ nocuit facundia, Circe,
  In Laërtiade cum caperere duce.
Atque utinam linguae non interceperit uſum,
  Ardua qui ſolitus frangere coepta, timor!
Turbine vel rerum, tanti mens anxia voti
  Quas agitat, vocis praepediatur iter.
Sed ſapis, o pulcram praecellens filia matrem:
  Ingenium alterius multa parentis habet.

Et dum lingua ſilet, ſuſpiria lenta notaſti,
  Fixaque luminibus lumina noſtra tuis.
Riſiſti quoties, aliis cum dulce loquenti
  Phyllidos invito nomen in ore fuit.
Tot Paphiae luces ducentem feſta reviſunt
  Otia, jam ſtudiis heu mihi vilis honos.
Dum greſſus comitorque tuos. coetusque frequento,
  Et jam, te vacui, gratia nulla loci.
Hic junctum latus et ſermonum blanda venena
  Et latere et rapio lividus aure meis.
Cumque jacis talos, tibi ſeu malus excidit olim,
  In mea te cogo perdere damna, canis:
Sive Venus favit, lucrum tibi cedimus omne:
  Vix tamen haec pateris dona venire tibi.
Quod tua nocturno reſonat vicinia cantu:
  Datque meo numerum litera grata mero.
Jamque penes primos ſum fabula nota ſodales,
  Atque in me juvenum turba diſerta jocis.
Et quae membra vides animi marceſſere curis,
  Quosque oculos lacrymis cur maduiſſe rogas.
His ſat erat doctae miſeri deprendere caſum.
  Pluria non faciet, qui manifeſtus amat.
Sed tu diſſimulas, et vis ignara videri.
  Vsque adeo vobis fingere poſſe datur.
Si tamen illa tuo pars quaeri viſa triumpho,
  Proque rei merito caetera pompa minor,

Ipſe niſi propriae facerem praeconia cladis,
Amplius et ſignis eloquium eſſe putas:
En jaceo ſupplex, en vulnera coeca reſolvo.
Fortunae hiſtoriam diſce benigna meae.
Luce bonâ, primum quâ te, mea gaudia, vidi,
Viſa mihi tecum ſumma decoris erat.
Exemplum Veneris, qualis certaſſe deabus
Dicitur aut patriis exſiluiſſe vadis.
Perſtrinxêre oculos cultae miracula formae,
Et coepi mediâ tardius ire viâ.
Nec mora, dicendae per cauſſam appello ſalutis,
A te quae poterit nunc mihi ſola dari.
Ipſa intrare jubes. Stupui reſponſa, ſed ingens
Iſtis principiis omen ineſſe ratus.
Hoc poteras firmare, et felix addere verum.
Irrita ne facias omina tanta, precor.
Ex illo menti facies inſignis oberrat,
In cunctis vitium detegere una potens.
Acceſſère animi laudes, vox mellea, ridens
Et ſine triſtitiâ, ſed ſine labe, pudor.
Omnia quid narrem? nec neſcis caetera. Senſi
Pulſibus inſolitis corda micare mihi.
Artificem mirum quis te neget eſſe, Cupido?
Et non expertis creditur ille vafer.
Ille tuas dotes pretioſâ condere maſſâ
Inſtiuit, et doctâ fingere ſaepe manu.

Segmenta in medio materni lucida ceſti
  Et ponens arcus fortia fila ſui.
Inſpicatque faces geminas, lacrabile monſtrum,
  Telis, quae pharetrà maxime acuta gerit.
Quis oculis derepta tuis incendia jungens,
  Pectore ſub trepido fixit utramque mihi.
Aeſtuo nunc aeger, nunc me mea gaudia torquent,
  Vivaque depaſcit viſcera ſaevus amor.
At ſi te noſtrae tangit miſeratio ſortis,
  Et, curae merces, mutua cura ſubit:
Hoc mihi crediderim vitae ſpirare calorem
  Reliquiasque animae delituiſſe foco.
Et facies. neque enim genuit te barbara Thrace,
  Aut impacatis Lemnos iniqua viris.
Nec me, quo morerer, tibi Cypria vivere juſſit:
  Sed foret ut molli carmine Phyllis opus.

JOH. FRED. GRONOVIVS.

In caedem

CAROLI I.

Dum populata diu fruitur Germania pace,
  Armaque nobiscum feſſa recondit Iber;

Marte ferox, tollit male ſana Britannia criſtas,
  Bella movens, terris pernicioſa ſuis.
Et Regum titulos et nomina ſcilicet odit,
  Et Libertati gens furibunda ſtudet.
Haeccine Libertas? haec Anglis pilea donat,
  Infamem Regis quam laniena facit?
Withalia intremuit, cervix inciſa ſecuri
  Sanguine purpureo cum madefecit humum.
Et Tameſis viſus longe contractior ire,
  Qui vetera Albionum moenia pulſat aquis.
Obſtupuit Pietas, totusque exhorruit orbis,
  Quo venit dirae nuntia fama necis.
O foedum facinus! non Tethyos omnibus undis
  Abluet hoc unquam turba Britanna ſcelus.
Feſtinat vindicta Dei, nato auſpice Regis
  Sanguine multorum diluitura nefas.

ANT. A ZYLL.

D. M.

JOH. ADRIANAE VAN DEN BERGH.

Pignora quae ſanctae ſervaverat omnia legis
  Ardenti in Christum, caſta Johanna, fide,

Corporis atque animae ſimul ac divortia ſenſit;
  Nobile vaticino fundit ab ore melos:
Non mortem timeo duce te, cariſſime Ieſu!
  Sic abit, et fruitur mens propiore Deo.
Reliquias morbis exeſi haec corporis Vrna,
  Admonitu inſcripſit quam pia dextra, capit:
QVI CVPIES MERITIS SERVARI, VT BERGIA, CHRISTI,
  DISCE, PIA VT VIXIT, VIVERE, DISCE MORI.

1734. DAV. VAN ROYEN.

GER. AEM. VAN HOGEVEEN

Sponſo.

Vicêre tandem, laetor hac victoriâ,
Monitus amici pervicacem te diu;
Exiſtimantem, ſat, ſuperque bene virum
Vixiſſe, Patriae qui laborantis pia
Inter ſeneſcit munia, et curas graves.
Habeas: regeſſi. ſolvit hoc pia mens modo
Patriae tributa dulciori debita:
Credisne, corpus poſſe coelibi toro
Patriae tributa reddere, ut debet, ſua?
Rides: jocorum ſeriorum haud immemor.

Memini, Gerarde! ſaepe te obmuteſcere,
Victum putavi; me feſellitne ratio?
Non me feſellit. Moribus ſed quae piis
Aetatis ornat floridum tempus ſuae,
Jacoba, rarae dote pulcritudinis
Tanto puellis omnibus praeſtantior,
Quanto vel omnes anteït modeſtiâ;
Pervîcit, Aemili! tui robur animi;
Docuitque tandem, quid potens valeat Amor.
Doctrina mitis! ut calore mutuo
Fovere dulcium velint amantium
Cum Matre blandâ blandior pectora Puer.
Sic ille victus aureis vir dotibus
Pulcrae puellae ſupplici tandem prece
Victor cupitam retulit victoriam;
Avique ducit Virginem bonâ domum.
Moduletur alius aureae lyrae modis,
Intaminatis ut coruſca honoribus,
Patriae columna firma rebus in aſperis,
Per plura fulſit ſaecla gens Hoogveenia:
Sponſamque felicem viro tanto canat,
Qui ſplendidae novum addidit genti decus.
Vatesque voce fauſtitatis publicae
Laetâ ſequens et virginum, et juvenum choros,
Sponſum beatum Virgine hac te praedicet
Decente pulcri corporis, et animi bonis.

Me me, Gerarde! pectus integerrimum!
Vitaeque munerisque dulce decus meum!
Camena carmen admonet deducere
Per vota, (vates turba ſi ſumus ſacra)
Habitura quae lene audientes ſint Deos.
Juno haec maritis caſta praeſidens toris,
Lucina maturum aperiens partum haec velint,
Velintque Dî, conjugia quis curae ſacra.
Sic vita dulces per beatitudines,
(Mortalium ſeu Sol labores aſpicit,
Seu Luna, mutuis facilis amoribus,
Taciturna ſupputat alma gaudia conjugum)
Amoenus ut rivus, fluat leniſſima.
Vobis beatis eſſe ſic liceat diu
Concordibus votis, pari curâ et fide:
Foecunda pulcrà prole mater augeat
Jacoba maſculâ domum Hogeveeniam,
Jacoba feminea domum Hogeveeniam.
O ter quaterque proſpero ſidere puer
Luminis in oras proditure parvule!
Primis ab annis integrae puertiae
Cui diligentis providâ patris manu
Fingique, ducique dabitur in aedem aureae
Virtutis altam, exempla quo gentilia
Monſtrant, inertibus negatam, tibi viam.
Felix puellula! cura quam matris vigil

Formare ſedulae modeſtam moribus,
Habitu decentem, et ſibi poteſt ſimillimam.
O Muſa! dulci quo furore me rapis!
Futura videor ego repoſta cernere:
Faſces honoratos: Amorem civium:
Felicitatem gentis Hoogeveeniae:
Natos, Nepotes, ex iisque Poſteros:
Et, quâ, Gerarde, me beaſti, candidam,
Fato nec ipſo diſſolubilem, Amicitiam.

1735. DAV. VAN ROYEN.

AD WILHEL. CAR. HENR. FRISONEM

Studiorum cauſſa Franequeram migrantem.

Nunc mihi Phoebe veni, tuque o veneranda ſororum
Turba veni, colles quae colis Aonios:
Sed qualis ſacrâ redimitus tempora lauru
Concinis ad citharam fortia facta patris:
Et quales memorant agiles celebrare choreas,
Gorgonei gelidus quâ fluit humor equi:
Nunc agite, argutas percurrite pollice chordas;
Nunc, precor, o laetos ore ciete modos.

Veſter honos agitur, nam quo duce veſtra vigebunt
  Sacra, ille ingreditur moenia Franequerae:
Templaque veſtra ſubit, Patrum plaudente coronâ,
  Vt colat ingenuis artibus ingenium:
Dicite, quem Charites manibus finxere decoris,
  Dicite, quem fovit docta Minerva ſinu:
Cuique tuum tenero nectar, Venus alma, miniſtrans
  Eſſe parem dederas ore Cupidinibus:
Naſſavios qui jactat avos, interque ſuorum
  Ceras, Regales Caeſareasque videt:
Pro quo multa ſacris figuntur vota tabellis,
  Vnica qui noſtrae cura fuit patriae.
Ille, mihi veri ſi quid mens augurat, olim
  Vatibus ingenium materiasque dabit:
Et veteres aequabit avos, magnumque parentem,
  Magnus eritque armis, magnus eritque togâ:
Nec minor ingenio, neque erit probitate minore,
  Quam fuit, Haſſorum gloria, Mauritius,
Mauritius, cui Pieriae de fonte ſorores
  Pocula Caſtaliis plena dediſtis aquis:
Cujus carminibus riſit pater ipſe Viſurgis,
  Et qui frugiferos Fulda pererrat agros.
Tu modo, Phoebe, fave; ſic ſit tibi Delphica laurus
  Semper, et Aonii ſis decus usque chori:
Sic redeant noſtris felicia tempora terris
  Auriaci tandem Principis auſpiciis.

1726. PETRVS WESSELING.

WILHEL. CAR. HENR. FRISO.

Sponſus.

Vndique Friſiacis pubes agreſtis ab arvis
Feſto laeta die ſpectatum venit in urbem:
Venerunt juvenes, tenerae venere puellae;
Venit et Alcimedon, quo magni Friſonis ortus
Et caſtos ignes et Martia bella canente,
Lavica plauſit aquis et leni flumine Borna,
Jam ſenior, baculoque pedum veſtigia firmans:
Ac prior, o ſegnes et ruſtica digna notari
Turba, quid adſuetis ceſſant in carmina Muſae?
Cernitis, ut ſpoliis et victà Virgine celſus
Ingreditur Princeps, et victo Principe Virgo?
Cernitis, ut totis celebrent nova gaudia vicis
Vrbani: et vobis damnanda ſilentia durant?
Quo dudum promiſſa fides? age, nuper ad ignem,
Horrida cum Boreae coelum foedaverat ira,
Judice me ſponſam alternis ſponſumque canentes,
Naſſaviae ſi gentis amor, ſi Principis urit,
Incipiant juvenes, vos reſpondete, puellae.

Exoptata veni, noſtri quam ſaepe parentes,
Quam noſtrae petiere preces, en adſpice, cuncti

Te gaudent veniente domum: tua nomina laetus
Reddit ager, ſylvae reſonant et murmurat unda.
Aggredere o vacuos felixque capeſſe penates
Auriacos; ibi complexus, ibi gaudia habebis,
Et quicquid primis didiciſti noctibus uxor.
Dixerunt juvenes, vos reſpondete puellae.

Qui te, qui noſtras, Juvenis, populare catervas
Impulit, et ſociam Nymphis auferre Britannis,
Vnica quae noſtri fuerat modo gloria ſexûs?
Si crudelis amor; crudelis tu quoque Princeps,
Quem non virginei potuerunt flectere queſtus,
Nec lacrymae potuere. redux tamen usque valebis,
Crudelis licet et noſtro minus aequus honori.
Incipiant juvenes, jam reſpondere puellae.

Huc ades! et votis, quae vincla jugalia curas,
Juno fave; tua res agitur, tibi tradidit ultro
Hos Venus, et caſtae Veneris lectiſſima proles.
His face felici volvantur tempora fuſo,
Et currant ſine nube dies: non arctius alni
Brachia conſtringant hederâ ſerpente flagella;
Oſcula nec tenerae vincant in amore columbae.
Dixerunt juvenes, vos reſpondete puellae.

Friſiacis Virgo, ſeu jam matrona vocari
Malueris, ſunt et noſtris ſua gaudia Nymphis:
Sunt choreae et luſus; quos ſi dignabere honore,
Friſiacis nullae poterunt contendere Nymphae.

O placeat tibi noſter ager; nec crede mariti
Blanditiis: inſunt ſpinae: neque faſcinet unquam
Te tuus, aut cogat timidas odiſſe puellas.
Incipiant juvenes, jam reſpondere puellae.
Audiat haec Horſus, duce quo gens Friſia fertur
Saxonibus permiſta agros tenuiſſe Britannos:
Audiat Hengiſtus, regali in jura mariti
Friſiaci veniſſe iterum de ſtirpe Britannam:
Audiat, et magnis ſe celſior inferat umbris,
Promittat generique decus gentique nepotes,
Friſia quis plaudat, cupiant ridere Britanni.
Dixerunt juvenes, vos reſpondete puellae.
Naſſavii proceres, illuſtri et ſtirpe Leonis
Progeniti, quorum vultus et geſta Menalcas
Oſtendit nobis, dixitque, o ſanguine plures
Proveniant veſtro! ſed tu caſtiſſima noſtris
Juncta choris maneas. comites num fallimur? ecce,
Ah nimium facilis veteremque oblita pudorem,
Nos fugit, et juveni blandum ſubridet amanti.
Incipiant juvenes, jam reſpondere puellae.
Naſcere parve puer, tabulis cui vota Britanni
Jam ſignant, aequesque petunt ut facta Georgi;
Naſcere, Friſiaci quem magno Friſone ſperant
Et patre, ſi fas eſt, olim memorare priorem.
Te duce viſet agros repleto Copia cornu,
Et fruges ſine fine feret: quaecumque manebant,

Aufugient procul a noſtris incommoda campis.
Dixerunt juvenes, vos reſpondete puellae.
Naſcere formoſae feſtiva puella parenti,
Laeta oculis, niveisque genis, roſeisque labellis,
Et formâ ſine fraude potens, et plena lepore.
O veniat citus ille dies, quo juncta choreis
Exſultes noſtris, et virgine pulcrior omni
Regales avias, ſanctiſſima nomina terris,
Charlottam ingenio vincas, pietate Loviſam.
Incipiant juvenes, jam reſpondere puellae.
Sarmaticos qui perdis agros, quique Itala regna,
Germanasque acies et Gallica concutis arma,
Mars, nimio bacchate, ferum compeſce furorem,
Neu Belgas in bella voca: ne conjuge Princeps
Divellatur amans, armorum accenſus honore:
Bella gerat, ſed bella toris; et uterque viciſſim
Inter et amplexus atque inter gaudia certent.
Finierant juvenes, nec reſpondere puellae.

PETRVS WESSELING.

Inſcriptum Albo

MENARDI VISVLIET.

Poëta, cujus nomen hoc vides loco,
Ait ſodales omnium non ultimus
Cenſendus inter, quos habet quam plurimos
Menardus, ille Gratiarum corculum,
Visvlitianae gentis inclytum decus:
Nec hoc negare poſſe Leidekkerios,
Teilingiumve, nobilemve Sloetium,
Heshuſiumve Sloetio junctum ſuo,
Aut, qui jocoſa multa miſcet ſeriis,
Radermakerum, candidumve Bontium,
Salmaſii vel et nepotem maximi.
Quin et medullis ut venuſtus omnibus
Amet fidelem Grotium Visvlitius;
Vtque ipſe contra ter venuſtum Grotius
Amet medullis omnibus Visvlitium,
Norunt Galaeus, et duo Roskammii,
Nortviciusque, Papiusque, et artifex
Schoumannus, aevi pictor optimus ſui,
Doctoque natus patre Snakenburgius.
Norunt et illud, Conſulisque Hoevenii

Polita proles, eleganſque Raſſius,
Meijerulusque, Panniusque, et Pannii
Meijerulique cura, Seppenwoldius.
Vos namque cuncti, quotquot eſtis, in dies
Viſvlitiumque Grotiumque mutuo
Conſentientes cernitis dulciſſime:
Dum vos et ipſos, tot ſodalium cohors,
Visvlitioque Grotioque et invicem
Tenet ligatos artiore vinculo
Candor Batavus, et Fides conſtantior,
Numquam moleſtis rupta linguae jurgiis,
Rumpenda numquam: ſic vel uvae conſitor
Spopondit Evan nuper inter pocula,
Quae crebra nobis ingerebat Raſſius,
Cui regna vini ſorte tunc obvenerant.
Coqui popina Moſelagii ſenis,
Tibi haec fuiſſe et eſſe cognitiſſima,
Ait Poëta: nec bonum Bernardulum
Latêre credit, iſta ſi quem veſpera
Domum redire viderit non ſobrium.
Certe ipſe (quicquid cenſor increpet Cato)
Lectum petiſſe dicit ebrio pede:
Bernarduloque ſexies et amplius
Aures Baroldum vellicaſſe dexterâ:
Sed haec fuêre: nunc calore percitus
Poëta ſacro, quà poteſt modeſtiâ,

Catullianis hoſce conditos modis
Leves ïambos dedicat CONCORDIAE.

JANVS GROTIVS.

MANIVM LOSIANORVM

Procuratio.

Perjura turba, ter ſceleſti milites,
  Si nomen illud convenit
In vos, madetis qui cruore innoxio,
  Plutonis inprobum genus;
Adeſte, adeſte, quotquot eſtis, vos vocat
  Tribunal ad ſuum Themis.
Illic Megaera vindicabit ſanguinem,
  Jubente divâ, cum ſuis
Caedet flagellis peſſimum mortalium,
  Qui Loſium leto dedit;
Donec nefandi criminis tandem Reus
  Exſpiret inter vulnera.
Nec vos, cohortis caeteri nequiſſimae
  Commilitones, non manet;
Sed inſtat, inſtat poena, namque ſub jugum
  Mittemini omnes, mortuus

Ex quo ſodalis, optimo ſpectaculo,
Pendebit eſca vulturum.
At tu quieſce, quem reconditum tenet
Natalis Enchuſae ſolum,
Cinis minute Lôſiani corporis
Quieſce terrâ ſub levi.
Leidenſis ipſa Pallas, artium Parens
Semel quotannis (ſic decet)
Schroderiique Loſiique Manibus
Nigram immolabit hoſtiam.

PHILOMVSVS BATAVVS.

N E A E R A.

O utinam cultis eſſem quae mane viretis
Ludit in Idaliis gloria prima roſis!
Quam ſtupet et cupidis toties ſectatur ocellis,
Quam legit et niveâ pulcra Neaera manu.
Mellea purpureis cui figit ſaepe labellis
Oſcula, Trinacrii nectare foeta favi.
Quam, premit ut teneras, ſplendenti rore, papilias,
Natali rapiunt invida fata die.
O utinam Zephyri nunc eſſem mollior aura!
Quae ſedet in roſeis luxuriatque genis.

Mox celer admiſſos Zephyrus ſenſiſſe calores
  Dicitur, et Paphii tela proterva Dei.
Chloris, ut irriguas hunc flentem cernit ad undas,
  Luget in innocui ſpicula miſſa jecur.
O utinam pictis eſſem nitidiſſima pennis,
  Quae, matutino gutture, vernat avis.
Quae toties tremulo mulcet modulamine ſylvas,
  Detinet atque animum, diva Neaera, tuum.
Detinet, umbroſis ut ſaepe errare latebris
  Te videt, et viridi decubuiſſe toro.
Labra columbinis quae tecum nexibus ardet
  Jungere, et ambroſiis baſia baſiolis.
Haud aliter dulcis, dulci cum compare, paſſer
  Blanda Dionaeis conſerit ora modis.
Ah! quoties caros, quoties oblita penates
  Diceris, argutum dum canit illa melos.
Et quoties denſis ſpreviſſe pericula ſylvis,
  Phoebus ut Heſperio mergitur Oceano.
O utinam puris nunc eſſem argenteus undis,
  Lene per anfractus rivus euntis aquae.
Intactos qui ſaepe meos dum lambit amores,
  Se putat Idaliae membra rigare Deae.
Nec mage Gargaphiis, jaculatricisve Dianae,
  Aut comitum ſplendet marmore pectus, aquis.
Atque iterum, ô Superi, ſi quid mortalia poſſunt
  Vota, nec inſtabili ſunt peritura noto,

O utinam vivis, haec eſſem uberrima, lymphis
  Aemula Maeandris, aemula vena, vadis!
Fervidus ah liquidos, ah quo non protinus ignes....!
  Eſſe velim, ignoſcas, lux mea, quicquid ames.

1764. JANVS OVTMAN VAN AALST.

FEBRI DIVAE S.

Inſcriptum codici, qui ſoſtra Auctoris continet.

Soſtra Machaoniis anguſtaque praemia curis
  Continet haec domini ſcripta tabella manu;
Saepe licet noſtros non multiplicantia cenſus,
  Gratia cum Medico vix datur ulla choro.
Nam ſimul ac dextro eſt pulſus medicamine morbus,
  Miſſaque ad infernos trux Libitina lacus;
Enthea vis doctis conceſſa medentibus, aegro
  Temnitur, et Superûm munere miſſa ſalus.
Teſtor Apollineos, ô pectora cara, miniſtros,
  Paeoniâ celebres, ore manuque, viros.
Qui quoties animus furiis agitatur Avernis,
  Eloquii regitis frena potentis ope.
Et quoties linguae renuunt moderamina ſenſus,
  Divinâ toties panditis arte viam.

Vos ego ductores veneror, venerorque ſodales,
  Vos ego non fictâ religione colam.
Tu Dea, tu vindex, tu noſtras, optima, cauſſas
  Febris age, e Stygiâ ſede vocata veni!
Vrat et ingratos gelidus rigor acriter artus,
  Et tremat, immani frigore, corpus iners.
Qualis Hyperboreis ferus incola pallet in oris,
  Qualis et in Scythicis advena torpet agris.
Torreat hinc imas non reſtinguenda medullas
  Flamma, vel in medio non peritura mari.
Qualis Centimanus ſpeluncis aeſtuat atris,
  Dum vomit Aetnaeis ſaxa liquata focis.
Torqueat et lento, ſplendentia guttura, muco,
  Arida vel nullo fonte levanda ſitis.
Tantalus ut, liquidâ totus dum cingitur undâ,
  Vritur, appoſitis non fruiturus aquis.
Sic tibi, in Auſoniis ut quondam, protinus, arvis,
  Diva potens, grato pectore, dona feram.
Sic tibi nec noceant generoſis pharmaca ſuccis,
  Tradita vel Phoebi pharmaca ſacra manu,
Nec magis à toſtis cortex qui mittitur Indis,
  Gaudet et à patribus nomen habere vagis.
Cernere ſic liceat, doctus mortalibus aegris
  Quid valeat Medicus, quid valeatque Sophus.

1764. JANVS OVTMAN VAN AALST.

AD SANTENIVM.

Optima Farſetii perlegi Carmina, Laurens,
  Viſa mihi cedro carmina digna lini.
Pura fluunt pelluciduli de more fluenti,
  Certaque Romani ſigna nitoris habent.
Non ſatis haec Venetis erat evulgare libellis,
  Non ſatis ante tuis, Francia culta, notis:
Aemula nì tantae quoque noſtra Batavia laudis,
  Has quoque delicias nì tua Leida daret.
Hoc quando unum omnes mecum optavere Poëtae,
  Cura quibus Latii carminis alta ſedet;
Vnguibus a teneris Muſarum dulcis Alumne,
  Santeni, vanas non ſinis eſſe preces.
Pro quibus officiis triplicis tibi Neſtoris aevo
  Aonas ad fontes molle teratur iter!

1785. T.

ERRATA IN

DELICIIS POETICIS.

Pag. 85. *pro:* Neptuni ſoboles, hoc Trompius ore Batavus. *ex emendatiori Heinſii autographo reſcribe:*

Trompius hac facie, Neptuni cura, Batavus.

Epigramma vero primum paginae 122 *dele; quippe quod integrum exſtat apud Sannazarium. In quo me memoria, neſcio quo modo, feſellit.*

DELICIAE
POETICAE.

FASCICVLVS VII.

QVI PLERAQVE CONTINET CARMINA

IANI GROTII.

LVGDVNI BATAVORVM
Apud A. et I. HONKOOP
CIↃIↃCCLXXXVIII.

LAVR. SANTENIVS
BAVIO VOORDA
ANTECESSORI BATAVO.

En iterum, Bavi, tibi munera Muſica porto;
Grotius illa tuus protulit, illa meus:
Qui bene cum Patriâ nuper florente ſuperſtes,
Nunc bene poſt Patriae vulnera merſus humo eſt.
En iterum Themidem numeris fraudare ſeveram,
Et libet Aonidum ludicra ſacra ſequi.
Magne tuo veniam concede, Magiſter, Alumno;
Viribus iſta meis ſarcina maior erat.
Artis, mi ſatis eſt, elementa priora Iuventam
Legiferae valeam ſi docuiſſe rudem.

Tu meritas iuſta palmas anteire Parentis,

Et refer oblitis Romula Iura foris.

Tu tere, quo doctâ petiit Antonius et quo

Sidera celſa prius laude Iacobus, iter.

Nos facili contra tenuemus carmina torno:

Quâ poteſt, quiſque ab eâ comparet Arte decus.

1788.

IANI GROTII CARMINA.

IANO HVGONI VAN STRYEN

I. V. Doctoribus adſcripto.

Tempus erat, ſilvas orbare virentibus umbris
Quo venti primum incipiunt pluviaeque cadentes:
Cum viridi trunco ſubnixus in aggere ripae,
Vnde urbem adſpiceret patriam, centumque carinas,
Inter oves Corydon feſtivum carmen, Iolae
Conveniens meritis, tenerâ ludebat avenâ.
  Namque canebat, uti curarum ſemper Iolas
A tenero patiens vitamque peroſus inertem
Ingenuis primos devoverit Artibus annos,
Quae vivum eripiunt Vulgo rudibusque Vacerris,
Ac tandem, emeritae fugientia tempora vitae
Permenſum, aetheriâ mortalem ſede reponunt
Aſtra ſuper nebulasque leves Phoebumque micantem.
Tum vero, ut puerum veſtigia gentis avitae,
Gentis honoratae veſtigia docta prementem;

Et Themidos ſacris operantem lege ſeverâ
Traiectum longos compexerit inde per annos:
Donec ovans, laetâ iuvenum comitante catervâ,
Iam ſecum inſignes Doctorum Iuris honores
In patriam referat; curamque triumphet acerbam,
Quae venit Herculeo ſuperanda labore, priusquam
Doctorum inſignes capiantur Iuris honores.

Praecipue tamen ante alios cantare periti
Divinam Corydon vocem laudabit Iolae;
Et, quoties puer ille ſuâ, referebat, avenâ
Capripedes Satyros et ruricolas Silvanos
Et Panas Nymphasque leves Faunosque bicornes
Mulſerit, umbroſâ proſtratus membra ſub ulmo
Propter aquam, quâ dulce ſonat crepitantibus undis
Rhenus, et obliquas praetexit arundine ripas:
Seu duro extinctum fato lugeret Amyntam:
Seu Themidem aut medicas laudaret Apollinis artes,
Et varios merito iuvenes, quibus illa coluntur
Numina, caeruleo ſuper aethera ferret Olympo:
Seu, Veneri formâ ſimilem praeſtante, doceret
Egregiam virides reſonare Lycorida ſilvas,
Arboribusque ſuos calamo narraret amores.

Ac tandem, Heſperios Phoebo vergente ſub axes,
Talibus agreſtem Corydon ſua carmina muſam
Clauſit ovans, teretesque domi ſuſpendit avenas:
„ Sic precor, o Superi, coeleſtia numina, quorum

,, Pendet ab imperio, quae cingitur aequore, tellus,
,, Hoſpitium humani generis, coelumque profundum:
,, Sic precor ut longos feliciter impleat annos,
,, Deliciae, Themis alma, tuae, mihi carus Iolas.
,, Sic videat poſito quandoque Lycorida faſtu,
,, Pulcram illam ante alias formoſo corpore nymphas,
,, Vincentem candore nives ſibi tradere dextram.
,, Tunc iterum laetos modulabor arundine verſus,
,, Et viridi myrto ſertisque Lycorida cingam.
Haec Corydon, plauſu reſonarunt omnia longo:
Caeruleasque comas liquidis Moſa ſuſtulit undis,
Et ſonitu ripam concuſſit utramque canoro,
Naiadum turbâ feſtas agitante choreas.

1746.

IANO HVDDE DEDEL

Coſ. XI.

En iterum faſces et faſcibus addita laurus,
Quodque novo preſſum pondere ſplendet ebur;
Et quae Sidonio praetexta refulget ab oſtro,
Dedelium exornant, Haga beata, tuum.
Haga, viri meritis quae dudum es conſcia, grates
Iſto coelitibus nomine laeta refer,

Exigit hoc ſpectata fides, hoc candida virtus,
  Conſulis hoc probitas, quae tibi nota, tui.
Ille urbem adſeruit toties, ille adſeret urbem
  Rurſus, ut in cives commoda larga fluant.
Publica nam privis praeponere more Batavo
  Novit, et ingenio conſilioque valet.
Interea in leges dum iurat, et optima pro te
  Vota pater patriae nuncupat ore pio;
Fronde coronatas taurus ducatur ad aras,
  Qui tepido adſperſam ſanguine plangat humum.
At tu, noſter amor, ſacris mox rite peractis,
  Blanda Erato, niveâ conſpicienda ſtolâ,
Quum populo feſtos repetet comitante penates
  Dedelius, populi, quem regit, omnis honor;
I, ſequere, et pompâ fac inveniaris in illâ:
  Non pedis hic vitium, clauda decenter, obeſt.
I, ſequere, auguſtas ingreſſaque Conſulis aedes
  Haec Maecenati trade legenda meo.
Quid dubitas? non ille tuae molimina curae
  Excipiet tetricâ reiicietque manu.
Nempe aliter, quam nunc tot nobilitate ſuperbi,
  Sed quibus a proavis unica fama venit,
Dedelius, meliore luto cui pectora Titan
  Formavit, proavis clarus et ipſe, ſapit.
Non pudet hunc, Phoebi myſteria docta colentem,
  Nomen Apollineos inter habere viros.

Et merito: quid enim? veteres non laurea ceras
  Dedecorat Clarii vertice lecta iugi.
Dic, age! progenitos alto num ſanguine Douſas
  Deterit Aonium demeruiſſe chorum?
Kinſchotio celebrata ſuo, num ruſtica cultu
  Dinula Kinſchotios fraudat honore lares?
O pereat, qui mentis inops ſibi talia fingit
  Somnia, quae pueris ebria narret anus.
Non hoc Kinſchotios, non illud labe notavit
  Douſarum illuſtrem conſpicuamque domum.
Heinſiadis nec turpe fuit gnatove, patrive,
  Carmen ad Auſonias concinuiſſe fides.
Non fuit opprobrio, quem ſuſpicit ultimus orbis,
  Pollice Grotiadae barbitos icta ſui;
Grotiadae, cuius ſanctos poſt funera manes
  Dentibus haud metuit rodere Livor iners.
Sed valeant ingrata. polo tranſcriptus, hiantes
  Invidiae rictus deſpicit albus olor:
Deſpicit et longo memorabitur inclytus aevo,
  Donec, epos Latium qui legat, ullus erit.
Denique, Romanas ne, Cenſor inepte, Camenas
  Hic tantum in partes, qui coluere, vocem;
Ecquid, equeſtre decus quem commendabat avorum,
  Hugenio nocuit Belgica Muſa ſuo?
Aut maculam adſperſit natalibus Hoofdia Clio,
  Quae Batavi aeternum condidit oris opus?

An laudem et titulos promovit uterque ſuorum,
Carmine dum famae conſuluere ſuae?
Immo ita! nam citharas patrio ſuſpendit Olympo
Phoebus, ubi obſcurant iam duo ſ[illegible]a lyram.
Hic et ſumma dies quum venerit, optime Conſul,
(Dî, precor, ô utinam ſera ſit iſta dies!)
Poſteritas fulgere novum mirabitur aſtrum,
Et mediâ radios nocte vibrare ſuos,
Quae tu Potiadae nunc tractas aemula nervis
Nablia, Mudenis aemula pectinibus;
Aemula? non certe: vincunt tua nablia, vincunt
Mudenasque fides Potiaeamque chelyn.
Vos eritis teſtes, vos, ô Oaſthornia Tempe,
Dedelii aeſtivum Conſulis hoſpitium.
Illic et Satyros et capripedem Silvanum
Saepe tenet vinctos carminis arte ſui.
Illic et Dryadas, illic et Pana parentem,
Cui ſua tunc ſordent Maenala, ſaepe tenet.
ô Nemora, ô ſaltus, ô non penetrabilis aeſtu
Umbra ſub arboribus, frigore grata tuo!
Vosne ego Theſſalicis dubitem conferre viretis?
Quod colit hanc ſedem cum duce docta cohors.
Vos dominum auditis per devia veſtra canentem,
Vos dominum, ut Divas Theſſalis ora ſuas.
Dumque canit, ventique leves et murmur aquarum
Et volucres, plectro multa ſonante, ſilent.

Tu tamen obloqueris, nunc nil niſi vocis imago,
Nympha prius formae dote ſuperba tuae;
Dedelii cantus quae reddis, amabilis Echo,
Nunquam feſſa modos reddere Dedelios.
Quid mirum! extinctas animo tum denique flammas
Exuit, ac fatum non dolet aegra ſuum.
Teſtor et illa mei Santhorſtia praedia Phoebi,
Illa etiam numeris condecorata tuis;
Chorda recens nato quum nuper, maxime vates,
In teneri tenerum tinniit aure melos!
Fallor, an ad ſtrepitum obſtupuit iam percitus oeſtro,
Miſſus ab aetherea qui venit arce furor,
Et manibus pedibusque adluſit parvulus infans?
Dum gremio matris non onerofus erat.
Quidquid id eſt, oculis vivum iaculantibus ignem
Burmanno genitum ſe probat eſſe meo.
Quin oculis, ſic ipſe mones haud vanus haruſpex,
Fingendi quondam carminis omen ineſt;
Omen ineſt. Sed celſa novus Capitolia Conſul
Deſerit, a populo cinctus utrumque latus.
Pars ſalit ante rotas, pars lauru ſtrata viarum
Spargit, et inſtantes ſaepe moratur equos.
Vivat io! pars clamat io! geminusque precatur
Conſulis imperio fauſtus ut annus eat;
Vt Genius, vitae cuſtos, patriique penates
Dedelium ſervent Dedeliamque domum;

Et quae praeterea, ſuperos habitura faventes,
Ingeminant hilari femina virque ſono.
Rumpe moras Erato: plaudenti immixta catervae
Tu quoque laetitiam prode modeſta tuam;
Tu quoque iactato virides per compita laurus,
Et bona tam pulcro concipe vota die.
Vtque decet, mea Diva, tui mandata poëtae
Quum perages, magnum devenerata virum,
Det veniam Conſul, ſubmiſſa voce rogato,
Si mea non Suadae nectare vena madet.
Di! pergat tamen ille ſuum foviſſe clientem,
Quod facit, et Muſis dexter adeſſe meis!
Sic ego nec gemmas, hoc mactus honore, nec aurum
Maluerim, aut rubro quod legis, Inde, mari.
Dedelii nam grata mei ſpiraverit aura,
Pieris immundam noſtra relinquet humum;
Nec metuet Baviosve rudes, turpesve Vacerras;
Ipſe licet rabido Zoilus ore fremat.

1757.

In tertium Natalem

FRANCISCI PETRI BVRMANNI.

En iterum Aonii modulamur carmina cycni,
  Et reſonant gratum praedia culta melos.
Tu modo, ſancte Geni, ſolitum viſurus honorem
  Huc ades ad noſtras, Dive benigne, preces;
Quà gremio te laeta ſuo Santhorſtia condet
  Villa, ubi de platanis decidit umbra tuis;
Huc ades, Aſſyrio perſuſus tempora nardo,
  Cinctus et intonſas fronde virente comas.
Sic vocat, exacto quae ſuda renaſcitur anno;
  Sic te feſta vocat, candida tota, dies;
Quà primum aetherias Burmannulus inbibit auras,
  Et tener infanti vagiit ore puer.
Quid ceſſas, formoſe? veni: quid noſtra moraris
  Gaudia? iam medio ſole calente polo.
Tolle moras; tibi ſparſit humum violisque roſisque
  Sixia, quo poſſint molliter ire pedes.
Haec tibi Mopſopio libum de melle paravit,
  Quaeque coronatis det pia tura focis;
Et crocinum, quod nare trahas, et olentia late
  Balſama, quae ſilvis legit aduſtus Arabs;

Corticibusque tuis ſudatos, Myrrha, liquores,
  Et quos praeterea plurimus abdit onyx.
Tolle moras; ſed vota cadunt; nunc ô bona mater,
  Nunc age, praeſenti fer ſua liba Deo.
Nunc age, ſubiectis et odores ingere flammis,
  Albertina, tuo coniuge digna, nurus;
Et ſobolem ſervet Genii tutela, rogato,
  Ceu decet, appoſitas dum capit ille dapes.
Vir tuus accenſam pateris effundet in aram
  Optima, quae tulerit vina Falernus ager.
At natum prius ipſa tuum mihi trade: tenebo
  Dilectum hoc Veneri Pieriſinque caput.
Salvê, care puer, felicibus edite pennis,
  Matris amor, Charitum pulle, Parentis amor.
Vt iuvat amplecti tua colla tenacibus ulnis;
  Immo ita; brachiolis me quoque ſtringe tuis!
Vt iuvat his oculis, purum iaculantibus aurum;
  Vt iuvat et teneris baſia ferre genis!
O dulces oculos, ô labra corallina, vernas
  Quae ſuperant, Tyrio murice tincta, roſas;
O digitos, mollemque manum, quâ lilia non ſunt
  Alba magis, quâ nix non magis alba recens.
Vos teretes digiti, quum poſthaec robore iuſto
  Inplerit numeros prima iuventa ſuos,
Quam non degeneres Latias tum pectine chordas
  Forſan et Argolicum percutietis ebur!

Num dubitas, vir magne, meae Burmanne Camenae
Et decus, et quondam non periturus honor?
Crede mihi non eſt, nuper quod vidimus, omen
De nihilo; hoc veri pondus et inſtar habet.
Liber ïo! memini, recitabas voce canorâ,
Dum genibus premeret puſio pronus humum;
Liber ïo! bellator ïo vix perſonat aurem,
Inſiluit pedibus protinus ille ſuis.
Scilicet et venas, et quo Broukhuſius igne
Incaluit Clario pectora plena Deo;
Sixiadae auſpiciis elegos quum Conſule dignos
Conderet, et laudes, Graia ſaliva, tuas;
Quum choreis Bacchi rueret comes ipſe, corollâ
Inplicitusque humeros inplicitusque caput;
Idem ignis, ſacer ille ignis, dos priva tuorum,
Et tua tangebat corda, venuſte puer.
Fallor, an augurio non inpare parvus Iulus
Indolis erectae praevia ſigna dedit?
Tempore quo Troiam Siculâ ludebat in actâ
Vectus equo celeri, munere, Eliſſa, tuo.
Fac, rata ſit ſpes noſtra, potens Cyrrhaee ſaturi!
Numina Burmannus ſi tua rite colit.
Te rogat hoc cerebroque Iovis prognata Minerva,
Tresque ſimul Charites Caſtalidesque tuae;
Et Bromius, doctos qui nutrit et ipſe poëtas,
Et Venus, et Veneris cura, protervus Amor.

Interea mel creſce meum creſcentibus annis,
Et patrem et proavos diſce referre tuos.
Sic, tibi quae ducunt mortalia fila ſorores,
De niveo Parcae vellere penſa trahant!
Quique mihi, quoties redeas, celebrabere cantu,
Mors fera dum corpus vertet in oſſa meum,
Tu fauſtâ, natalis, avi, meliorque quotannis
Et melior venias ad tua ſacra, dies!

1759.

PETRO BVRMANNO SECVNDO D'ORVILII SICVLA EDENTI.

Laeta Selinuſiae revireſcite germina palmae,
Germina victrices cingere ſueta comas.
D'orvilii genio quos debet docta labores
Poſteritas, magnum devenerata virum;
Sicanii monumenta ſoli, triſtesque ruinas,
Eripuit tenebris officioſa manus;
Temporis illa manus domitrix, ditata tropaeis,
Quae ſimul et proprias adcumulavit opes.
Ingredere auſpiciis dudum addicentibus orbem,
Quâ patet, Hyblaeo nectare ſocte liber.
Iam tibi frugiferas Trinacria porrigit ulnas,
Plaudit et e mediis Himera uterque vadis.

Iam fontes aperire ſuos Arethuſa, virentes
  Henna tibi latebras pandere grata parat.
Hic ubi te gremio, liber aurec, bina viciſſim
  Excipient memores numina amica Deae;
Quaeque Leontinos diri Laeſtrygonis agros,
  Quaeque Erycis celſum poſſidet alma iugum,
Flava Ceres, myrtoque comas ornata Dione,
  Numina, quae domino culta fuere tuo.
O quoties non obſtupuit te, gloria vatum,
  Cantantem aeternos illa vel illa modos.
Saltabant pariter Nymphae, pariterque legebant
  Inplic.tura tuum florea ſerta caput;
Sicelides Nymphae, Dryadesque, et Oreades, et quas
  Forte alio plures nomine terra fovet;
Caſtae omnes, omnes Divûm genus et pia cura,
  Capripedum inſidiis neſcia turba capi.
Da veniam, platanos feſſo quod iniqua negarit
  Vrbs vetus, Andromachi quam poſuere manus,
Tauromenos, Bembo luſtrante, benignior olim;
  Da veniam: facti poenituiſſe patet.
Ingenio decorata tuo viresque reſumſit,
  Atque iterum arboribus conſita veſtit humum.
Vivite, frondentes platani, longumque valete,
  Tauromenitanis umbra renata locis.
Et tu operae felix, Burmanne, laboribus iſtis
  Macte, age, D'orvilio non minor ipſe tuo.

Dum Cyane, tortuſque Gelas, dum lenis Anapus,
  Hypſaque dum liquidas in mare volvet aquas;
Simichidae calamos dum ſecula nulla tacebunt,
  Steſichoruſque gravi carmine notus erit;
Te quoque per populos memorabit, et omnibus oris
  D'Orvillio iunctum fama loquetur anus.

1764.

In

PETR. BVRMANNVM SECVNDVM

De Eruditionis Neglectu et Luxu dicentem.

Broekhuſii Manes, et Francî nobilis umbra,
  Dilectum Clario nomen uterque choro,
Si quid in Elyſiis ubi frondet plurima ſilvis
  Laurus, et Idaliae myrtus amata Deae,
Poſt obitum Amſtelii vos tangit, ut ante, Lycei
  Gloria, Burmanno rite favete meo:
Dum ſimul, inſano frangentibus omnia Luxu
  Moribus, et Patriae fata vicemque dolet,
Et temere everſas innuptae Palladis aras
  Erigit, et ſacrum luſtrat odore locum,
Pieridumque decus victricibus adſerit armis,
  Et Bavios Phoebi pellit ab aede procul.

Ite, animos tenerae corrumpere nata iuventae,
  Turba, nec ambroſias tangite inepta dapes.
Quercus iners vobis cibus eſt, veſtrisque palatis
  Marcida, poſthabito nectare, vappa ſapit.
Et tamen (o Superi! quanta eſt audacia! quanta eſt!)
  In Pindum haec aliis natio monſtrat iter.
Sic Thamyram legeret comitemque ducemque viator,
  Solus in ignotis quum vagus errat agris.
Dicite, Maeviadae, genuina parentis imago,
  Barbariae obſcoeno monſtra creata ſinu,
Quis iubet armiferae vos caſta docere Minervae
  Sacra, quis Aonios velle praeire modos?
Non facit ad citharam, quae tantum paſcere aſellos
  Arcadica didicit ſqualida ſorde, manus.
Hoc opus eſt, Burmanne, tuum, quo vindice Muſas
  Amſtela iam reduces in ſua templa vocat.
Amſtela, tolle caput, duplici mactatus honore
  Mercurio Phoebum iungis in urbe tuâ.
Fata velint, dum celſa polo Capitolia ſurgent,
  Et tua fraternos adluet unda pedes,
Vt Procerum adſiduo tutamine laetus uterque,
  Non minus hic ripas, quam colat ille tuas.
Et tu, Petre, meos inter ſors prima ſodales,
  Caſtalidumque novem, Petre, meumque decus,
Perge, age, lauriferos Heliconis in antra receſſus
  Sternere non dubiam, qua decet ire, viam.

Sic, Patruum populis ut iactat, eoque ſuperbus
Caeruleo virides exſerit amne comas,
Tot numero inſignes qui nutriit ante Poëtas
Rhenus, at hanc laudem nunc ſibi abeſſe dolet;
Leida vel, excepto quae vatibus orba Royeno,
Vt memori aeternum praedicat ore Senem;
Amſtelides tua facta canent, ſtatuamque dicabit
Obſtrictus meritis naviger Ya tuis.

1765.

AD

DANIELEM ALPHENVM

FRANC. MIERISII LEIDAM EDENTEM.

Heroum fecunda parens, quos nulla ſilebunt
Tempora, dum coelo tollis ab arce caput,
Leida, triumphato nomen ſortita Tyranno,
Monſtrorum domitrix, fronde revincta comas;
Atque eadem, ingenuas iam docta fideliter artes,
Quas colis, et gremio inter alumna foves,
Grata domus Phoebo cantori, grata medenti,
Palladis et Themidis, Pieridumque domus:

Hoc tibi, quae diro paſſim graſſata veneno
  Tot rapuit cives peſtis avara tuos;
Hoc tibi longa fames, tectisque immiſſa ſuperbis,
  Improba quae patrias flamma vorabat opes;
Quum tua te virtus pro libertate Batavâ
  Impulit hoſtiles ſpernere poſſe minas,
Aſturiae faſtus contundere nata feroces;
  Hoc tibi tunc privum conciliare decus.
Vivite vernantes aeternum, vivite lauri,
  Conſita Douſiacâ germina laeta manu:
Vivite: ſic veſtris pubes numeroſa ſub umbris
  Ludat, et aethereo rore madeſcat humus:
Quaque patet, liquidae quam plurima vocis aëdon
  Impleat Orpheis cantibus omne nemus.
Et tu, Rhene pater, qui rudera priſca Quiritum,
  Merſa ſub aequoribus, cernis ab amne procul;
Hic ubi Cattorum gens dura mapalia quondam
  Rara per incultas diſpoſuere vias;
Tu, licet heu! Rheno quantum mutatus ab illo,
  Qui tumidum rapidas in mare volvit aquas,
Collibus iniectae nunc oſtia clauſus arenae,
  Per vada limoſo tramite lentus eas;
Macte animo tamen, et vultus oſtende ſerenos:
  Hanc tua te cladem Leida dolere vetat.
Illius auſpiciis tibi venit in orbe remoto
  Gloria, quae damnis crevit ab ipſa tuis.

Nec minor eſt iam fama tuae quam Thybridos undae;
Tot vatum egregio nobilitate choro.
Cumque oculis tantum ante tuis ſe nuda videndam
Praebuerit glaucâ Doride nata cohors;
Oſcula nunc libant Charites tibi blanda Pelasgae,
Libat et exutâ veſte Latina Venus:
Dum niveos artus formoſaque membra lavantur,
Et latices ſubeunt, flumina grata, tuos.
Dî, proprium hoc fuerit Rheno, volventibus annis,
Nec Batavi doctos degeneremus avos!
Patria Grotiadas ſed quae tulit, Heinſiadasque,
Grotiadas plures, Heinſiadasque ferat;
Gentis et antiquae genitos de ſanguine Douſ[illegible],
Quam bello et Muſis partus adornat honos!
Ite, animae viles, quos ſola illuſtrat origo
Nobilis, aut Tyriò tincta colore toga.
Nil mihi vobiscum eſt, ingloria turba: valete,
Vulgus iners, vacuum laudis amore genus.
Tu melius, qui longe alio veſtigia flectis,
Alphene, et curſus dirigis arte tuos;
Leidenſis pia dextra fori, Themidisque ſacerdos,
Cui merito tabulas credidit illa ſuas.
Tu melius: tu noſtra vocas, quae fecimus ipſi;
Sin minus, haec dubiae munera ſortis habes.
Nam licet et veteres tibi ſervent atria ceras,
Et tua ſit multo Conſule clara domus;

Non contentus eo, maiorum extendere nomen
  Auſus es, et famae conſulis ipſe tuae.
Vos mihi, vos teſtes, monumenta perennia, chartae;
  Quas tantâ expoliit ſedulitate labor:
Care liber, quo Leida ſuos iam noverit ortus,
  Mieriſio ante obitum cura ſuprema ſeni;
Quid dominum fato ereptum, male ſane, dolebas?
  Non nocuit: lucro mors fuit iſta tibi.
Auget opus ſplendore novo, qui te accipit heres,
  Inque oculos hominum cultior inde redis.
Immo ita, carceribus pretioſa erumpe ſupellex,
  Quo favor et populi publica vota iubent.
Doctorum plaudente choro, te tota ſalutat
  Belgica, et in laudes ſolvitur ora tuas:
Alphenique mei genio dum longa precatur
  Tempora, et immunes clade premente dies;
Mieriſio inferias nigrantem terga iuvencum
  Caedit, et officio fungitur aegra pio:
Extremumque ciet manes, taxiſque ſepulcrum
  Cingit, et innumeras ſpargit in oſſa roſas.
Adſonat Elyſiis, quibus umbra vagatur, ab arvis
  Douſa, pater vatum, pectine Douſa potens;
Adſonat, ut quondam Nortvici in vallibus Echo,
  Aut quum, pulchra, oculos concinit, Ida, tuos.
Fallor, an et Leidae necdum ille oblitus amatae,
  Quem ſua plus virtus quam decoravit ebur,

Laetitiâ exſultat poſt mortem Wervius ingens,
Muneris auctores praemia digna ſequi?
Sic decet: Herculeos comitatur fama labores,
Et meritis merces palma parata manet.

1770.

GENIO
GERARDI HOOFTII
POËTICOS.

Hooftius Amſteliae, dum vixit, nata Iuventae
Gloria, ſemideos reddere natus avos;
Et Patriam, auſpiciis Phoebo adſpirante ſecundis,
Ingenio quondam nobilitare ſuo,
Parcarum invidiâ vernanti raptus in aevo,
Ante diem campos venerat Elyſios.
Nec mora, ſicut erat myrto exornata papillas,
Nunc quoque non tacito lumine multa loquens,
Advolat, et manes complectitur umbra recentes,
Vatis amatoris Iulia ſculpta manu.
Quid facis, imprudens? non eſt tuus ille poëta,
Baſia mellito cuius ab ore rapis.
Alterius praedaris opes, furtoque labella
Polluis: at culpam vix tamen error habet.

Nam pariles flammas parili canit arte, Secundo
  Non minor auratae plectra movere lyrae,
Hooftius, Aonio correptus Apollinis oeſtro,
  Atque idem Idaliae ſaucius igne Deae.
Vivite, quae faſtos decoratis honora Batavos
  Nomina, Romanis aemula nominibus.

1770.

IN

IVLIANAM CORNELIAM DE LANNOY

HEROAS BELGICOS CARMINE CELEBRANTEM.

Dum canit aequorei Lanovia Martis alumnos,
  Angle ferox, rabiem qui domuere tuam:
Di ſuperi, quantum ipſa calet! quam turget avito
  Sanguine! quam Patriae flagrat amore pio!
Non alio veteres arſerunt igne Batavae,
  Indociles famulo ſubdere colla iugo:
Filia quum patrem, coniux hortata maritum,
  Non procul adſtantes proelia conſpicerent;
Aut reduces in caſtra viros, ſpolia ampla ferentes,
  Exciperent vinctis fronde virente comis.

O felix operae vates! digniſſima cedro
Carmina, Tyrtaei proxima carminibus!
Perge mares animos incendere: perge, Virago
Belgica, ſic Patriam demeruiſſe tuam.

1781.

EFFIGIES

ENGELBERTI FRANCISCI BERKELII.

Ad ripas quem Rotta ſuas Patriaeque tibique
Progenuit, coeli nobile depoſitum,
Haec tuus ora gerit, pater Amſtela, naviger amnis,
Intrepido conſtans pectore Berkelius.
Vt rupes immota manet, quam turbidus auſter
Verberat in mediis, dum furit aeſtus, aquis:
Albionum rictus ſic deſpicit ille caninos,
Nec tua, Livor iners, fulmina bruta timet:
Libertatis amans quum iura tuetur avita,
Iura peregrinâ non violanda manu.
Talis et incaluit, quem ſuſpicit ultimus orbis,
Propoſitique tenax Grotius ante fuit.
Pone viro ſtatuam, meritorum inſigne tropaeum:
Eximio ſtatuam, Belgica, pone viro.

Quâ patet excuſſis applaudet America vinclis
  Iam ſua, iam tecum conſocianda brevi.
Audiat hoc dirum ſcelerata Britannia nomen,
  Et doleat vanas nil potuiſſe minas.
Auguror; eveniet. Ficto quae crimine poenas
  Auſa fuit ſanae poſcere mentis inops,
Criminis admiſſi poenas (gaudete, Batavi.)
  Ipſa luet ſalvo perdita Berkelio.

1782.

I N   O B I T V M

I A N I   W I T T I I.

Tu quoque, Wittiade, miſcere ſilentibus umbris?
  O dolor! o Patriae longa querela meae!
Merva gemit, gemituque ſuo, quam dividit, urbem
  Dum quatit, attonitas fletibus auget aquas.
Hic vir, hic, inquit, erat, qui non ſine vindice noſtro
  Impoſitum collo fregit herile iugum.
Plorantem inſequitur fratrem, ripasque per omnes
  Lecca pater, liquido quâ ſecat arva pede,
Acclamat lacrimans, lacrimantibus undique Nymphis:
  Et mihi ſollicito portus et ara fuit.

Curia, quae toties dicentis ab ore pependit,
  Moeſta Senatorem plangit obire ſuum,
Et conſternatos rupto videt ordine Patres,
  Quos non degeneres publica damna movent.
Deficit alma Themis, fido ſpoliata miniſtro,
  Et tria Praetorem verba tacere iubet.
Dordrechtum, puero cunas quae praebuit olim
  Vrbs vetus, invictâ nobilis illa manu;
Dordrechtum, quae muta viro moriente rigebat,
  Vt Niobe, linguae crimine facta ſilex,
Ingeminat iam mentis inops: Crudelia Parcae
  Numina, quas ſurdis auribus eſſe iuvat,
Quid rapitis mihi Wittiaden, mea iura tueri
  Maxima cui vivo cura laborque fuit?
Publicolam miſeranda meum ſine fine repoſco:
  Sed mea diripiunt irrita verba Noti.
Exſequias, cives, (quid enim moror?) ite frequentes:
  Ite, agedum, ſciſſis veſtibus exſequias.
Et tu ſancta, pio quondam quae tincta cruore
  Nunc etiam luges, orba Catone tuo,
Libertas, commune bonum, fer dona ſepulcro,
  Quo ſuper e Pario marmore ſurgat opus.
Haec ait, et geminis exſtinctum amplectitur ulnis,
  Argenteſque genas ore tremente fovet.
Interea, Herculeas pennis transvecta columnas,
  Vix Thetidis ſubiit nuntia fama lares;

Ventorum horribili quum debacchante procellâ,
  Qua patet, Aegaeum fluctibus intumuit.
Nec mora, ſicut erat virides lanita capillos,
  Indignante vado mergitur ipſa Dea:
Wittiadenque ſenex toto ſonat aequore Triton,
  Dumque ſonat, reſonant litora Wittiaden.
At lectos gremio cineres vt Virgo Batava
  Condidit, aeternis ſculpit in aere notis:
HIC, PATRIAE QVI VIXIT, AMOR COLVMENQVE BONORVM,
  WITTIADES, PROAVO DIGNVS VTROQVE, IACET.

1783.

PETRVS BVRMANNVS SECVNDVS.

Talis Phidiaco vultum caelatus in aere
Burmannus, Criticâ nobilis arte, gerit.
Barbariae domitor, quem Suada Latina loquentem
Et Charis inrorant nectaris imbre ſui.
Poſteritas, venerare virum, qui vindice dextrâ
Adſerit Auſonii tot monimenta ſoli.
Quid mirum et veteres ipſum aequiparare poëtas?
Ingentis patrui pondus et inſtar habet.

1759.

In

PETR. BVRMANNVM SECVNDVM

De Maecenatibus Doctis dicentem.

Vibrantem audierat Burmannum fulmina linguae
Amſtela, et obſtupuit vix memor ipſe ſui.
Fallor, an Elyſiis rediit meus, inquit, ab oris,
Conſpiciturque oculos Franciu̇s ante meos?
Quidquid id eſt: ſi vera prius Ciceronis imago
Hic fuit; adtonitum non minus ille rapit.

1763.

ADRIANO ROYENO

Natalem Academiae Batavae celebranti.

Bis centum Batavis iam culta fideliter annos,
Leidenſis Clario Pallas amica choro,
Has tibi veris opes, quas legit dextra Royeni,
Candida purpureis lilia mixta roſis,
Et virides laurus et olentis germina myrti,
Accipe temporibus ſerta dicata tuis.
Et memor officii dignas pro munere grates,
Muneris auctorem devenerata, refer:
Nec genitis adeo celebranda ſub axe poëtis,
Mitte peregrinas quaerere divitias.
Haec noſtro Venus orta mari, Patriaeque tibique
Conciliat proprium, mater alumna, decus.

1775.

D. M.

PETRI BVRMANNI SECVNDI.

Hic vbi ſponte ſuâ iam ſurgit Delphica laurus,
Qualis et Andino naſcitur in tumulo,
Pegaſidum Burmannus amor, Phoebique ſacerdos,
Quem coluit moriens, verſus in oſſa iacet.
Subreptum flent Graia Venus, Pithoque Latina:
Dum tabulas frangit Belgica Mnemoſyne.
Conſternata gemit, tremebundaque vix tenet haſtam
Aſturiae comitrix, ſparſa cruore pio.
Rumpere Livor iners: manes comitata ſepultos
Gloria Burmanno quae venit, aequa venit.

1778.

IN EFFIGIEM CONSVLVM HAGANORVM PRAESIDIS IANI HVDDAEI DEDELII.

Faſcibus illuſtres, quos Belgica iactat alumnos
Indigetes tantis terra ſuperba viris,
Talis Avos Proavosque refert iam grandior aevo
Amſtelius Batavo pectore Dedelius ;
Haganos inter Proceres pars prima Senatûs,
Et, toties Conſul, quam regit, Vrbis amor.
Cingite, Vondelides, caput hoc venerabile, Muſae:
Dedelium Phoebo laurea ſacra decet.

1779.

D. M.

IANI HVDDAEI DEDELII.

Conſule Dedelio quae fortunata ſuperbum
Inſeruit toties nubibus alta caput,
Hic cineres, hic oſſa, brevis quae continet vrna,
Exuvias tanti, condidit Haga, viri.
Ad tumulum cuſtos ſedet, aeternumque ſedebit,
Tam bene quam rexit, publicus vrbis amor.
Buſta carent titulis. Titulorum ſpernit honorem,
Quae nitet in propriis vmbra beata bonis.

D. M.

BARTHOLOMAEI DE MOOR VAN IMMERZEEL.

Vrbis amor patriae, cui non ſemel illa ſecures
Credidit, vt Fabio Martia Roma ſuo,
Morius hic ſitus eſt. Cineres venerare ſepultos,
Aurea Libertas, vindicis orba tui.
Et vos Pierides, dum vertice nata paterno
Buſta rigat lacrimis docta Minerva ſuis,
Haec circum virides pro taxis ponite laurus,
Conſulis vt manes, quae decet, vmbra tegat.
Fama canit laudes, et avitum Belgica nomen
Mnemoſyne aeternis caedit in aere notis.

EFFIGIES

IOANNIS DIDERICI VAN DER CAPELLEN TOT DEN POL.

Belgarum communis amor, columenque Tubantum,
    Pollio, nobilibus gioria natus avis,
Aurea quem gremio Libertas fovit alumnum,
    Vt primum antiquos luderet ante Lares,
Talis erat, ferro quum te, pater Iſala, vinctum
    Exuit, oppreſſis ferre paratus opem.
Necte, age, quas meruit, gens ruſtica, necte coronas,
    Inviſoque diu plaude ſoluta iugo.
Albionum adtritas quae fregit America vires,
    Excipiet plauſus aure favente tuos.
Et tu, Livor iners, iam rumpere: rumpere, Livor,
    Pollio dum partes implet, ut ante, ſuas.
Non aliter Romam rediit, ringente Tribuno,
    Tuilius, Auſonii maximus oris honor.

IN FVNERE
GVLIELMI CRVLLII.

Crullius, adverſo dum pectore fulminat armis,
Et gravido haud vanas intonat aere minas;
Indignante Deo, cui ſors dedit aequa tridentem,
Occubat infelix victima perfidiae.
Vindictam cruor iſte petit. Quid lenta moraris
Patria? Quid lacrymas fundis inulta viro?
Trompiacos cineres, victoris et oſſa Ruteri
Teſtor, et adſerto roſtra cremata mari:
Igne parentetur ferroque illuſtribus umbris,
Sacrilegasque premant vincla Batava manus.
Sic tibi, quas furtis periura Britannia dudum
Commeruit, poenas digna perire dabit.
Has ſibi, qui pro te cecidit bene Martius heros,
Has ſibi, non alias, poſtulat inferias.

1781.

IN BRITANNOS PIRATAS.

Viderat imperium pelagi adfectare Britannos,
Cui pelagi imperium fata dedere, Senex:
Nec mora, quis furor hic? inquit: Titania proles
Iniicit audaces in mea iura manus.
Talis et illorum Proavus cum fratribus olim
Frangere tentavit ſceptra verenda Iovis.
At nunc perpetuis vinctum tenet Aetna catenis,
Et gemitu complet litora Trinacriae.
Haec tamen, haec rabidos non terret poena nepotes,
Sed genitos diro ſanguine facta probant.
Ergo age, Iſaurorum Ciliciumque imitata rapinas,
Natio praedatrix, turba odioſa mihi,
Perge tridentiferam veſana laceſſere dextram:
Par tibi ſupplicium criminis illa parat.

IN EFFIGIEM
ZOVTMANNI.

Gentis honor Batavae, quo Gouda ſuperbit alumno,
Impavidum aequoreas pectus inire vias,
Talis in artifici tabulâ Zoutmannus, Eois
Notus et Hesperiis, conſpiciendus adest.
Viderat aere çavo ructantes fulmina Belgas,
Hoc duce, ſerva diu Tethys, et incaluit.
Nec mora, coeruleos attollens libera vultus,
Dum vada ſacrilego ſanguine tincta rubent,
Fallor, an Elyſiis Michaël meus, inquit, ab oris
Anglorum rediit plectere perſidiam?
Plaudite, Nereides: fractis qui veſtra catenis,
Et patris Oceani iura tuetur, hic eſt.

1781.

IN EEFFIGIEM

DEDELII.

Dedelios quicumque vides in imagine vultus,
Obductumque notas vulnus in ore viri,
Barbariae adſuetos oculo indignante Britannos
Pignora perfidiae non dubitanda vides.
Pone animos, gens dira: nefas non paſſus inultum,
Te docuit, Batavos vincere poſſe ſuos,
Quum ſceleris poenas hac ipſâ vindice dextrâ
Immenſo exegit foenore Dedelius.

1781.

IN EFFIGIEM
BRAMII.

Talis, Achilleo quem pectore finxit, et artes
Cana ſuas docuit, Marte favente, Thetis,
Bramius, aequoreas dum fervet pugna per undas,
Trompiadem invictum, natus ad arma, refert.
Rumpe, age, rumpe moras, victricem amplectere dextram,
Amſtela, ſervatis mercibus incolumis,
Atque his temporibus navalem pone coronam.
Implicuit numquam dignius ulla caput.

1781.

IN EFFIGIEM
KINGSBERGII.

Hos oculos in fronte gerit Kingsbergius heros,
Notus Hyperboreo qua micat urſa polo.
Hos oculos, animi teſtes, ceu fulminis alas,
Horruit ardentes luna Bory[illegible].
Hos oculos gens illa ferox tremuere Britanni,
Quum fugeret Batavas perfida turba rates.
Iactet avos proavosque ſuos, quem ſola parentum
Gloria commendat non moritura, nepos:
Hic vir, hic ipſe ſibi, quo iam cenſetur honore,
Non proavûm meritis, debet equeſtre decus.

1781.

IN EFFIGIEM
BRAKII.

Martis et Oceani non ultimus inter alumnos
Brakiades, pulcram certus obire necem,
Albionum contra furias rabiemque caninam
Quum ſtetit impavido pectore, talis erat.
Talis erat, gens dira, tuo quum tincta cruore
Belgarum implicuit laurus odora comas:
Harpuias, fera monſtra, tuas victricibus armis
Quum domuit. Domitae corripuere viam.
Quid mirum Herculeos illum aequiperaſſe labores?
Brakiadae Batavo ſanguine vena calet.

1781.

IN EFFIGIEM

STARINGHII.

Talis inardeſcit Staringhius, aequore toto
Quum ciet horrendos, quâ ruit, aere ſonos.
Martem oculis vultuque refert, ſtragemque minatur.
En faciem. Virtus ſpirat in ore viri.
Velleris ablati pretium quid iactat Iaſon?
Quid monſtrum inſidiis ſuccubuiſſe ſuis?
Dum Iovis Elei Staringhius inſtar ab Argo
Torquet in hoſtiles tela triſulca rates,
Monſtra domat vigili peiora Dracone Britannos,
Et non alterius munere victor ovat.

1781.

MEMORIAE BENTINKIANAE S.

Sparge triumphales hoc moeſto in funere laurus,
Belgica, magnanimos ſueta creare viros.
Has meruit tuas ah! viridi Bentinkius aevo
Qui cecidit, dignas manibus inferias.
Has victor domitis tibi detulit ille Britannis,
Ornatura tuas munera grata comas:
Quum Patriam rediit, ſed vulnere truncus acerbo;
Sed Stygiis iam iam praeda futurus aquis.
Pró dolor! o quanto ſtetit haec victoria, quae nos,
Sanguine tam caro ſordida, flere iubet.

1781.

IN EFFIGIEM
OORTHVSII.

India quem patrias reducem transmiſit in oras,
Prognatum gremio, Belgica terra, tuo,
Talis erat, virides quum victor in aequore palmas
Terribili dextrâ carperet Oorthuſius.
Haec eſt illa manus, quae ſanguine tincta ſceleſto
Crulliadae inferias, munera grata, tulit.
Sic manes, Patrocle, tuos placavit Achilles,
Hectora quum Stygiis mergeret ultor aquis.

1782.

IN EFFIGIEM
IVLIANAE CORN. DE LANNOY.

Talis ebur digitis Lanovia, Belgica Sappho,
Mulcet, et altiſonos hoc canit ore modos:
Aemula Melpomenes quum flagrat Apollinis oeſtro,
Attonitamve rapit carmine Terpſichoren.

1781.

IN EFFIGIEM

EGBERTI TEMMINKII.

Neſtoris Amſtelii caelata virentibus annis,
Aurea Libertas, iam ſenis, ora vides.
Vt tuus eſt, ita ſemper erat, Temminkius ingens,
Conſtanter Patriae portus et ara ſuae.
Ringere, livor iners. Ridet ſecura malorum
Conſcia mens recti virus, echidna, tuum.
Salvus agat! poſito periura Britannia faſtu
Dum ſupplex Batavos concidat ante pedes.

1781.

IANI GROTII LYRICA.

FRANC. PETRO BASSIO

I. V. D. CREATO.

I, Leidam pete, noſtra, quid moraris?
Vt par eſt; niveo Camena peplo;
Vt par eſt, hederis revincta, leni
Quos iactat Zephyrus tibi ſuſurro
Cervicem per eburneam, capillos:
I, Leidam pete, quà viret ſub aurâ
Coeli conſita puriore laurus,
Quam nec Delphica, quam nec ipſa Daphnes
Quae ſurgit patriâ, decore vincunt.
Salvete, o nemoris ſilentis umbrae,
O lauri, Clariis latebra nymphis,
Quales vos poſuit, favente Phoebo,
Phoebi gloria, ter venuſtus ille
Nortvici Dominus, pater leporum
Nomen nobile, magnus ille Douſa,

Quem Regem Aonidum vocavit olim
Ingens Heinſiades, et ipſe Phoebo
Omni nectare dulcior poëta;
Quales vos poſuit Batavus Orpheus
Ad Rheni liquidum fluentis amnem.
Vos numquam, nemoris ſacri receſſus,
Leidenſes tenebroſa ſcena, lauri,
Vos numquam Iovis ira, vel furentis
Tempeſtas Boreae maligna laedat!
I, Leidam pete, Muſa, quid moraris?
Illic tu lepidum meum ſodalem,
Patris gaudia, Basſium ſub umbris
Laurorum invenies, recens creatus
Suae dum Themidi litat ſacerdos.
Macte ſorte tuâ, beate noſter,
Noſtrae deliciae, polite Baſſî!
Honores tibi debitos capeſſis.
At quid? fallimur, an potente dextrâ
Vittis purpureis, quibus coërcet
Iam comas Themis alma fluctuantes,
Iſtis purpureis, amice, vittis
Addet mox levis alteram coronam
Dionae ſoboles, tener Cupido?
Sic eſt: hoc fovet ipſa Puſionis
Mater blandula, nec meus negabit
Vti Phyllide Baſſius, tuoque

Vri Phyllida Baſſio viciſſim.
O par conveniens, et auſpicatum!
O felix hic et illa! nam caloris
Non eſt quod pudeat vel hunc vel illam.
Euge, mel Veneris, faceta Phylli,
Phylli candida, mollicella Phylli!
Ardes egregium. Sed en rubeſcis.
Quid hoc o mea? parce! parce! verbum
Non addo, tibi ne ſororiantes
Pingam virgineo rubore malas.
Tu vero decus unicum tuorum,
Baſſi, macte iterum, tuoque fato
Dum plaudis, memor uſque et uſque dignas
Cuſtodi genio repende grates;
Quod tam dulcis, amabilisque nympha,
Tota lactea, delicata tota,
Non ſurdas habuit ferocis aures.
Dî faxint, precor, o novelle Myſta,
Talem foedere cui brevi puellam
Conſortem thalami marita Iuno,
Iuno pronuba, non iniqua iunget;
Vt vittae Themidos, Cyprisque myrtus,
Longum condecorent caput per aevum!
I, Leidam pete, noſtra, quid moraris?
Vt par eſt, niveo Camena peplo;
Vt par eſt, hederis revincta crines;

Quo cultu meliore Baſſianis
Hos tradas manibus rudes phalaecos,
Qui pro more tamen ſuoque ritu
Nugas forte aliquid meas putabit.

1756.

PETRO COELIO

ET

MAGDALENAE CORNELIAE STELANDIAE

SPONSIS.

O felix ter, et amplius,
Gentis, Sponſe, decus tuae!
Quas non delicias dabit
Haec nox fauſta tibi, meos
Inter prime ſodales;

Haec nox, vel medio die
Longe candidior, bonis
Quâ tandem auſpiciis calens
Amplexus ruet in tuos
Iam formoſa puella?

Salve, laus iuvenum, caput,
Quo non dulcius eſt mihi!

Salve, gloria Virginum,
Virgo blandula, non diu
Poſthac virgo futura!

Nomen ſcilicet hoc tibi,
Nomen Virginis, auferet,
Quem nunc, qualis adhuc fuit,
Sponſum ſponſa vocas tuum,
Mox dictura maritum.

Quid? Stelandia! quid? negas
Nomen perdere virginis?
Quid? caſtum dubitas pedem,
Simplex o nimis et nimis!
Lecto inferre iugali?

Simplex o nimis et nimis!
Non iam te pudor hic decet,
Magdalena: ſed ocius,
Vt par eſt, thalamum ſubi,
Praelucentibus aſtris.

Illic dulcia te manent
Centum gaudia centies,
Centum gaudia millies,
Et tot millia millies,
O formoſa puella:

Curſus quot peragunt ſuos
Errantes nitido faces
Coelo ſidera: quid moras
Nectis? quin thalamum ſubi,
Praelucentibus illis.

O factum bene! dum loquor
Magdalena torum petit.
O factum bene! coniuges
Lecto compoſuit novos
Iuno, pronuba Iuno.

O factum bene! virginis
Nomen, iam nurus, exuit
Magdalena; nec amplius
Sponſum te vocat, at virum
Zonâ, Petre, ſolutâ:

Dum tu preſſa protervius
Nunc tangis labiis labra,
Nunc tangis labiis genas,
Iſtas purpureas genas
Nuptae, dulce tumentes,

Mox linguam tremulo petens
Morſu. ſed prohibet pudor
Quae vos plura docet Venus,

Praeter baſia, Coniuges,
    Molli prodere verſu.

Ergo, quod ſupereſt, vale
Digno iuncta viro Nurus,
Et tu, non minimum tuae
Gentis, Petre, decus, meos
    Inter prime ſodales!

Fratris quae radiis ſui
Fulget, vix novies ſoror,
Latonae ſoboles, novum
Terris intulerit iubar
    Surgens aequore Phoebe:

Cum Stelandia Coelio,
Vxor non ſterilis, dabit
Parvum Coeliolum, patris
Vultum qui referet ſuo,
    Caſti pignus amoris.

Er. 56.

AD

BARTHOLOMAEVM DE MOOR VAN IMMERZEEL

CARMINVM COELIANORVM PROPEMPTICON.

Mori candide, ter venuſte Mori,
Mori, praeſidium decusque noſtrum,
Quo nil cultius eſt, polite Mori,
Hos leves numeros Catullianos,
Non venae tamen heu! Catullianae,
Nec ſatis lepidos, nec elegantes,
Nec dignos genio tuo, Poëta
Quos Phoebo tibi dat ſuo legendos,
Qui te diligit omnibus medullis,
Favens accipias bonoque vultu.
Sic vates tuus ille, quem viciſſim
Tu plus nectare diligis, capillos
Inplicabit ovans virente lauro,
Felix Grotius; o venuſte Mori,
Mori candide, Grotiae Camenae
Tutum praeſidium decusque, Mori,
Quo nil cultius eſt politiusve,
Quà patet gemino ſub axe tellus,
Et terram Oceano tumultuantes
Fluctus Nereos ambiunt profundi.

1756.

GENETHLIACORVM PROPEMPTICON

A D

BARTHOLOMAEVM DE MOOR VAN IMMERZEEL.

Mori candide, litterate Mori,
Mori, prime ſodalium meorum,
Goudani decus unicum Senatûs:
En donum, tibi carius vel auro
Carmen, quod cecinit Batavus Orpheus,
Burmannus meus ille, dulce carmen,
Carmen nobile, molle, delicatum,
Quo nec terſius, elegantiusve
Aptarunt fidibus melos Latinis
Aut Naſo tener, aut tener Tibullus;
Huic et, ſi quid id eſt, venuste noſter,
Adiungo comites meas Camenas:
Quae ſi forte tibi placere poſſunt,
Erit, quod mihi gratuler, meumque
Altius caput efferam ſub auras:
O Mori generoſe, amice Mori,
Goudani decus unicum Senatûs.

1757.

IN SECVNDVM NATALEM
FRANCISCI PETRI BVRMANNI.

Euge! nate recens puer,
Burmanni ſoboles mei,
Felix Petre, venuſtulae
Matris delicium, et ſimul
Docti cura Parentis.

Euge! parvule puſio,
Magnum depoſitum Iovis,
Qui te credidit Amſtelae,
Vt tanto reliquos magis
Olim vinceret amnes.

Euge! ſic decet, explica
Frontem, care, tenellulam:
Natalis tuus hic dies
Laetum prodere te iubet
Molli gaudia riſu.

O lux, omine quae bono
Spargis inſolitum iubar,
Pulſis dum tenebris tuos

Vultus ocior exſeris
Albo digna lapillo.

Quo te carmine, quâ lyrâ,
Natali proprio mihi
Longe candidior dies,
Vt par eſt, viridi canam
Cinctus tempora lauro?

Adeſte, o volucris cohors,
Cohors blanda Cupidinum,
Armatos levibus iocis
Quotquot progenuit Venus,
Caſti mater amoris;

Et tu, Diva potens Cypri,
Myrto comta capillulos,
Humani generis calor,
Quâcunque aethere in arduo
Iunctos flectis olores.

Adeſte, o triplices Deae,
Iovis tergeminum decus;
Et qui perpetuus comes
Adhaeres Charitum choro,
Dulcis conſitor uvae.

Adeſte, ante alios tamen,
Tu qui carminis artifex
Et voce et citharâ feras
Ducis immemores ſui,
    Vatum praeſes, Apollo;

Et vos, Pierides novem,
Collis o Heliconii
Quae ſub arboribus melos
Divino canitis ſono,
    Conſors agmen, adeſte.

Nec tu, ſancte Geni, moras
Iam necte, at facilis veni:
Veni, more tuo, madens
Intonſum liquido caput
    Succo pinguis amomi.

Vos tot Numina, quot voco,
Vos tot mitia Numina,
Hunc feſtum ter et amplius,
Hunc vere niveum diem
    Hymno ferte ſub auras.

Quidni? pullus amabilis,
Hoc ipſo haud ſterilis die
Quem dextris avibus ſuo

Ante annum peperit decens
  Albertina Marito;

Pullus ille, merus lepor,
Veſter tempus ad hoc fuit,
Veſter totus, et in dies
Evadet magis ac magis
  Totus veſter alumnus:

Quum poſthac iuvenis Patrem,
Et Patris Patruum ſui,
Sequetur vigil, impiger.
Vt Patrem et Patruum Patris
  Vnus reddat adultus.

O quam flumine tum ſacro
Vndâ lotus Hyantide,
Et igne Aonio calens,
Romanae fidicen lyrae
  Veſtras vinciet aures.

Tunc et Franciaden tuum,
Ingens Amſtela, quem prius
Audiſti toties ſuis
Mulcentem digitis fides
  Tanto vate ſuperbus;

Tunc et Broukhuſium exprimet,
Quo nec Muſa Propertii,
Nec parco locuples foco
Tractavit melius chelyn,
    Phoebi fama, Tibullus.

Ipſe nempe pater viam
Petro Corycium in nemus
Parnaſique cacumina
Commonſtrabit, ut aureos
    Diſcat fingere verſus.

Hoc ſpondet pueri calor,
Quo iam nunc radiant genae;
Hoc et iam vigor igneus,
Et ſtellis oculi pares
    Certo pignore firmant.

Gaude poſt obitum, Senex,
Coeli nobilis incola,
Cuius reliquias tenet
Non ingrata reconditas
    Nigris Hermela buſtis!

Gaude, poſt obitum! tui
Tui nam ſimilem Viro
Et Petri ſimilem tuis

Formati manibus dedit
　　Pulcram Sixia prolem.

Quid mirum? Armenius Leo
Turpem non generat lupum.
Boni proveniunt bonis;
Pollux ſemine Tyndari,
　　Iovis ſemine Caſtor.

At plenum calicem mero
Conſul Dedelius capit,
Quo Genti celebri favens
Cuſtodi Genio litat,
　　Phoebi percitus oeſtro.

O Parcae, puerum diu
Servate incolumem ſuis;
Nec umquam faciles minus
Tam caro capiti colis
　　Atras ducite lanas!

Haec et plura Deos rogat,
Ac Patri pariter tuo,
Conſortique Patris tori,
Formoſisque Sororculis
　　Quaevis fauſta precatur.

Di preces faciant ratas!

Mel noſtrum, Veneris roſa,
Infans Petre: ſed en tibi
Materno in gremio ſopor
Blandos claudit ocellos.

Dormi, quod ſupereſt, traham,
Dum dormis, mihi quot tuum
Dat nomen cyathos: Patri
Capaces ſatis amphorae.
Dormi, bellule, dormi.

1757.

ERNESTO GVLIELMO HIGTIO

ADVENTVM VERIS CARMINE CELEBRANTI.

Cinge lauru, Phoebe, cinge (ſic meretur) Higtium;
Higtium, ſonante plectro qui Trochaeos dividit;
Higtium, tui furore numinis tactus ſacro
Qui celebrat ver amoenum, ver novum, ver gaudiis
Dedicatum, blandulisque tranſigendum luſibus.
Cinge lauru, Phoebe, cinge (ſic meretur) Higtium.
Higtio naſcente fulſit Veneris aſtrum Cypriae:
Dumque fulſit ſidus illud, ſidus illud aureum,
Ipſa Mater, Mater alma, tot Cupidinum parens,

Tot leporum procreatrix ,delicato nectare
Roris infantem Latini puſionem perpluit.
 Cinge lauru, Phoebe, cinge(ſic meretur) Higtium.
Higtio dein vagienti Pallas ubera praebuit,
Mellis illa dulcioris plena, mellis optimi,
Quod thymo virente paſta ſubter arborum comas
Atticis condunt in oris, quae vagant examina
Perque montes, perque rura, perque devium nemus.
 Cinge lauru, Phoebe, cinge (ſic meretur) Higtium.
Higtium parem Catullo mox utroque pollice
Gratiae finxere totum, ne quis aut venuſtior,
Aut magis foret politus, quam venuſtus Higtius,
Quam politus ille noſter, prima vatum gloria.
 Cinge lauru, Phoebe, cinge(ſic meretur) Higtium.
Higtio novem Camenae temperarunt pectinem,
Quum carebat purpurantis mille veris gaudia,
Mille luſus, et choreas quidquid et ver parturit;
Quidquid educat ſolutae vere telluris ſinu
Aura, quae tepet madetque de maritis imbribus,
Aura mollis, lenis aura fertilis Favonii.
 Cinge lauru, Phoebe, cinge (ſic meretur) Higtium.
Higtium ad coelum vocare verſibus volo meis.
Tende, Muſa, quid moramur? Muſa, tende barbiton,
Vere qui redit renato pectus incendet calor.
Vere nam cantant volucres myrteo ſub tegmine.
Vere cantant inter umbras hic et illic virgines.

Vere cantant et Poëtae. vere cantant omnia.
Cinge lauru, Phoebe, cinge (ſic meretur) Higtium.
Higtius praeit perenni digna cedro carmina.
Sed quid hoc? rurſum faceſſis: quid faceſſis, ver novum,
Ver amoenum, ver iocoſis dedicatum gaudiis?
Luſibus ver tranſigendum vix fugarat frigora,
Bruma quin ferox inertes denuo ſpargat nives.
Cinge lauru, Phoebe, cinge (ſic meretur) Higtium.
Higtio tamen per oſſa ſerpit ardor entheus,
Quem nec omnibus pruinis enecet Septemtrio;
Ille fervet: nos rigemus. Quando ver venit meum?
Quum benigniore ocello Delius reſpexerit.
Tunc melos Burmannianis aemulum Phalaeciis
Aureas lyrae ſonabo tinnientis ad fides.
Nunc tacemus, ne moleſta, ne gravis ſit Higtio,
Tota quae gelu tremente noſtra torpet Pieris.
Cinge lauru, Phoebe, cinge (ſic meretur) Higtium.

1758.

IANO VAN DE POLL,

AD PRINCIPEM ARAVSIONENSEM VERBA FACIENTI.

Conſulibus Proavis de ſemine nate Batavo,
  Iubar vetuſtae, Pollio, novum domûs:
Quas tibi non grates debet tuus Amſtela; quas non
  Vinclo tenace Moſa iunctus Amſtelae?
Plaudit uterque ſuis quà cornua tollit ab undis,
  Ripas per omnes nomen inſonans tuum.
Nec mora: ſe comitem plaudentibus addere geſtit
  Muſco virente Merva praecinctus caput.
O ita! vos, tantis ut conſtet gloria coeptis,
  Nomen referte Pollionis millies.
Cauſſam agit Auriacas veſtram legatus ad aures.
  Dii! quanta vis eſt; quantus in verbis decor!
Non aliter Patriae leges et priſtina iura
  Stupente quondam Caeſare adſeruit Cato.
Fallor, an attonitos hac Tullius arte Quirítes
  Atque ipſa linguae Roſtra devinxit ſuae?
Tu vero ante alios, pater Ya, potentior amnes,
  Ingentis ingens amnis arbiter maris;
Hic ubi Mercurio ſublimibus alta columnis,
  Totum per orbem nota, ſurgit porticus;
Pone Viro ſtatuam de marmore, pone merenti,
  Quod longa duret poſterorum ſecula,

Dives opus. Sic, invidiâ ringente Britanno,
Liber carinis Belga dum ſecet ſuis
Oceanum, et merces mutet maria omnia circum,
Extrema luſtrans Solis incunabula;
Civibus Amſteliis animo non excidet olim
Aeternitati conſecrandus Pollio.

1758.

AD

BARTHOLOMAEVM DE MOOR VAN IMMERZEEL

DE MORTE GVALTHERI, FILII.

Ergo prô dolor! o miſelle Mori,
O iam non pater, ut prius vocari
Gaudebas nimis ac nimis beatus;
Ergo te Genetyllis et Maritam
Donarat puero, novos parentes,
Vt ne bis duo clauderentur anni,
Quum natus modo ter venuſtus ille
Morti cederet inprobae rapina?
Foedis vermibus eſca quum iaceret?
Heu! heu! praecipites colos Sororum!

Heu! heu! ferrea, nec movenda fata,
Quae raptum gremioque brachiisque,
Tot inter gemitus acerbiores,
Matri tam lepidumque et elegantem,
Mellitum docilemque Puſionem;
Quae carum caput hoc, meo ſodali
Suas delicias, ſuos ocellos,
Dulcem Moriolum male abſtuliſtis.

1759.

AD PETRVM BURMANNVM SEC.
DE ORATIONIBVS PETRI BVRMANNI A NIC. BONDTIO EDITIS.

Et merito. Quis enim te praeter dignior iſtas,
Burmanne, partes impleat,
Quam Themidos, generisque ſui laus rara, meorum
Non ultimus ſodalium,
Bondtiades, quem Graia Venus, Pithoque Latina
Nutrire certant invicem?
Ipſa operi Elyſiis Patrui ſavet umbra viretis,
Quae Tullii claudit latus:
Hic ubi nunc animas facundâ voce piorum,
Vivos ut olim, detinet:

Immemoresque ſui dum fortunata vagantur
Per arva, ſubripit ſibi.
Salvete, eloquii flores, pretioſa ſupellex,
Suadae potentis pignora.
Traiectum agnoſcit vibrantem fulmina linguam;
Et Leida, Muſarum domus.
Salvete, Auſonio conſperſae nectare chartae,
Cui mella cedunt Attica.
Vt facit ad ſtomachum Tritonidos illa Minervae
Cupediorum copia!
Vt vos, laeta ſinu quae geſtat, triga Sororum
Preſſas papillis inſerit!
At viridi cedro vos ornat, et oscula terſis
Centena figit paginis
Mnemoſyne, templique tholo ſuſpendit ab alto
Aeternitati debitas.
Et tu, dulce caput, quo ſoſpite nuper alumno
Gaviſus ingens Amſtela;
Bondtiade, excultum ſtudiis quem fervidus ardor
Ad pulcra quaevis incitat;
Macte animo: egregios decorabit palma labores.
Sic ſpondet augur Delius.
Quâ viget, ac longo celebranda vigebit in aevo
Burmanniana gloria;
Officiis devincta tuis gens ſera nepotum
Laudes loquetur et tuas;

Aemula Romulidum donec mirabitur oris,
Quae luce donas publicâ.

1759.

IN NOVAM

CLAVDIANI

EDITIONEM.

Tot prius adfectis qui vatibus, auſpice Phoebo,
Burmannus ingens reddidit priſcum decus;
Te quoque ſub limam revocat iam grandior aevo,
Inſueta Nili, Claudiane, gloria.
Tolle, age, Hyanteos caput aemulus inter olores,
Quâcumque ludis umbra per nemus pium.
Hic ubi continuus lateri comes avia tecum
Qui tesqua luſtrat myrteo ſub tegmine;
Dum Clarios praeis ipſe modos vocalis aëdon,
Plectro ſonante tentat Heinſius melos.
Tolle caput, ſertisque novis ornande, ſalubrem
Exosculare vindicis dextram tui.
Quo feror? heu rerum levis et mutabilis ordo,
Semperque conſtans ſortis inconſtantia!
Ante opus exactum, perpeſſus mille dolores,
Burmannus orci praeda deficit ſenex.
Ecquis erit nunc tanto humeris ſucceſſor Olympum

Atlante dignus Hercules qui fulciat?
Scilicet in ventos abiit ſpes vana, tuorum
Recidivus ille carminum decens nitor.
Non aliter, gravidas aquilo quum ſternit ariſtas,
Vertentis anni ruſticis votum perit.
Talis et in portu, fractâ rate, mergitur undis,
Qui iam paternos nauta proſpicit lares.
Fallimur: en ſupereſt, damnum qui ſarciat, heres
Burmanniani nominis non degener;
Pallados Amſteliae Criticesque ſagacis ocellus,
Sollers Latini temperator pectinis;
Quem Charites, quem Suada potens formavit ad unguem,
Burmannus inſtar Patrui verum ſui.
Ille interruptae pertexet ſtamina telae,
Haec iuſta doctis ut ſpopondit Manibus.
Nec mora, praeſtat opem. Veneres ſalvete renatae,
Quas craſſa ſeclis plebs necarat barbaris.
Terſa Paraetonii ſalvete poëmata Vatis,
Linguae nepotum Romuli ſerum iubar.
Sic Stilichon, ſic gentis amor vos ante togatae
Legit libenter et probavit Mallius.
Sic olim adtonitâ ſonuiſtis in aure Probini,
Honoriumque praedicaſtis Conſulem.
Ite foras, quo ſcena vocat vos publica, quo vos
Exſpectat omnis eruditorum chorus.
Ite per aeterno veſtigia preſſa Maroni.

Et vos in orbe fama non minor manet.
At tu operae felix, praeclari muneris auctor,
Burmanne noſter, lux refulgens litteris;
Cuius ab ingenio longaevos exuit annos,
Iuvenisque Phoenix prodit, ales unicus;
Accipe ſervato quernam pro cive coronam,
Quam grata defert Roma, terrarum Dea.

1760.

BARTHOLOMAEO DE MOOR VAN IMMERZEEL COS.

Accipe, quos dextris avibus tibi Curia faſces
Vrbis paternae credit, inclytum decus:
Accipe, dulce caput, quo Conſule ſoſpes alumno,
Defectus annis, Iſala exſultat ſenex.
Aſpera concretum glacies frenaverit amnem,
Iniecta tergo dura rumpit vincula.
Talis Roma ſuos olim venerata Camillos,
Talis Catones, Roma gentium Dea.
Sume animos: en, vota cadunt, crepitantibus aris,
Mori, meorum prima pars ſodalium.
Aurea, quae Batavis necdum exſul degit ab oris,
Felix avito pignus emtum ſanguine,

Libertas, quâ flectis iter, comitatur euntem,
Iſtoque nullas vindice inſidias timet.

1763.

BAVIO VOORDA

IVRIS PROFESSIONEM IN ACADEMIA BATAVORVM AVSPICANTI.

En tibi, non ſterilem ſevit quam Douſa, capillos,
Bavi erudite, laurus, aeternum decus,
Inplicat ornatrix, vittam complexa nitentem;
Laurus Batavae munus illa Palladis.
Macte animo, Themis ipſa favet, ſpondetque vigorem
Hygiae cuſtos, gentis humanae ſalus.
Macte animo, coeptamque viam iuvenilibus annis
Iam perge adultus, ut facis non degener.
Patris ad exemplum (ſint barbara ſecula) reddes
Schultingiosque Noodtiosque poſteris.

1765.

AD
IOAN. SCHRADERVM
MARIAE LVDOVICAE PARENTANTEM.

Auriacos cineres, quos legit, et oſſa ſepulcro
    Schraderus infert, Friſiorum gloria,
Et tumulo ſacras inducit Apollinis umbras,
    Lyrae efficacis plectra dum vates movet.
Talis Threicius patriis in montibus Orpheus,
    Aurita ſubter quercuum cacumina;
Talis et Amphion, muro quum clauderet arces,
    Digitis eburnum temperavit pectinem.
Macte, operae felix, tam pulcro macte labore:
    Statuam perennem Principi ponis tuae.
Macte iſto, Schradere, animo atque ingentibus auſis,
    Muſasque longum demerere Virgines.
Sic radios, tergo qui vexit Ariona Delphin,
    Quà vibrat ardens inter aethereas faces;
Et tua defuncti rutilo fulgebit olympo
    Aeternitati conſecrata barbitos.

1765.

LVDOVICO CASPARO VALCKENARIO

LINGVAE GR. IN ACADEMIA BATAVA
PROFESSIONEM AVSPICANTI.

Dicentem audierat, quo tandem Leida ſuperbit,
  Linguâ potente tacta Valckenarium:
Nec mora, quid veteres iam tollitis, inquit, Athenas?
  Quid, Roma, coelo tollis alta verticem?
Tullius attonitos, quâ polluit, arte Quirites;
  Popularium aures mulſerit Demoſthenes:
Hic meus et Graiam Venerem Veneremque Latinam
  Iungit ſacerdos artiore vinculo.
O utinam et Patriae narrantem fata vicesque
  Ritu Batavo audire contingat brevi!
Dixit, et ora viri, ſtillantia nectare puro,
  Tenax labellis oſculatur centies.
At domitrix aevi, pedibus quae ſubiicit orcum,
  Nec poſteros latere virtutem ſinit,
Hoc quoque Mnemoſyne, celebrandum gentibus olim,
  Non vana faſtis nomen inſcribit ſuis.

1766.

AD LIBERTATEM

DE

PETRI BVRMANNI SECVNDI

BREDERODIO.

Gentis o noſtrae columenque et auctor,
Diva Libertas, tibi ſacra ſunto
Plectra, quae Phoebi tetigit Sacerdos
Tempore feſto.

Te iugum fortes animante Belgas
Fregit Hiſpanum proavita virtus,
Quae prius rerum dominos negarat
Ferre Quirites.

Illa nec Regi nimium tyranno
Ceſſit, Albano populante terras;
Illa Granvelli generoſa vafris
Obſtitit auſis

O dies nobis niveo notanda
Calculo, quae iam memores nepotes
Facta Maiorum celebrare cantu
Fauſta reviſis!

Gaudet in primis, Dea ſoſpitatrix,
Et tibi dignas tuus ille cuſtos,
Verba Burmanno praeëunte, grates
Amſtela ſolvit.

Fac tuum numen, Batavis amicum,
Quo decet ritu, veneremur omnes,
Teque venturis colat uſque in annis
Poſtera turba.

1766.

IN NVPTIAS

PETRI DAVSY

ET

GERTRVDIS KOLENBRANDER.

Virginis in gremio iam non ſolum oſcula carpis,
Pertaeſe dudum Petre caelibis tori.
Gaude ſorte tuâ, parteſque viriliter imple.
Odit Dione militem non ſtrenuum.
Tempus erit, Lucina tuos quum fauſta labores,
Votis petito, comprobabit exitu.

Fallor, an augurium firmatur, et omine dextro
Favente nocte ſiderum ridet chorus?
Vos certe adnuitis, thalami tutela mariti,
Hymen amoris coniugator et Venus.
Adnuitis, plauditque Puer Cythereius alis,
Zonam reſolvi dum ligatam conſpicit.
Plaude iterum, Puer alme, novo gaviſe triumpho;
Pharetramque et arcum pulla myrtus ambiat.
Matris in aede tuae ſuspendet culmine ab alto
Ceſtum Puella gaudiorum conſcia.
Et tu fronde comas quae cingere mitis olivae,
Pacisque nutrix et ſoror, Concordia,
Auſpiciis fac nexa tuis haec vincula demum
Divolſa fato rumpat ultimus dies.

1766.

IANO BERN. BICKERO, HENR. F.

ET

CATHAR. SIXIAE

SPONSIS.

Salve, quae mihi nuptias ſodalis
Opportuna mei, potente ab urbe,
Felix littera, nuntias beato.
Vt te exoſculor, auſpicata charta!
Vt tu lecta oculos morare noſtros,
Perluſtranda iterum! caloris index,
Quo Bickerus amabilem puellam
Totus deperit omnibus medullis,
Totus aeſtuat omnibus medullis,
Victricis Veneris recens triumphus.
At factum bene: namque et ipſa Virgo
Ardet Sixia, mollicella virgo;
Bickerumque tenacibus lacertis
Adſtrictum premit ad ſuas papillas,
Illas turgidulas ſuas papillas,
Dulci connubio ſororiantes;
Donec victa proterviore ludo
Tandem deficit inter oſculandum.

O dextris avibus iugati amantes!
Quis non pollice tam pares utroque
Taedas comprobat, ut prius Quirites
Bruto nubere Porciam Catonis?
Ite, ite, auſpicio profecti ab iſto,
Et longos date Patriae nepotes,
Qui tot ſanguine nobiles vetuſto,
Tot ſuis meritis honoribusque
Illuſtres Proavos, Batava tellus
Quos coelo indigetes colit repoſtos,
Orbi Sixiadasque Tulpiosque
Bickerosque Dedeliosque reddant.

1769.

P E T R O   D A V S Y

GYMNASII GOVDANI RECTORI.

Iämbe noſter, quid moraris? ocius,
Vt claudices, Goudam pete,
Meisque verbis optimo ſodalium
Gratare honores, quos capit,
Spartamque adeptam nobili certamine,
Gnavi laboris praemium.
Plaudunt Camenae, plaudit artium parens
Minerva, progenies Iovis;

Phoebuſque et omnis Eruditorum chorus,
Amica Phoebo pectora;
Plaudunt faventes, et beatam praedicant,
Quae te magiſtro et auſpice
Iuventa doctas, Petre, veſcetur dapes,
Thymum Latinum et Atticum.
Huc, puſiones, cura Palladis recens,
Patriae futura gloria,
Frequente turbâ convolate apes novae,
Mentem imbuendi litteris:
Huc convolate, convolate, et ſedulo,
His inſidentes floribus,
Quam colligetis inde mellis copiam,
Domum referte in cellulas.
At tu, venuſte, cui tuo cum Grotio
Vixiſſe non fuit grave,
Iucunda cum nos Haga contubernii
Vinclo ligatos cerneret;
Tu mactus eſto munere oblato tibi,
Genioque habeto gratias;
Qui te beabit in dies magis, ac magis,
Si vota quid valent mea.

1769.

IANO GERARDO LVIKENIO

ET

MEDINAE CATHARINAE SANDRA;

SPONSIS.

Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius,
Dinulam formoſiorem Naïdum pulcherrimâ,
Brila, libertatis auctor Belgicarum gentium,
Adluentis amne Moſae quas natantes proſpicit.
Brila, plaude: Moſa, plaude: plaude, naviger ſenex:
Plaudit ipſe, tot carinas, tranſeuntes Helium,
Qui reducit exterorum mercibus domum graves,
Aequoris Rector potentis cum ſuis Tritonibus.
Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius.
Dina, prodi: quid moraris? Dina, virginum decus;
Nupta prodi: laeta prodi: rumpe, quas nectis, moras.
Turba Feſcennina cantat, comta myrto tempora:
Dumque cantat, dumque terram libero pulſat pede,
Blandus Hymen, qui puellas eripit parentibus,
Coniugator ille amoris, pineam quaſſat facem.
Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius.
Dina, prodi: quid moraris? Nupta ſed prodis nova:

Teque non venuſtiores inſequuntur Gratiae.
Candidi lanam coloris prima, ſtamen altera,
Mobilem Thalia fuſum geſtat et plenam colum.
Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius.
  Nupta prodis invidentes inter aequales tuas,
Oris et formae decore caeteris praeſtantior:
Qualis, umbrâ quum renatâ ver coronat arbores,
Floſculos inter minores, inter alba lilia,
Mane primo, quae rubeſcit Matris almae ſanguine,
Imbribus regina florum tollit uda verticem.
Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius.
  Tranſtulit Luikenianum limen aureos pedes
Dina, flammeoque tecta raſilem ſubiit forem.
Farre Divis auſpicatis iam litare tempus eſt.
Sparge, quot potes, Marite, flagitantibus nuces,
(Mos iubet) votique compos invoca Talaſſium.
Obſtrepit, coenâ paratâ, dulce cantans tibiâ:
Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius.
  Dum loquor, procedit aſtrum, Veneris aſtrum Cypriae,
Noctis index, nuptiarum copulator, Heſperus.
Ite, coniugum bonorum coniuges, Matres bonae,
Ite, Dinulam negantem collocate lectulo.
Stravit hunc tener Cupido, Dinulae qui lubricos,
Dinulae argutos ocellos, paetulosque et illices,
Spiculis ſuis replevit, corda vulnerantibus.
Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius.

O cubile, quas querelas, imminente Delià,
Quos gementium ſuſurros, oris atque anhelitus,
Quas inambulationes, dentium quae praelia,
Quos calores aeſtuantum ſenties et audies?
Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius.
Macte! nunc, venuſte noſter, Dinulam complecteris.
Illius ſinu receptus, tange, quod lubet tibi:
Tange malas purpurantes: colla tange eburnea:
Tange virgines papillas: (leniter ſororiant)
Tange ſuras molliores crinibus cuniculi:
Tange crura: tange-tange-tange totam Dinulam.
Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius.
Fallor, an zonam protervus Dinulae ſolvit ſuae?
Solvit inviſum pudorem: ſolvit iſta vincula!
Iamque victa blandienti Dinula induit nurum,
Inter oſculationum millies tot millia,
Luna quot coelo ſereno ſplendidas videt faces.
Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius.
Ludite, ut iuvat, beati, Dina cum Luikenio:
Ludite, immunes malorum: ſuadet aetas, ludite:
Liberosque procreate, parvulum Luikenium,
Dinulamque mollicellam, delicatam Dinulam.
Patris inſtar ille doctis excolatur artibus.
Matris haec iugi tenore caſta mores exprimat.
Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius.
Interim, vos o Puellae, par quibus venit dies,

Tuque blanda, tu faceta Dinulae Sororcula,
Ecquid et celata veſtris uritur praecordiis
Flamma, quam Puer Diones excitavit ac fovet?
Sed rubetis: abſtinebo: ſat fatentur lumina.
Vos modo, invicem canentes, (ſic rogare deſinam)
Dicite audacter iocoſae, praecinente Grotio:
Ardet omnibus medullis Dinulam Luikenius.

1769.

HADRIANO ZEBERGIO, IOANNAM MARIAM KVITSIAM DOMVM DVCENTI.

Victori Genio Zebergiano
Laurus nectite, virgines Napaeae,
Laurus Harlemio ſub axe natas,
Atque ipſum Paphiâ impedite myrto,
Vt ductam auſpiciis domum ſecundis
Vxorem excipiat novus maritus,
Myrto tempora comtus et capillos.
Et tu macte, ſodalium meorum
Dilectiſſime, ſplendido triumpho.
Macte, ſic decet, hoc tuo triumpho.
Nam quae te gremio ſuisque in ulnis

Conſortem thalami fovebit, illa,
Non praeſtans magis aureoque vultu,
Argutisque oculis, bonâque formâ,
Quam culto ingenio, et vigore mentis,
Nativoque lepore, moribusque,
Quorum non pudeat nurum Batavam,
Cunctarum decus eſt puellularum,
Quot ſunt, quotque aliis fuere in annis
Et pulcrae ſimul et ſimul venuſtae.
Felix Nupta recens! Beate Coniux!
Fauſto ſidere copulati amantes,
Quibus tam bene convenit! malorum
Immunes agite, et valete, donec
Iam vitae ſaturos, nec abnuentes,
Mors tranquilla, dolente liberorum
Turbâ haud exiguâ, reponat aſtris.

1769.

ELICIVM AD

BAVII VOORDA PAPINIANVM.

Prodi, docte libelle, quid moraris?
Prodi, nectare fete Tulliano,
Quo non aurea Romuli nepotum
Quidquam pulcrius elegantiusvè,
Non terſum magis, aut magis Latinum,
Auguſto dominante, legit aetas.
Te quantum eſt hominum elegantiorum
In lucem vocat, alite auſpicato,
Et quisquis, nec ineptus, aut malignus,
Nec cenſor vitio creatus artis,
Romanam Themidem aeſtimare novit,
Quo par eſt pretio. Libelle, prodi.

1770.

IOANNI SCHRADERO, ELISABETHAM VITRINGA

DOMVM DVCENTI.

Iö, iö, triumphe!
Mundum Venus gubernat,
Puerque, amoris auctor,
Veneris minuta proles,
Victricibus ſagittis
Gentes domat ſubactas,
Quâ Phoebus ambit orbem.
Iö, iŏ, triumphe!
Steriles valete noctes,
Noctes inauſpicatae.
Ardet meus ſodalis
Schraderus, ardet, ardet
Amabilem puellam,
Turgentibus papillis
Vultuque et ore pulcro
Tui aemulam, Dione.
O iam, venuſte noſter,
Quem tam decora, quamvis

Balbutiente linguâ,
Oculis profeſſa flammas,
Sponſum ſuum ſalutat,
Quae digna vel Tonantis
Lectum decere poſſit!
Iö, iö, triumphe!
Nervos tuos Latinos,
Schradere, tinnientes,
Nervos lyrae canorae,
Intende, ut hos ocellos,
Hos ebrios ocellos,
Hos illices ocellos,
Genasque purpurantes,
Oſtroque tincta labra,
Verſatili Phaleuco,
Vel mollibus Trochaeis,
Elegisve delicatis,
Elegis Tibullianis,
Crines olente myrto
Cinctus, ſub aſtra tollas.
Iö, iö, triumphe!
Sed quid tuos moramur
Luſus proterviores?
Crescentibus tenebris,
Tibi Cypriae viretum,
Frequens roſis viretum,

Pandit marita Iuno.
Hic omnibus medullis
Gaudens iocare, et inter
Tot baſiationes,
Quot Lesbiam Catullus,
Vates tener, poposcit,
Pleno potire voto.
Sic, te novella nupta
Quum fecerit parentem,
Schraderuli puſilli
Cunas agam, Dearum
Libethridum ſacerdos,
Numeris Anacreontis
Cantans, iö, triumphe!

1770.

IN PETRI BVRMANNI SECVNDI POËMATA.

Quo me, Latini pectinis arbiter,
Edoctus artem, quum citharam feris,
Burmanne, Muſarum ſacerdos,
Attonitum rapis et furentem?

Tecum vagari ſub nemorum comis,
Quà nulla ducit ſemita, et arduum
Luſtrare per montem remotas
Theſpiadum videor latebras.

Certans Pelasgis, auſpice Pindaro,
Hic tinnientes pulſat Horatius
Chordas, ut olim, cum teneret
Caeſareas numeroſus aures:

Hic molliores hendecaſyllabos
Vatis protervi Lesbia deperit:
Naſonis hic natum Dione
Carminibus celebrat Corinna:

Hic ſaltat inter Delia Gratias,
Iam nuda nudis iuncta ſororibus,
Vtique cantantem Tibullum,
Luminibus iaculata flammas;

Hic plectra ſollers dextra Propertii
Romana Graio pollice temperat;
Hic Martis incendit calorem
Grandiſoni tuba Mantuani.

Terras relinquo, verſus in alitem,
Pennisque adeptis auferor, auferor,
Sublimis ardentes per auras
Coeruleo ſuper aſtra coelo.

Fallor: iacentem me platanus tegit;
Santhorſtianis inſita ſaltibus,
Diffuſa quae partes in omnes
Explicat umbriferos lacertos.

O digna Phoebo, quam digitis lyram
Tractas, meorum prime ſodalium!
O venae inexhauſtae perennes
Divitiae, geniusque felix!

Oeſtro medullas tactus Apollinis,
Ferves potentis carminis artifex:
Ferves, et immenſus profundo,
Quo raperis, ruis ore vates.

Talis per agros, cum nive turgidus
Crevit ſolutâ, fulminis impetu
Decurrit, obſtantesque ripas
Egreditur ſinuoſus amnis.

Te, quâ reſurgens exſerit aureos
Vndis capillos ſol vagus, et facem
Quâ condit, immerſusque ponto,
Tethyos in gremio quieſcit,

Noſcet poëtam poſteritas memor,
Nomenque faſtis Mnemoſyne tuum
Inſcribet adſtrictae catenis
Invidiae domitrice dextrâ.

Quo tendis audax? deſine, deſine,
Pimpleï: parvis attenuas modis
Maiora, Burmannique laudes
Deteris ingenio puſillo.

1774.

IN BAVII VOORDA

SAPIENTIAM SALOMONIS IVRIDICAM.

Bavi erudite, Friſiorum gloria,
Magno parente non minor:
Cui picta vivis non placet coloribus
Tabula haec venuſta, quam tuos
Inter labores caeteros, ut viderat,
Mirata pulcritudinem,
Aſtraea Virgo in aede ſuſpendit ſuâ,
Manuum tuarum opus recens?
Non ſic Apelles Veneris ora Cypriae
Expreſſit, et molles genas
Rubore vernis aemulo tinxit roſis,
Oculosque amoris hoſpites
Dulci veneno armavit et tot ſpiculis,
Quot nocte fulgent ſidera:
Qualis marinis illa fluctibus novas
Vultum ſub auras extulit:
Non ſic hiantes Zeuxis alites ſuis
Decepit uvis artifex:
Vt hic tribunal exhibetur regium.
Rex ipſe iudex en ſedet.

Audit querentes hanc et illam. litigant.
  Puerum necatum conſpicit.
At cuius ille? cuius alter? teſtibus
  Res expediri non poteſt.
Ergo repreſſis utriusque iurgiis
  Ius dicit exemplo novo.
I, lictor, inquit, i, ſeca ſuperſtitem,
  Veramque matrem detegit.
O ſempiternis laudibus ſententia
  Quam praedicabunt poſteri!
Donec renatus mane ſolem Lucifer
  Vultu praeibit aureo,
Et nox, quieti deſtinans hominum genus,
  Coelum tenebris induet.

1782.

IN

CALVMNIATOREM BATAVORVM ANONYMVM.

Quaenam te rabies, calumniator
Sceleſtiſſime nominis Batavi,
Nequam peſſime, parricida nequam,
Naturae opprobrium minus ſeverae,

Quam par eſt, quod adhuc potes nocere;
Adulator iners, Britanniaeque
Mendax mancipium procace linguâ,
Quo nil turpius inquinatiusve
Abiectumve magis creato ab orbe
Sol umquam gemino ſub axe vidit;
Quaenam te rabies agit furentem?
Talis Curio Caeſari Tribunus,
Gentis dedecus et lues togatae,
Exutus patrimonio, Quirites
Auro vendidit, et pio Catonis
Infecit Libycos cruore campos.
Talis Tarquinii ferox Superbi
Coniux Tullia Servium parentem
Curru contudit, et ſenem capillis
Niſum purpureis, iuvante ſomno,
Orbavit, tenues levis per auras
Quae nunc Scylla novus vagatur ales,
Et ſic devovet improbum calorem.
Quaenam te rabies agit, veneno
Turgens vipera, quam ſinu fovemus?
Tun, noſtros proavos vocas rebelles,
Et nos progeniem tumultuoſam,
Atque omnes pariter, quot aut fuerunt,
Aut his temporibus ſumus Batavi,
Hoſtes pacis, et in Duces benignos

Ingratam ter et amplius catervam?
Saevam, Iupiter! in Duces catervam,
Quos audax ſolio reponis alto,
Vt rerum dominos, et imperantes,
Regum inſtar famulantibus colendos?
Nos, te iudice, nos ſumus Deorum
Fallax ſuppliciis genus cruentis
Quod pridem ut meruit perire, poenas
Iam iam perfidiae ſuae daturum eſt?
Nam quae dives opum prius vigebat
Felix Patria, Patria illa noſtra,
Quae tantum caput extulit, Britannis
Invidentibus, et verenda nomen
Extendit procul ultimas in oras;
Submergetur aquis, lacusque fiet,
Vt quondam fuit, et gravem mephitim
Exhalabit olentibus cavernis.
Sic duram Nemeſin canis minari.
O dignum facinus quod expietur
Flammâ vindice, culeive poená!
His tu ſcilicet artibus placere
Speras Auriaco. ſed ille, patrem
Si non degenerat ſuum, (quod abſit!)
Hoc tam immane nefas, Batavus ipſe,
Diris omnibus exſecratur, et te
Vivum devoret oris ut profundi

Dîs iuranda palus, Iovem tonantem
Nobiscum, canis impudens, precatur.

1782.

AD LAVR. SANTENIVM

HELVETII POËMATA EDENTEM.

Salvete, Helvetii, mei ſodalis
Heu quondam! Aonio liquore tinctae,
Tinctae nectare paginae Latino;
Salvete, auſpiciis foras ſecundis,
Quo dudum vocat eruditus orbis,
Quo Phoebus vocat et novem Camenae,
Curâ Santenii mei exeuntes.
Vos quantum eſt hominum elegantiorum,
Has qui delicias amant, ſuoque,
Vt par eſt, pretio aeſtimare norunt,
Arreptas avide legit libenter
Et lectas releget, legetque rurſus,
Dum tot blanditias, ſales, lepores,
Tot luſus genii benignioris,
Tot cupedia lauta devorarit.

Et tu, dulce caput, venuſte noſter,
Qui par Helvetio tuo meoque
Mulces Auſonias et ipſe chordas,
Macte eſto hac operâ: tuo labori
Applaudentibus omnibus peritis,
Quam debent tibi, gratiam reportas.

1782.

EXPLICIT.

D E L I C I A E

P O Ë T I C A E.

F A S C I C V L I VIII.

LVGDVNI BATAVORVM

APVD ABRAHAMVM ET IANVM HONKOOP

CIƆ IƆ CC XCVI.

VERSVS HEROICI.

PRO AMICO IN PATRIAM SOLVENTE.

Di, quorum auſpiciis pelagi vada ſalſa profundi,
Nimborumque acies, et monſtra latentia ponto,
Temnimus, ignotas auſi penetrare per undas;
Sollicitas de more preces dum pectore toto
Fundimus, et meritos aris adolemus odores,
Ventorum cohibete minas: iam nubila coelo
Diffugiant, properentque truces conſidere fluctus,
Et levibus Zephyri miteſcant aequora flabris,
Vt meus in patriam remeare Georgius urbem
Poſſit, et antiquos poſt tempora longa penates
Cernere, promeritae referens inſignia laudis,
Dilectus Phoebo ante alios, Superûmque parenti.

IOAN. BAPTISTA AMALTHEVS.

PARAPHRASIS CARMINIS

IOBI.

Fragmentum Capitis I.

Inter Idumaeas tellus Hutſitica gentes
Quà patet, antiquo tellus cognominis Hutſo,
Vir fuit, indigenae gentili nomine Iobum
Dixere, innocuus factis labemque peroſus,
Numinis ingenuus cultor, nec ſegnior aequi
Cultor. Eum proles marium ſeptena beatum
Treſque ſimul patrem decies fecere puellae.
Dives opum, dives pecoris, ditiſſimus agri
Iugera quingentis late vertebat aratris,
Vix tamen innumeras capiebant arva bidentes.
Atque uti quingentis ſeſe ter mille cameli
Contulerant aſinis, iam non armenta videntur,
Sed gravis irriguos exercitus ire per agros.
Non alium vidit Phoebus, quà lumine primo
Felices oriens Orientis inaugurat oras,
Divitiis aut ſorte parem. Neque enim ille ſibique
Aut natis male parcus opum perdebat inanes
Theſauros: ſed ubi gnatis lux candida feſtum
Attulerat natale, domi cuiusque ſtruebat

Regales epulas genitor, iungensque ſorores
Fratribus, inſonti ſimul indulgere iubebat
Laetitiae; tum ne vultus gravitate ſenili
Aut ſolum patris iuvenilia gaudia nomen
Laederet, ipſe volens aberat, tectoque ſilenti
Sobrius in natis toties conviva ſedebat.
Verum ubi ſeptenum convivia laeta per orbem
Tranſierant, preſſis ad ſe revocabat habenis
Effoetos nimium iuvenes, ad prima retorquens
Virtutis ſtudia, et calles acclivis honeſti.
Neve quid in ſanctum natorum gaudia Numen
Peccaſſent, meritumque decus ſub corde negaſſent,
Sedulus heſternae commiſſa piacula menſae
Exſurgens ipſo genitor cum ſole luebat,
In ſeptem natos totidem ſacra ſanguine multo
Rite ferens, caſtisque adolens altaria flammis.
Hactenus haec cunctae Iobo fuit orbita vitae,
His coelo terraeque placens virtutibus, unum
Vrebat Sathanam et ſtimulis agitabat amaris.
Hic quondam in ſacram ſerpens irrepſerat aulam,
Quà Pater omnipotens natis aeterna vocatis
Iura dat, et ſummo ſortitur numine fata.
Vtque peregrinà latitantem in ſede draconem
Agnovit Deus: O tu qui coeleſtibus oris
Pulſus, ait, terrà profugus quoque, ſolius orci
Civis, ubique tuo quem fers ſub pectore tecum,

Immenſum peragras miſeris erroribus orbem,
Dic, quibus Hutſitas oculis, quâ mente colonos
Luſtraſti, Iobumque meum, quo ſanctior alter
Mortalis non eſt inter contagia vitae;
Rectus, et omnigenae fugiens divortia culpae,
Me ſequitur victorque tui victorque tuorum.

Fragmentum Capitis II.

Ergo ubi ſidereas iterum, nec, ut ante, prementem
Ventre ſolum, denſâque chori ſub nube latentem
Aetherei, et magni trepidantem ad verba Tonantis;
Sed celſum cervice, miniſterioque ſuperbum
Numinis, et cauſſae, dum ſpes erat ulla ſuperſtes,
Fidentem, medium coeleſti Daemona turmae
Calcantem Iehova plagas conſpexit et Ipſi
Se ſibi ſiſtentem, ſic rurſum affatur: opacae
Noctis et inferni cuſtos horrende barathri,
Qui neque damnatum tibi iura ciere per orcum
Nec ſontes torquere animas contentus, in ipſos
Irruis innocuos, et iam mihi mille probatum
Per documenta, novae congeſtu fraudis, amore
A noſtro tentas divellere pectus Iöbi,
Dic age, quid tanto ſcelerum molimine tandem
Proficis? infractâ patitur virtute dolores
Et clades Hutſita ſuas, ſiccoque pererrans

Lumine contemnit, flendas vel in hoſte, ruinas.
Permiſſuque licet noſtro tua ſentiat arma,
Spicula ſentiat indigni penetrantia fati,
Perſtat, et ereptas iam non in Numine noſtro
Spectat opes, ſed fortunâ par numen in omni
Nudus, egenus, inops atque omnibus orbus adorat.
His Sathanas dictis infrendens, torvaque linguae
Clauſtra vagae turpi diſſolvens foedus hiatu,
Pellis, ait, pro pelle, at nil pretioſius ingens
Humanâ Natura capit compagine, tantis
Illa bonis, tantis membrorum animique ſuperbit
Divitiis, tantâ fruitur dulcedine, quidvis
Vt ſibi vile, ſui prae temporis, aeſtimet, uſu,
Iacturâque libens grandi breve proferat aevum,
Proque ſuâ nil non cupiat tolerare ſalute.
Si tibi certa igitur quovis tentare periclo
Robur Idumaei ſententia conſtat Iöbi,
Nec minus effectum quam formam exquiris, inani
Quid peregrinorum contendis clade bonorum,
Natorumque rogis et caedibus armentorum?
Ipſe vir, ipſa ſuo ſunt exponenda dolori
Membra, ſalus et vita viri. Non ante tumentem
Luxuriâ, minimo carnem languore reſtringes,
Quin tibi ſe prodat, ſimulataque nuper aperte
Excutiens ſacra divino maledicat honori.
Tum Deus, immeritis quanquam cruciatibus, inquit,

Iam ſatis obtulerim mentem, pietatis amantem,
Sufficiantque mihi fidei tot ſigna probatae,
Vt tamen haec etiam tanti monumenta ſuperſint
Roboris, et nulli maneant incognita ſaeclo,
En totum tibi trado hominem, confunde dolores
Cunctorumque uno cunctas in corpore vires
Exprime morborum, menti modo parce, nec ullâ
Compede rectores animi ſuſpende meatus.
Laetus abit Sathanas, iamque irrita vota volutans,
Et tumido vanos praeguſtans corde triumphos.
Corripit Hutſitam, totumque a vertice ad imos
Peſtiferâ talos prurigine ſaevus obumbrat.
Tabificoque viri liventia membra veneno
Percutiens uno totum occupat ulcere corpus.
Tantaque ſerpentis per edacia vulnera peſtis
Vis erat, ut fractâ pruritum expungere teſtâ
Quaereret, audaci non ſufficiente lacerto.
Hic ſtatus, hoc putres, ſpirante cadavere, vidit
Calcantem cineres, vivoque horrenda prementem
Buſta rogo, ſancto coniux indigna marito,
Intendensque manus, torvoque infeſta iacentem
Ore tuens: et adhuc fruſtra vexatus iniquum
Numen, ait, vel inane colis, nulloque profanae
Dediſcis fidei commenta tenacia damno?
Scilicet exſpectas aequalia praemia tantis
Credulus obſequiis, ubi nec domus ipſa ruinis

Intermiſſa ſuis, nec tot violenta tuorum
Funera, nec lacero patiens in corpore quicquid
Iuncta fames morbis, auctique pudore dolores
In deſperato gaudent ſuadere periclo,
Irati meritum tibi conciliare favorem
Numinis ipſe vales, ubi paſſim laeta ſuperbit
Impietas, mediisque illaeſi e ſedibus aequi
Damnatur gelido virtus decepta ſepulcro.
Obſtupuit vir ſanctus ad impia verba, premique
Pectora iam ſolito ſenſit maiore veneno,
Inſigensque oculos vultu miſerante maritae,
Ergo, ait, immenſis accedis tu quoque vulnus
Vulneribus, quantumque animi tormenta dolores
Corporis excedunt, tantum fanatica noſtrum
Dicta gravant quovis violentius ulcere pectus.
Nec tamen iſta mihi tantum maledicta, ſed ipſi
Impingis Domino, cui cum debere ſalutem
Vix cupias, gaudes tamen exprobrare ruinam.
Egregias certe, poſt tot tibi praeſtita blandâ
Dona manu, laudes meritumque rependis honorem,
Praeteritis ut grata bonis, ita digna futuris!
Sic fatur lacrimans, nec voce huc usque nec actu
Offendit Dominum, aut mediâ peccavit in irâ.
Iamque peregrinas Iobi fortuna per urbes
Sparſa vagas in ſe populorum verterat aures;
Vtque ſolent meritae ſucceſſum aſcribere cauſſae

Condemnant ex ſorte virum, miſerumque videntes
Non credunt, non eſſe reum. Potiore valentes
Iudicio affectuque Eliphas Biddadque Sopharque,
Non de plebe viri, ſed ſanguine et ordine clari,
Conveniunt, notaeque ſibi pietatis amicum
Condolituri adeunt, tetrique in pulvere coeni
Accedunt cernuntque, at non novere iacentem.
Vsque adeo Stygium ſpumantia membra venenum
Diſtentique oculi totoque in corpore paedor
Mutarant veterem depravarantque figuram.
Vt tamen ipſa lues, quae deformaverat ora,
Prodidit, et putri ſub tegmine fulſit Iöbus,
Diriguere viri, nec ſe ſufferre valentes
Procubuere ſolo.

HVGO GROTIVS.

MELITVSA.

IDYLLION.

Forte, ſub aeſtivo ſpatiatus ſidere Daphnis,
Extremam paſtor Tiberis devenerat undam.
Venerat, ac varios ſocii dum litora circum
Pars ceris calamos, calamis pars carmina iungunt:
Ipſe, ſuos tantum interea meditatus amores,

Ad myrteta ſedebat: ibi haec ſuſpiria ſolus
Fluctibus et ſurdis fruſtra dictabat arenis.

DAPHNIS.

Immitis Melituſa, quis eſt nam denique ludus
Mors mea, ut averſo gemines incendia vultu?
Tertia flaventes gremio iam trivit ariſtas
Area, ter ſeras poſuit vindemia frondes,
Torpentemque hyemem toties excuſſit arator,
Vt tuus exul agor. Teſtes ſint Scaldis et Aa,
Sequana, tu teſtis, teneras quae flamma medullas
Hauſerit, et quanto flagrarim corda dolore.
Oenotrios tandem feſſi proſpeximus amnes:
Hei! mihi quam toto nox una hic tardior anno eſt!
  Aſpice me tantum, (praeſtabunt caetera Fauni)
Aſpice me, Melituſa; haud poſſum nolle negantem.
Vlmus amat, ſocio patitur ſe palmite cingi;
Palmes amat, ſociae patiens accingitur ulmo:
Cur amor ille perit! noſtram laudare ſolebas
Ante alias muſam quoque; nunc tu carmina curas,
Quantum torva lupi gemitus tigris, aut lupus agnae.
  At non et Meroë docti me nuper Amyclae
Filia deſpexit; non divitis Anthia Talli
Quamvis nigra peplum, quamvis foret alba cothurnos.
Et fuit, haec ut me (quis credat?) ſponte vocaret,

Sponte ſuos, illis vellem ut confidere ſylvis,
Monſtraretque aditus, nemorumque doceret honorem.
Et poteram id (memini) Nymphae dare, ſaxea non eſt.
Nec ſum adeo ignotus Romae quoque; candida Narne,
Narne Romulidum pulcherrima, me vocat ultro,
Et pomis petit, et ſequitur, refugitque ſequentem,
Et tantum in faciem haec non exprobrat: Irrite Daphni,
Quid iuvat externis animum intabeſcere curis?
Et quod amas video, et quod mens tibi non tua, cerno.
Collige maturos iſtà ſub vite racemos.
Talia quis ſperet? tamen haud ſum victus: in omnes
Vsque adeo domina es noſtri, Melituſa, calores.
Magnetem fers, cara, oculis, nos pectore ferrum:
Tangimur, et Scythicos toti inclinamus ad axes.
Te ſine quid miſero ſapiat mihi? non ſacra ſolis
Munera, non ipſi, ſint quanquam ad flumina, ſomni:
Ipſae epulae, ipſa bibo quae vina, videntur amara.
Quod potui ex illo, quoniam prior auſugis, aegros
Abſentis duxi tua per compendia greſſus;
Et, quà non patuit pedibus via, mente tetendi.
O ego Rhipaeae pennas ſi aequare columbae
Poſſem ales primo cum turture! ſi mihi tantum
Eſſet apem ſimulare, tuumque venire ſub antrum!
Felices nimium Arctoas, tua regna, pruinas!
Illic namque nives, illic cryſtallus amare
Diſcet, et ignotos ibit rigor omnis in ignes.

Ardebit glacies, glaciem miſerabere, non me,
Durior Arctois, regnas unde ipſa, pruinis.
Invideo campis, in quos veſtigia pones.
Vernabunt illi in medio vel frigore, et almos
Ad Phoebum expandent laeti, ſua ſidera, flores;
Ridebunt agri, ridebunt prata, lacusque,
Omnia ridebunt; nos flebimus. Ah! Melituſa,
Si mage tu Daphnin, minus aut te Daphnis amaſſet,
Quaeſiſſem propius mea lumina. Nunc tibi totâ
Dividor Italiâ, et ſperato excludor ab orbe.
Certum eſt ire tamen. pergam quocunque vocaris.
Ante etenim et coelo volucres, et fontibus unda,
Et fluviis ripae deerunt, et ſibila ventis,
Ante mari piſces, coepto quam Daphnis amori.
Credimus? an ſua cuique facit fiducia numen?
Neſcio quid fauſti eſt. aries in litore ſaltat.
Ibo hinc, et viridi incîdam nova cortice vota;
Creſcite formoſae, mea vulnera, creſcite myrti.

P O E T A.

Finierat Daphnis; colles ſonuere propinqui:
Creſcite formoſae, mea vulnera, creſcite myrti.

Prima mihi genitrix dedit hos Stagira calores.
Id, ſi non vatis, pignus amantis habes.

ODOARDVS PERSIVS.

MOERIS.

ECLOGA AD

CASPAREM KINSCHOTIVM.

Mollibus in pratis, ubi rivos inter amoenos
Alma Ceres, et laetitiae paris auctor Iäcchus,
Non male concordes legère cubilia Divi;
Oppoſitis contra ſurgentem e rupibus arcem,
Arcemque atque urbem regis monumenta Sicani,
Ambas Pictonici decorantes oſtia ToxI,
Vitiferam nuper ſolus conſedit ad ulmum,
Qui Ligere Andino Rhenum mutaverat, exul
Sponte ſuâ, miſerae ſortis ſibi maxima cauſa,
Abſentem paſtor Moeris queſturus Iölam,
Deliciasque ſuas et gaudia ruris, Iölam;
Cuius arundinibus modulatrix fiſtula ſeptem
Panaque, Sylvanumque, Deos pellexit agreſtes
Saepius, et Nymphas latebris prodire coëgit,
Quanquam auditores complerent paſcua Fauni.
Illam, inter virgulta latens humilesque myricas,
Sylveſtres numeros voluiſti audire ſonantem,
Flos vatum, Kinſchoti; o nec ſpernende Deorum
Arbiter, antiquam renovent ſi numina litem,

Certent cum fidibus ſtipulae, cum pectine bucca.
Illius auditae mea te meminiſſe precatur
Pieris, importuna tuam quae vellicat aurem.
Illam omnis (noſti) paſtoria noſtra iuventus
Aetherio tanquam lapſam ſuſpexit Olympo.
Praecipuè coluit magno illam Moeris honore,
Et, magis atque magis miratus, laudibus illam
Aſſiduè celebrabat. huïc iam denique victas
Aiebat Siculi paſtoris cedere cannas.
Plenae quin etiam curarum oblivia vitae,
In patriâ per quae Phoebo Muſisque vacavit
Sincerè gaviſus, huïc accepta ferebat.
Hâc vero ereptâ, mille ipſum taedia acerbis
Noctes atque dies preſſere angoribus. ergo
Concedenda ratus moerori frena, querelas
Perditus in tales prorupit: dulcis Iöla,
Quae nemora aut ſaltus, quae devia tesqua pererras?
Quae tua vocales reddunt tibi carmina valles,
Aëriive ferunt ad proxima ſidera montes,
Nectare diffuſis ſuperis gratiſſima dona?
Quis tam dirus amor peregrina armenta videndi
Te rapuit, procul ut quoque nunc his arceat oris,
Quando viae comites dudum rediere bubulci?
Illi, praecipitis Rhodani quà vortice lentus
Abſorbetur Arar, te deſeruiſſe cohortem
Commemorant, captum terrae ulterioris amore.

Rurſum igitur longis volvendos menſibus orbes,
Et tardos, velut ante, querar procedere ſoles?
Quâ, venit in mentem, ſis tempeſtate profectus?
Hic, ubi maturis flaveſcit campus ariſtis,
Calloſâ tunc fronte trahebat arator aſellus
(Inſolitum nobis viſu) grave pondus adunci
Vomeris, incuſans ducentes otia tauros.
Id mihi vel magno ſpatium eſt diuturnius anno,
Et tanto potes, inclemens, ſuperaddere quicquam?
Ah! peream, niſi me mora fecerit iſta perire!
Prô deſiderii vim ſaevam! quîs ego demens
Nos modo iungendos fingebam amplexibus ambos!
Arctius implicitas non cernis vitibus ulmos,
Annoſas ulmos, ſi quas regionibus illis
Agricolae, plus quam glebas verſare periti,
Qualiter hîc, ulmos tenerâ cum vite maritant.
Quam mea, pro voto ſi rem Fortuna tuliſſet,
Nectere dilecto meditabar brachia collo!
Nam tibi non ſe quisquam alius ſic iactet amicum,
Neve tuo quisquam ſic foedere gaudeat alter,
Moeris uti, poſtquam eſt ad culta novalia Rheni
Delato coram tecum data copia fandi.
Atque utinam primis unà licuiſſet ab annis
Paſcere oves, gratâque ſimul recubaſſe ſub umbrâ,
Cum vitans aeſtum mediâ iam parte diei
Exactâ crudas grex feſſus ruminat herbas,

Vicinos parvi quoniam perrepſimus agros;
Parvi ad idem flumen potum deduximus agnos.
Sed quicunque Deus mihi ſortem inviderit iſtam,
Vltra aut nil potuit quantumvis lividus, aut me
Lumine non adeo tandem reſpexit iniquo,
Totque per ambages in pinguia detulit arva,
Olim Nereides viſentis, conſcia Rheni.
Illic noſtra brevi tantum concordia crevit,
Dum paribus ſtudiis iucundè degimus aevum,
Oceanus quantum, cauris inflantibus aequor,
Accreſcit refluus pleno ſub ſidere Lunae,
Belgarum haud umquam mage formidandus arenis.
Illic eloquio cunctis praeſtantior unus,
Et facilis nitidum carmen depromere, muſam
Coepit amare meam, te conciliante, Palaemon.
Illic ipſe meis applauſit luſibus Aegon,
Gloria paſtorum, quo nemo peritior alter
Arte Syracoſiâ Hollandas animare cicutas.
Poſt ea nec ſocium me dedignatus habere
Thyrſis, oves alio tum forſan ab orbe reducens.
Nam Tameſin propter, niveo quà munere lanae
Praecellunt pecudes, felicia gramina paſtae,
Haeſerat. huc pridem pater illum miſerat Aegon;
Et patriae aequalem mirata Britannia famae eſt.
Singula quam meminiſſe iuvat, tempusque peractum
Mente remetiri, quo nos quandoque iacentes

Aggere ſub viridi, obverſos fluvialibus auris,
Accendére tuae cantati Amaryllidis ignes!
Quo, biſidae tergum plangentes verbere caudae,
Laſcivae riſum nobis movere iuvencae,
Quas Galatea ſequens fruſtra ad mulctrale vocabat;
Seu pecoris fuit iſte furor, ſeu ſponte puella
Exciit ad ſubitos manſueta animalia curſus,
Et levitate pedum, et flavâ, criſpantibus euri
Cirris undantem quam molliter impellebant,
Caeſarie nimium cupiens formoſa videri.
Quo, gravis aere, ſuo rediens ex urbe phaſelo,
Theſtylis, ad clavum velut exhilarata ſedebat,
Adverſum Lycidam ſpectavit fronte ſerenâ.
Ille alacris remo fluitantia vela iuvabat,
Nec ſtolidus ventos optavit habere ſecundos.
Saepius, obnitens ſummis quaſi viribus undae,
Virginis in gremium prono ſe corpore labi
Paulatim ſimilem nolenti paſſus, eàdem
Fraude columbatim coniunxit labra labellis.
Improba laetitiam tremulo teſtata cachinno
Theſtylis, auſa quoque eſt ſignis illudere nobis,
Vox quorum, his viſis, Hymen, Hymenaee ſonabat.
O patria! o Rheni ſtrepitantes leniter undae!
Gaudia quae toties mihi tam ſincera tuliſtis?
Vos peregrinandi maleſano percitus oeſtro
Nil armenta, nihil ſegetes, nil paſcua curans;

Phyllidis oblitus; vix, vix perſuaſus, ut iret
Haec comes e noſtro dependens fiſtula collo,
Fiſtula ſollicitos animi exhauſtura dolores;
Fugi crudelis? me, ni mens laeva fuiſſet,
Infortunatis poterant avertere coeptis
Carbaſa bis portus ſubeuntia verſa relictos.
Tertiò ut iratum auderet tentare profundum,
Contra obluctantem, Moerim ſua fata trahebant.
Illa ego ſperarem haud dubius lenire canendo,
Si foret hîc, noſtris qui reſpondere Camenis,
Inque vices alterna reponere carmina poſſet,
Exeſas praeter rupes, et concava ſaxa.
Huc converte gradum, rerum dulciſſime, Iöla:
Hoc qui ſpinoſas evellet pectore curas
Vnus eris. tecum agreſti contendet avenâ
Moeris, et agreſtem vinci gaudebit avenam.
Non etenim ſuperatus abit livore maligno
Plenus, ut inſulſi effrenis dementia Maevî;
Indoctusve, tuis qui cantibus obſtrepit, Anſer;
Anſer Romulides, Capitolinâque ſuperbus
Se iactans lauru, quamvis non ille Latinum
Servarit nomen raucis ſtridoribus unquam.
Aptius o quanto, trivialem exoſa poëtam,
Cinget Iölaeos Daphnis Phoebeia crines.
His egomet digitis victrici e fronde corollam
Texam. luxuriat foliis hîc plurima laurus;

Sive hederam mavis, hederae non copia deſit;
Aut Paphias myrtus, velabere tempora myrto.
Verte gradum, ſeu te in canis nix alta moratur
Montibus Allobrogum; ſeu puri ad ſtagna Lemanni
Sic temerè aut iunco, aut caeſâ proiectus in ulvâ,
Argutum tenui deducis arundine verſum;
Quo captae indigetes tollunt e gurgite furtim
Naïades tectum viridi caput undique muſco.
Vocibus ipſae etiam non tam fortaſſe latenti
Suavidicis iterant placitum modulamen ab antro.
At ſemper memori maneat tibi mente repoſtus
Fletus Hylas ſuus Alcidae. tibi tempore nullo
Sirenes, cautique dolus ſervator Vlyſſei
Exciderint animo. non dixerit omnia ventis,
Quae diſcedenti lacrumans Amaryllis Iölae
Cum tacito gemitu ſuprema per oſcula dixit.
Verte gradum, o neque vel rigidis e cautibus orte,
Roboris aut duri de ſtirpe, aut matre leaenâ.
Solari afflictam propior conare puellam,
Vni in Iölaeo Moeris cui cedit amore.
Ten' credam vertiſſe gradum? ſic tintinat auris
Neſcio quid, ciliumque ſalit. fortunet Apollo,
Quidquid id augurii eſt. noſter fortunet Apollo,
Qui viduus chordarum, Amphryſia munera, lectos
Inflavit quondam calamos, et paſtor, et exul.

Omine captato, verbum non amplius addens,
Surgit humo puer exſultans, ripamque petivit.
Inde agilis, ſua quò retrò veſtigia ducunt,
Vertit iter; greſſuque ad nota mapalia tendit,
Gallorum regem fluviorum paſſibus aequans.

ANONYMVS.

Salmuriae in Andibus
Idib. Quintil. CIↃ IↃC XLIIII.

ECLOGA IN MORTEM POETAE BVCOLICI

IANI BROVKHVSII.

THYRSIS.

Forte gregem iuvenes Yae refluentis ad undas
Compulerant, Meliboeus oves, Thyrſisque capellas,
Ambo paſtores, nati paſtoribus ambo,
Ambo flebilibus ſuccenſi pectora curis.
Aeſtus erat, cum ſol medio lucebat olympo,
Defeſſumque pecus frigus captabat opacum;
Coepere alternos inter ſe dicere verſus,
Et prior hos Meliboeus, et hos canit ordine Thyrſis.

MELIBOEVS.

Flete nefas, volucres, nemorum ſolatia; flete,
Pierides, mecum, Daphninque repoſcite divos;
Ille decus noſtrum, paſtorum gloria quondam,
Mortuus eſt Daphnis: ceſſerunt gaudia ſylvis.

THYRSIS.

Mirabar, quid noſtra pecus, Meliboee, doleret,
Quid macer in pingui mugiret gramine taurus,
Quid gemerent vaccae, nec lac de more referrent:
Occiderat Daphnis, flebant pecora omnia Daphnin.

MELIBOEVS.

Ya pater, quo tunc Dryades! quo numina Fauni
Conceſſere, dies cum viſere regna iuberet
Daphnida, perpetuis Erebi damnata tenebris?
Amſtelides Nymphae, quîs tum latitaſtis in antris?

THYRSIS.

Nil poſſunt Dryades, nil poſſunt numina Fauni,
Ipſe nihil potuit Muſis comitatus Apollo,
Attulerat quamvis cunctas medicaminis herbas;
Servaſſent, ſi quid potuiſſent, numina Daphnin.

MELIBOEVS.

Quid prodeſt pietas? quid iam divina poëtae
Carmina? quid toties cantati Phyllidis ignes?
Vos invidiſtis, Superi, melioribus; et vos
Gaudetis, Superi: Superis nos cedere, fas eſt.

THYRSIS.

Stat ſua cuique dies, et inexorabile fatum.
Demeruiſſe Deos iuvat haud, Meliboee, precando,
Donaque ſuſpendiſſe tholis: haec omnia Daphnis
Fecerat; an minus eſt Stygias detruſus ad undas?

MELIBOEVS.

Non iterum cantans cantantibus offeret ultro
Se Daphnis poſthac: quas ſpes, quae vota canebant
Paſtores omnes, ut Daphnis viveret! at nunc
Vno eodemque iacent tot ſpes, tot vota ſepulcro.

THYRSIS.

Flos fuerat Daphnis, ſed flos fuit ille caducus.
Sic ego naſcenti florentia lilia ſole,
Florentes vidi violas, ſic ſole cadenti
Pallentes violas, pallentia lilia vidi.

MELIBOEVS.

Heu! quam lugubres oſtendunt omnia vultus.
Aſpice, nunc errare pecus nemora omnia circum,
Immemor herbarum nequicquam quaerere Daphnin,
Proque pio fletu campos complere boatu.

THYRSIS.

Credibile eſt, ipſas mortem ſenſiſſe myricas.
Nullus honor ruri eſt, ſquallent ſine gramine prata.
Vidi egomet, noſtris ſegetes langueſcere in arvis.
Mors rapuit Daphnin; raptum flent omnia Daphnin.

MELIBOEVS.

Fleverunt omnes extinctum Daphnida vates.
Illum etiam Belgae, illum etiam flevere Sicambri,
Illum etiam Friſii, illum etiam flevere Britanni;
Amſtela turbatos involvit in aequora fluctus.

THYRSIS.

Vt ſine ſole dies, Phoebes ſine lumine noctes,
Vt ſine fluminibus piſces, ſine frondibus alni,
Vt fontes ſine aquis lugent, ſine floribus horti,
Daphnide ſublato ſic nos lugemus amantes.

MELIBOEVS.

Collibus ut vites, ut dulces vitibus uvae,
Vtque capella capro decus eſt, caper ipſe capellae,
Sic decus omne ſuis Daphnis; cum funere raptus,
Rapta ſimul capro eſt, rapta eſt ſua fama capellae.

THYRSIS.

Triſte pruina ſatis, Corus Borealis ariſtis,
Turturibus demti frondoſa ex arbore pulli,
Anſeribus vulpes, vulpi violenta canum vis,
Mel ſubductum apibus: nobis tua funera, Daphni.

MELIBOEVS.

Vos o iam miſerae nullo cuſtode per herbam
Ite domum, quondam felix pecus, ite capellae,
Ite boves et oves, nox imminet, ite iuvencae;
Sed non veſtra ſuis Daphnis premet ubera palmis.

THYRSIS.

Me ſolennia iuſta vocant et Daphnidis umbrae,
Spargam hederis, ſpargam myrtis, ſpargamque ſepulcrum
Floribus, et dicam ſpargens: haec, Daphni, ſepulcro
Spargo tuo, aeterni monumentum, et pignus amoris.

MELIBOEVS.

Si quid id eſt, addam tumulo tria carmina, Thyrſi:

Hic iacet, immiti conſumtus funere Daphnis,
Qui potuit calamis immania ſaxa movere,
Non potuit calamis crudelia fata morari.

G. R. V. SISSINK
Nobilis Groninganus.

AD NIC. HEINSIVM.

Quod ſi Pyrrhus amet, tanquam ſibi foedere iunctos,
Omnes, pulverulenta ſequi quos praemia durae
Militiae iuvat; et magnis ſe offerre periclis
Audent intrepidi, nec telis cedere norunt,
Eminus aut propius valido concurritur hoſti:
Quamvis ſaepe illos imâ de plebe parentes
Suſtulerunt, aſt ipſe ſedens Rex altus eburno
Sceptra quatit ſolio, et bello dux ſummus habetur.
Tu quoque, quà vaſto terras hominesque coërcet
Oceanus ponto, magnorum maxime Vatum,
Ne contemne humilem, ne dedignare clientem,
Qui doctis fert ſacra deis communia tecum;
Auctoremque ducemque ſequi ſtudet, impare quamvis

Ac tardo greſſu, et longe poſt terga relictus.
Nam quem ego te memorem, egregium magni genus Heinſî,
Cui Iove nata dedit cunctis excellere Pallas
Rebus, et illuſtrem praeclarâ reddidit arte.
Ipſae Phoebeâ tibi nectunt tempora lauro
Pierides, tecum quas duxſti Helicone relicto
In Belgas, ubi iuſſiſti habitare volentes.
Quid referam inſignes, quos promis Apolline dextro
Ingenii foetus, minio cedroque linendos?
Mirantur, cupideque legunt tua ſcripta Britanni,
Quique bibunt Ararim docti, Rhenumque, Padumque.
Quis tibi, quis dignas perſolvet munere tanto
Grates, quod diris Naſonem e faucibus Orci
Ereptum, e tenebris in clarâ luce locaſti.
Illum infelicem foedarat vulnere multo
Turpiter, et ſacros dudum violaverat artus
Longa dies audaxque manus; (ceu Maenades olim
Threicium vatem laniarunt, carmine quercus
Ducentem atque feras.) Nec iam ſuper ulla ſalutis
Spes miſero, clarumque caput nox atra premebat;
Cum tu, divini perculſus amore poëtae,
Arte virum doctâ et Muſarum numine fretus
In vitam et dias revocaſti luminis oras,
Vix unum pulcro linquens in corpore naevum.
Haud ſecus ac, curru effuſum, ſparſumque per agros,

Hippolytum quondam valido medicamine rurſus
In ſuperum lumen Dite indignante reduxit,
Donatum Triviae precibus, Phoebeia proles.
O utinam reliquos etiam, doctiſſime rerum,
Et magnum inprimis digne curare Maronem
Promiſſi memor auderes; quîs plurima paſſim
Incurata latent in terſis ulcera chartis.
Attamen haud veteres tantum tua cura Poëtas
Reſtituit, ſed et ipſe, antiquis aemula, condis
Carmina, Pierio multum conſperſa lepore,
Nafonisque refers numeros, numerosque Properti
Verſibus egregiis, Permeſſi flumine plenus.
O fortunatum, cuius res dicere geſtas,
Cantandoque voles ſerum diffundere in aevum!
Audiet hunc vinctus glaciali compede Pontus,
Atque opulentus Arabs, quosque aſpicit exoriens ſol,
Quosque cadens, et, ſi noſtro quos orbe remotos
Dividit Oceanus, ſi quos tenet ultima Thule.
Tu vero ingentis caſus ante omnia belli,
Quod modo cum vario diſtracti geſſimus hoſte,
Incipe Maeonio chartis intexere verſu,
Invictique refer memorandas ordine pugnas
Principis, adverſo fractas qui Marte Batavûm
Summâ res iterum in ſolido virtute locavit,
Atque urbes multo viduatas cive recepit,
Egregiâ nulli Maiorum laude ſecundus.

Incipe (namque potes) tantisque accingere rebus
(Ingenti clamore vocant te Heliconia Tempe)
Auſpicibus Muſis et non ſine numine Phoebi.
Interea, dum tu, quanto decet ore, ſonabis
Facta Ducis, humili non committenda Poëtae,
Omne tibi, noſtrae poterunt quodcunque Camenae,
Servierit, peragentque tuae praeconia laudis.
Si, quantum cuperem, mihi Dî quoque poſſe dedisſent,
Si ſinerent Pallas, votisque vocatus Apollo,
Nomen ad aſtra tuum ferrem ſublime, nec ulla
Terris te eximeret, quamvis longaeva, vetuſtas.
Sed tua fama nequit alieno creſcere verſu,
Per te quae populis ab Eoo eſt nota cubili
Solis ad Hesperium, nec te mea pagina dignum
Deducit carmen; quid enim? dedit invida vires
Exiguas natura mihi, nec lumine laeto
Calliope effuſum me vidit in aetheris oras,
Nec laurum mordere dedit, nec fonte rigavit
Ora Meduſaeo, quo Vatum pectora nutrit.
Sed tamen in primo forſan non usque morabor
Limine, meque etiam placido pia numina vultu
Reſpicient olim, ducentque per ora virorum.
Non tamen alta nimis, (metuo Rhamnuſidis iram)
Nec mihi prima petam victricis praemia laurûs.
Quanquam ô! ſed vincant, quos mavult vincere Phoebus.
At te, nam voluiſſe ſat eſt, dum poſſe negatur,

Per Superos oro, ne faſtidita repellas
Munera parva, Deis etiam gratiſſima. quis te
Finge precor dignum, neu ſis cultoribus aſper.

1674. IAC. PERIZONIVS.

CVRIA EMBRICENSIS LOQVITVR.

Bella ſilent: Pax laeta redit. Victricibus armis
Parta quies: poſitoque furore paciſcitur orbis.
Grata ſalutiferum populis facit otia Numen,
Et mihi iura mei, per quae facit otia, reddit.
Inter et armorum ſtrepitus, bellique tumultum,
Et varios fati caſus, variosque labores,
Septima ſollicitam prope me iam viderat aeſtas.
Dum meus, haud merito infeſtos, Fredericus in hoſtes
Fertur; Saxoniam ſubigit, Galloque fugato
Auſtriacum reprimit, Ruſſum Suecumque coërcet:
Interea triſti belli ſub lege relicta
Pervigiles curas, luctumque, fugamque meorum,
Militis armati iuſſa imperioſa, minaces
Vultus, abductos, magnâ formidine, cives,
Tot gemitus, lacrymas, tot queſtus anxia vidi.
Sed vincit Fredericus! habet Germania pacem,
Cura fugit, gaudent gentes, felicior aetas

Civibus exoritur. Magni moderamine Regis
Iuſtitiam ſociare manus, Pietate magiſtrâ,
Cum Pace; excultas Artes, floreſcere merce
Moribus ornatam, emendatam legibus, urbem;
Atque Patrem Patriae, ſi quid pia vota valebunt,
Delicias noſtras, humanae gentis Honorem,
Et pace et bello Magnum, populis dare iura,
Regibus exemplar, diuturnâ in pace videbo.

1763. HERM. IAARSMA.

AD LVDOVICVM XVI

Ingreſſum Lutetias Pariſiorum.

Vidiſti, o Lodoix, Regum non robur in armis,
At totum in Populi fido exultantis amore,
Vive diû, ah! felix Princeps; et, doctior uſu,
Perge malas prudens cingentum expellere fraudes,
Praebere aſſiduam verum ſuadentibus aurem,
Et Patriae auguſtum te Patrem oſtendere factis.

D. 17 *Julii* 1789. CIVIS PARISIENSIS.

L Y R I C A.

THEODORVS BEZA

de ſuâ in CANDIDAM *et* AVDEBERTVM *benevolentiâ.*

Abest Candida; Beza, quid moraris?
Audebertus abest, quid hîc moraris?
Tenent Pariſii tuos amores,
Habent Aurelii tuos lepores,
Et tu Vezeliis manere pergis?
Procul Candidulâque amoribusque,
Et leporibus Audebertuloque.
  Imo Vezelii procul valete:
Et vale pater, et valete fratres.
Nanque Vezeliis carere poſſum,
Et carere parente, et his, et illis,
At non Candidulâ, Audebertuloque.
  Sed utrum, rogo, praeferam duorum?
Vtrum inviſere me decet priorem?
An quenquam tibi, Candida, anteponam?
An quenquam anteferam tibi, Audeberte?
Quid, ſi me in geminas ſecem ipſe partes,
Harum ut altera Candidam reviſat,

Currat altera verſus Audebertum?
At eſt Candida ſic avara, novi,
Vt totum cupiat tenere Bezam:
Sic Bezae eſt cupidus ſui Audebertus,
Bezâ ut geſtiat integro potiri:
Amplector quoque ſic et hunc et illam,
Vt totus cupiam videre utrunque,
Integrisque frui integer duobus.
Praeferre attamen alterum neceſſe eſt.
O duram nimium neceſſitatem!
Sed poſtquam tamen alterum neceſſe eſt,
Priores tibi defero, Audeberte:
Quod ſi Candida forte conqueratur;
Quid tum? baſiolo tacebit uno.

Ex Edit. Pariſ. 1548, *paucis viſâ.*

DE BEZAE CANDIDA ET AVDEBERTO.

Facundâ levibus praeponere amoribus arte
Auſus eras caſtas caſtus amicitias:
Obſcoenum innocuo quaerens in carmine ſenſum,
Ipſe ſuum tribuit, non tibi, Beza, tuum.

1789. SANTENIVS.

IN NVPTIAS IANI GARNERI ET MARGARETAE VRANIAE.

Redde tu' mihi, Margareta, redde,
Redde, inquam, mihi, tu puella, Ianum,
Ianum, quem violenta ſurpuiſti.
At iſtis male ſit genis rubellis,
Et iſtis quoque blandulis ocellis,
Et vobis quoque, veſculae papillae,
Et vobis quoque, criſpuli capilli,
Meum quae mihi amiculum abſtuliſtis!
Margaretula, tene? tene deinceps
Ianus delicias ſuas vocabit?
Et hunc delicias tuas vocabis?
Totus ergo tibi, puella, Ianus
Deinceps et vigilabit et quieſcet?
Et ſi quando fores adibo Iani,
Non confeſtim aderit, velut ſolebat,
Sed prodibit anus ſceleſta tandem,
Herum quae procul hinc abeſſe iuret,
Intus cum foveat ſuos amores?
At Ianum interea foris requiret
Fruſtra tota cohors amiculorum,
Cum bellis tamen aut labella bella

Miretur ſimul et ſuävietur,
Aut tractet lepidae ſalax puellae
Audaci teretes manu papillas,
Et quantum quoque diſtet haec ab illâ
Forſan diſcere curioſus optet.
At Iani interea ad fores ſedebit
Fruſtra tota cohors amiculorum,
Cum fruare tuo, puella, Iano,
Et, tanquam iocus hic ſit inſuävis,
Lucteris ſimul et ſuävieris,
Mireris ſimul atque blandiaris,
Donec depoſito furore tandem,
Ianum ſuxeris, o puella nequam,
Audacemque tamen tuum eſſe Ianum
Voce deficiente conqueraris.
At ſaltem, improba Margareta, foedus
Hac tecum liceat ferire lege,
Ianum fas tibi ſit, puella, toto
Poſſidere die: frui in tenebris
Mi ſaltem liceat, puella, Iano.
Fallor, an tibi plus placent tenebrae?
Immo vis pariter diem atque noctem?
Et dat ille tibi diem atque noctem?
Nocte ſit tuus ergo, ſitque luce,
Dum, Iani unius in locum, quotannis
Des nobis alios, puella, Ianos.

THEODORVS BEZA.

IN
IVSTVM LIPSIVM
aegrotantem.

Quis (malum!) volaticus
Rumor, alitis ſiniſter haud bonae famul, meas
    Verberat frequenter aures,
Inſolente Lipſium (at
Quem virum?) obſitum dolore, multo habere peſſime?
    Noxioque membra morbo
Corripi graviſſime?
O decens ſalubritatis adminiſtra Sanitas,
    Quid rei eſt, quod edomari
Vis ab improbâ Lue,
Corporumque atroce peſte? ſitne prô valentior
    Te potentiorque; et artus
Immerentis, ut velit,
Vt tyrannum agat, furente vexet impetu, modum
    Neſcius tenere, Languor?
Vsquequaque ſed caput
Sed iecur, ſed ilia ipſa, viriumque pertinax
    Robur acre frangere? immo
Sic homunculos humi

Sternere anxios, ut inde neſciant reſurgere,
    Priſtinasve opes apiſci?
Nuper ut malignius
Gulielmium cremare febris illa querquera,
    Gratiarum adorta pullum,
Haud quidem ante deſtitit,
Quam neci daret miſellum; et inferis Proſerpinae
    Victimam immolaret aris.
O et artium puer
Mille, et integrarum amator integer Virginum,
    Templa lucida incolentum
Theſpii cacuminis;
Tam repente te rapitque mors, humatque, Bituris?
    Sic Secundus Hagienſis
Vix poëta viderat
Pauculae peracta meſſis annua, ut diem ſuum
    Heu! coactus eſt obire,
Ditis ingenî bona
Dans, febre abſoluta, qualia ipſe Gulielmius
    Primulo vigentis aevi
Flore; qualia ipſemet
Lipſius quoque aemulator Attici dedit favi,
    Romulaeque puritatis;
Poſt item daturus eſt,
Diſpari licet profecta Marte: nam pedeſtribus
    Hic amat loqui, ſed illi,

Syllabas ligantibus
Lege metricâ, ſtyloque diſcolore, vocibus.
Ergo Lipſius valeto
Vivitoque longius;
Quem, cave, cave, (monemus), infidelis Atropos,
Praecipem ſub Orcum adaxis.

Lutetiae Pariſiorum
A. CIƆ IƆ LXXXIV.

PAVLVS MELISSVS *Francus,*
Comes Palat. et Eques,
Laureatusque Poëta,
Civis Romanus.

AD AMICOS HAGIENSES ET LEIDENSES.

Iam ſatis nugis, tetricisque rixis
Queis Forum gaudet, rabulaeque triſtes,
Litibus lites cumulare docti,
Tempora ducunt,
Et tibi, Belgî decus, aleâque
Martis alterni toties petita,
Pallados regnum breve nuper, alma
Breda, vacavi.
Priſca Danorum monumenta ſervans,
Ada, permixto ter adaucte Marca,

Quid moras, fluctu biſido relabens,
Nectis eunti?
Pineae non me movet aura ſylvae;
Querneis nec iam nemus Elyſaeum
Vinculis Hagam properantem, amica
Nec tenet umbra.
Haga me dudum vocat, ac morari
Longius ſaeclo queritur, laresque,
Quos per erepſi puer, ut reviſam,
Orat alumnum.
Heinſium in primis ibi Voſſiumque,
Nomina aeternis perarata chartis,
Ardeo amplecti, niveisque dextram
Iungere dextris.
Sive Pelignis veteres amores
Ille decantat numeris, vel aureo
Carmen heroam meditatur idem
Pangere plectro.
Seu per Actaeas rate vectus oras
Alter interni relegat profundi
Litus, aut vaſti ſinuoſa mundi
Compita luſtret.
Seu vetuſtatis (nihil inde tutum eſt)
Ambo iacturam reparare certant,
Vixque, luctantes tineis et annis,
Reddere luci

Priſtinae auctores melioris aevi,
Quosque miratae veteres Athenae,
Quos et Auguſto dominante felix
Roma probavit.
Hos amem circum pluteos vagari,
Melle ſtillantes Sophiae, favisque,
Quo nec Hyblaei peperere quicquam
Dulcius alvei.
Mentibus doctis datur hic, perenni
Fonte demanans, liquidumque nectar,
Conſciâ ſi quae ſatagunt lucernâ
Condere noctes.
Quas tibi at grates, meritasque laudes
Entheum par ô iuvenum, referre
Poſſem inops, vaſto temeraria urgens
Carbaſa ponto?
Plus tamen coepti ſupereſt laboris
Atque amicorum bona pars, negare
Quis nefas ſit me; vocor huc et illuc
Ordine nullo.
Namque, quem primum, aut memorem deïnde,
Haereo incertus, dubiusque nunc hoc
Calle, nunc illo feror, aeſtuoſi
Vorticis inſtar.
Dumque te ante omnes, venerande Catſi,
Belgicae princeps citharae paterque,

In ſuburbano cupio receſſu
Viſere, longe
Vulgus arcentem, tetricasque curas,
Ad tuos colles iter inchoantem
Grotius, magni patris, occupat, non
Degener heres;
Obvias quondam veluti carinas
Cantibus fertur remorata Siren;
Tu diſerto non minus ore polles,
Inclyte Groti,
Sive te verbis deceat ſolutis
Grande mandatum domini potentis
Promere auguſtis patribus, metrove
Claudere verſus.
Te nec ingrato pede praeteribo,
Celſe, gentili licet eminentem
Purpurâ, nec conſilio minorem
(Per freta dum nos
Vndique infeſtat maleſida Erinnys)
Patriae duris ſupereſſe rebus;
Non enim priſci tenuem ſodalis
Spernis avenam.
Me quoque Hugenî, varias per artes
Ducta ſub magno genitore triga,
Mille delectant noviter repertis,
Mille tabellis.

Sive Parnaſſi iuga, ſiderumve
Mens ſit arcanas peragrare metas,
Sive librato trutinare vitae
Momina plumbo.
Hic novas terras novus Archimedes
Lucido pandit Triviae ſub orbe,
Moxque Saturni comites Iovisque
Indice vitro,
Hactenus Lynceis oculis latentes,
Monſtrat, et quicquid procul hinc videtur,
Quicquid et viſum fugit, intuenti
Cominus offert.
Te nec invitus memorabo, quamvis,
Kinſcoti manes geniumque tandem
Lentus ut places, iterum monende,
Delfice Walli.
Cognitum quid ſi et iuveni Lyceum,
Qua freto Rheni prohibentur ora,
Marte et invictos libeat fameque
Viſere muros.
Nunc enim hic tandem, precibus, Gronovi,
Redditus noſtris, tibi deſtinatum
Pulpitum aſcendis, nimium ſuperbus
Hoſpite tanto
Quem tribus luſtris Batavae Minervae
Inſula invidit, queriturque tali

Cive privari, patriique magnâ
Parte Senatûs.

Te quoque haud ullis, ibi, poſthabende,
Serius quamvis mihi note, Borni,
Geſtio amplecti, docilemque nexu
Stringere Ianum;

Neve tu certe, minus ut modeſtus,
Inter hos quocunque loco reponi
Reſpuas; virtute tuâ ipſe fidens
Cedere nulli.

O amicorum ſacra candidorum
Turba! quos pennâ, ſoluï negante,
Vindicat certis Polyhymnia aſtris,
Famaque claros

Inter Heroas ſua collocavit!
Vos me in Hagani nemoroſa luci
Saepius Bredâ rapite evocatum,
Tectaque ſubter

Frondea errantes ſociis libellis,
Non ſine argutis ſalibus iocisque,
Ipſe quos laudet Cato, feriatum
Ducite, amici.

1658. IANVS VLITIVS.

IN EFFIGIEM DIESTII.

Inter docentes ſacra pubem Belgii
Annis cathedrae primus, haud meritis minor,
Faciem verendam ſic ferebat Dieſtius.
Linguam diſertam, mentis ingenium piae,
Scientiarum pectus arcanum penu,
Depinxit ipſe litteris perennibus.

IOAN. FRIDER. GRONOVIVS.

AD A. PLOSIVM AB AEMSTEL DE MORTE HENRICI FILII.

Vir ſumme patriae, qui penatibus ſacris
Laudes avitas, et propaginem tantam,
Decusque gentis Amſtelae redonaſti,
Aſſume Laurus, atque adoream iuſtam,
Non quam cruore pingit inclytus Mavors,
Interque gladios nundinatur, et caedes,
Sed invidendae praemium, togataeque,
Et ſuſtinentis publicae rei molem,

Dignaeque tam Te, quam Catone, virtuti, :
Immotus ille, nec dolore frangendus,
Seu publice Fortuna turbidum ſaevit,
Seu propius inſtat triſtis, et Lares urget.
Stabat venuſto Filius nitens flore,
Famamque Patris auſpicatus, illuſtre
Virtutis omen fecerat ſecuturae:
Hac Tu patebas parte in ultimum vulnus;
Hac illa tandem credidit laceſſendum.
Facinus peregit ſaeva: ſed Tibi laudes
Tuas reliquit. Triſte Funus, ac crudum
Gemitu verendo proſecutus haeſiſti
Ad dedicandum publicae rei poſtem,
Oculo irretorto, patriae vacans tantum,
Tuasque curas publicâ exigens cura;
Pulvillus alter. Inde ſcilicet tandem
Invidia diſcat robur Amſtelae ſtirpis,
Luctuque pectora expedita plebeio:
Nil imputare fortibus viris Sortem,
Virtute nixis: proſperam, ſecundamque
Semper mereri, qui domaret adverſam.

1639. VINCENTIVS FABRICIVS.

HVGENIVS HEINSIO S.

Venit Vianam, cuius hic manum vides,
Ac te videre, ſi vacat, valde cupit.
Si non vacat, videbit invitum tamen,
Dicturus unum hoc ſcilicet verbum vetus,
Quam candide ſit quamque

1678 CONSTANTER tuus.

IN OLLVM.

Quà praediorum nota Leyda ſeceſſu
Rheni ſalutat aequorisque concurſus,
Summoenianam duxit Ollus uxorem;
Trahens beati mille copias ruris,
Felicitatis ipſe vix ſuae compos.
Illic et anates, et cohors columbarum,
Et anſeres, et delicata piſcina,
Et Phaſianae turba picta gallinae,
Perdixque degit, gemmeique pavones.
Æſtate demum pinguium iuvencarum
Uber quotannis turgidum remolleſcit,
Coagulumque caſeumque non unum

Recente ſpumans urna lacte largitur.
Fugiente deinde Vere poma ſuſtentat,
Vvasque praebet ac miniſtrat Autumnus.
Hac cum beatus eſſe debeat villà
Simulque poſſit, inſuper novas quaerit,
Et concupiſcit inſuper novas gazas,
Dudum ſepultas, abditas ſinu terrae.
Aut ſi quid usquam theca ſemicorroſa
Epiſtolarum continet ſolutarum
Tot ante ſaecla, promicondus extrudit,
Specubusque noctis exerit latebroſis,
Nec invidendo Solis arcet aſpectu,
Miſerosque vexat et fatigat heredes
Intentus auro litibusque devotus.
Dein, mane ſummo quando Lucifer fulget,
Aurora quando moeſta lumen extollit,
Fugit beati mille copias ruris;
Vacuumque lectum ruſticis ſuburbanis
Relinquit Ollus, villicisve concedit
Amoris expers et quietus ardorum,
Iocumque moechis ludicrumque ſe praebet.
Ibi illa bella prurientibus lumbis
Sedet parata, proſtituta, decocta,
Et hos et illos nuda baſiatores
Digitis petulcis, brachiisque complexa
Sinuve condit oſculisve demulcet.

Sic exoleto proſtat in lupanari
Triviisque venit turba conſtupratarum,
Contaminata, ſpurca, turpis, obſcena,
Aedes Suburae, intemperantiae fanum,
Inflata luxu, et impudentiae merces,
Quae nec petuntur nec rogantur invitae.
Sic tota tandem lux utrinque finitur:
Ille advocatum et actuarium quaerit,
Et codicillos quos tabellio ſignet;
Omnesque pervagatur angulos urbis,
Teſtesve ducit, iudicesve ſectatur.
Tandemque poſt tot curſitantis ambages,
Et hinc et inde ſpe metuque iactatus,
Nec iudicatâ lite rurſus abſcedit.
Tum veſperâ fulgente, cum redit noſter,
Centum procantes invenit ducentosve
Vel ruſticorum filios vel urbanos.
Et his miſellus, obſoletus, elumbis,
Tot impiorum narrat advocatorum
Exceptiones captionibus miſtas,
Nefanda iura, et execranda, perverſa;
Venire leges comparabiles auro:
Turpes cloacas eſſe dicit argenti,
Hirudinesque nummulariae perae,
Acres patronos divitum togatorum,
Et belluones maximos monetarum,

Verumque prodigalitatis exemplum,
Metas reorum, noxiúmque Sirenas,
Qui voce blandâ melleoque ſermone
Sontes morantur et morantur inſontes.
Haec indecoro vix profatur aſpectu,
Et criminatur, glorioſus, enormis:
Tandemque poſt tot verba ſemiconcocta,
Tot inſolentes Rhetorum cataphractas,
Paullum benignus et modeſtior vultu,
Testes citato, poſcit, eſſe dignentur.
Sic ad tribunal cum vocatur, aut litem,
Epiſtolisve invita dextra ſubſcribit,
Seu codicillis debitor requiratur,
Rationibusve commodet ſuas aures,
Teſtes ducentos ſemper Ollus adducit,
Turpes, nefandos, coniugis ſuae moechos;
Et hos pudicos eſſe dicit, ac caſtos,
Hos convocatos negat, et aere conductos,
Sed veritati ſponte iurat addictos,
Probos, fideles, liberos, ſui iuris.
Sed, o miſelle, falleris nimis certè.
Miſelle, nondum coniugis tuae noſti
Tot impudica furta, totque ſicoſos
Et hernioſos traduces tui lecti,
Qui mane dum tu Ius Forumque ſectaris,
Aedes procantur, dein procantur uxorem,

Illam ſceleſtam dein procantur uxorem,
Illam ſuperbam dein procantur uxorem;
Quae cum impudica et tota ſit venenata,
Teſtes pudicos eſſe quis tibi credat?

1656 NIC. HEINSIVS.

IN VERSIFICATOREM BRITANNVM

De Bello navali Belgas inter et Britannos.

Stratis compotem adoreae Britannis
Vt claſſem videt et dolet Batavam
Turbâ verſificator e minutâ,
Vlciſci cupit, et ſimul pudorem
Magnae dedecus expiare noxae
Coepit carminibus miſer ſoloecis,
Salſum ſe ratus oppido Poëtam;
Sic multum maledixit hoſtis hoſti.
Sciſne, o Barbare, quid tibi imprecemur
Pro tam ridiculae loco Camenae?
Miles ſis bonus, ut bonus Poëta es.

NIC. HEINSIVS.

In

PETRI FRANCII

Carmen Panegyricum ſuper Pace Britannicâ.

Quid Muſas Heliconio receſſu,
Surea quid iuvat evocare Cyrrhà
Phoebum, pectinis arbitrum, poëtae?
Par Phoeboque, ſororibusque Phoebi,
Alter pectora verſat, entheosque
Vatum ſollicitat Deus furores.
Celtam qui, tumidè ferocientem,
Pulſum limite fulminat Batavo;
Qui, frena, Oceano diu minantes,
Fausto Marte coërcuit Britannos;
Belgam deſide qui gravem veterno
Deſuetis cumulat bonus tropaeis;
Qui terrâ trahit et mari fugatos
Hoſtes quatuor unico triumpho;
Pacem qui fovet, et fovet poëtas,
Praeſentiſſimus omnium Deorum.
Vno quot bona computantur anno!
Quando fertilior reluxit aeſtas?
At vos Pegaſides, paterque Paean,

Parco pectora qui citatis oeſtro,
Veſtras, numina, res habete vobis.
Vates optimus, optimusque civis,
Vos iam Francius en valere iuſſit.
Hunc alter Deus occupavit omnem.
Numen Caſtaliâ cohorte maius
Noſtro victor Arauſius poëtae eſt.

NIC. HEINSIVS.

IN IOH. VOLLENHOVII

Conciones de excellentiâ hominis iuſti.

Qui mente Superos, mente ſcita diarum
Aeterna rerum volvis, aetheri adfixus,
Inhiasque vitam, qualis illa, quae praeſto eſt
Hac luce caſſis, inter ardua aſtrorum,
Numen ſonante, mox agenda cum cantu,
Cum gaudioque, quod doloris ignaram,
Nec cura adeſam, iuge ducet aetatem;
Quò Vollenhovî ſpectet, acer intende,
Vox entheata, quòque lingua te ducat,
Spiſſo ſupernae melle perpluens legis.
Hic ſe ille Chriſtus, qui piaculi noxam

Noſtri ſubivit, more victimae inſontis,
Atque imminente nos redemit a letho,
Fax veritatis, fons ſalutis humanae;
Hic ſe ille praeſtat en parabilem nobis,
Interpretisque voce regnat in tanti,
Ceu conſpicandus, ceu profatus haec coram.
Quae combibuntur affatim aure ſi fida,
Sub altum itura viſceris penetrale,
Senſu aeviternam iam praeoccupas ſedem
Fiduciaque; fata iam peregiſti
Ipſum ante fatum; parque terra vel coelo eſt.

NIC. HEINSIVS.

CARMEN ELICIVM
AD MEVRSII CRETAM.

Dic Creta, Creta, ecquando deſines tandem
Dare caſſa rebus verba, nosque fruſtrari,
Iam pollicendo ſat ſuperque ditatos?
Moremne ſemper obtinebis antiquum?
Cunas Tonantis et ſepulcra poſt rapti
Iactata falſo, tauriforme poſt monſtrum,
Poſt Daedaléae pervium aërem pennae,
Atque inferis Minoa iudicem adlectum,
Nos fabularum magna portio facti
Sumus heu tuarum! nos inane promiſſum,

Labyrinthi ut error flexuoſus, exercet,
Procraſtinatos et miſerrime ludit.
Proles Meletis cum vetuſta Smyrnaei,
Fons ille vatum, myſta proximus Phoebo,
Te criminetur arguatque mendacem,
Vt promereris; auctor haud minus verax,
Antiquitatis ecce promus adſertae,
Tibi eandem inurit Graevius notam noſter,
Par Creta Cretae Meurſiana Minoae.
Iam parce coepto, parce; totque cum larvis
Omnem apparatum tolle ludicrae ſcenae:
Oblita temet ut mei recorderis.

NIC. HEINSIVS.

IN ORATIONEM CAROLI DRELINCVRTII.

Priſci candidus aeſtimator aevi,
Drelincurtius ecce, quo docente
Coi dogmata vindicata civis
Haurit Palladis atrium Batavae:
Artem qui revocat, diu ſepultam.
Credas haec ſenis ora Pergameni:
Chironis, Podaliriique credas

Sume conſpicuam manum ſalubri.

Nam quid, Zoile, rodis immerentem?
Qui quicquid veteris celêbre chartae eſt,
Et Graiae ſimul et ſimul Latinae,
Prae te deſpicis arroganter uno;
Nec Coum legis, improbasque, civem.
Quin tecum decora orta litterarum,
Et tecum peritura gloriaris,
Iactas, Zoile, veriora veris:
Vindex ſed Nemeſis tibi timenda eſt,
Ne plus, quam cupias, ratum ſit omen.
Nam, tu putidulo protervus ore
Quam priſcis reverentiam magiſtris
Praeſtas, Zoile, minimamque tantam,
Hac te poſteritas remunerabit.

1680. NIC. HEINSIVS.

AD NIC. HEINSIVM.

Heinsi maxime, tota doctiorum
Quem, quod credere civis auſit, unum
Colit natio, publicâque voce
Regem non modò Principem, fatetur;
Quid Regem loquor? imo Apolline ipſo

Numen ſanctius adſtupens adorat:
Nos de ſorte noviſſimà, infimaeque
Pars plebis quotacunque, Civitatis
Pars tamen quotacunque litteratae,
Qui ſacrum hoc propiùs videre poſſe
Pectus, pectoris entheasque vires,
Orbis quas ſibi totus arrogavit,
Voti in parte potiſſimâ putamus,
Iſtas deferimus tibi tabellas,
Audaces, fateor, nimis tabellas,
Et voti immodicas et arrogantes;
Quae, quà fata trahantque retrahantque,
Secum nomina veſtra dedicatis
Vellent ferre referre poſſe chartis,
Et iam candidulam notam favoris,
Servandam memori notam libello,
Inferri ſibi teſſeramque poſcunt.
Adſis ò facilis, precantibusque
Te, Vatum Pater, ò benigniorem
Indulge, precor, atque luculento
Hoc nos munere liberalis orna;
Quod rite et veneranter aeſtimantes,
Quantum quis bene munus aeſtimare
Tam lautum queat atque luculentum,
Hoc in mnemoſyno remotiores
Olim te veneremur et colamus,

Plebis pars quotacunque doctiorum
Principem ſimul et ſimul Parentem.

1679. ISACVS TREVGHORN
Dantiscanus.

N I C. H E I N S I O

Principis Etruriae Magni Natalem canenti.

Lesboum libeat tendere barbiton,
Et carmen lyricis ſolvere nexibus;
Vt te non dubio Calliopes canam,
Heinſi culte, periculo:
Nimirum, volucres indocilis tui
Pennas ingenii greſſibus inſequi,
Antaeo p[illegible], praecipitem timet
Natum reddere Daedali.
Neſcit non vacui margine Telephum
Caſmeis teretem ſcribere lineis:
Aetnaei calidis aſpera malleis
Neſcit iugera ſideris:

Ignorat, Stygio qualis in aggere
Vmbras criminibus torqueat Aeacus
Nigrantes; refugit, quas iacit arduo
Ornos cespite Monychus.
Furtivae rutilum pelliculae nequit
Alcaeis pretium dicere verſibus,
Atreasque dapes, ſanguine luridas,
Sicco viſere lumine.
Et doctis Elegos carminibus tuos
Implumis cupiat per liquidum ſequi?
Sublimis properet, lapſus ut altior
Audaces teneat gradus.
Eſſet Maeonii gloria pectinis
Muſarum modulos tollere Principum:
Non metam tenuis Calliope poteſt
Parcis tangere laudibus.
Quis Regale mei principium Ducis
Tollentem cerneret? lumine fulgura
Non fixo dabitur viſere Delii,
Excaecantis temerarios:
Extenſas igitur obſequio mei
Pennas ingenui plumbeus ingeni
Ex aſtris revoco, ne ſaciam cadens
Tuſco nomina flumini.

BENCIVENNIVS CEFFINIVS.

DE
IOAN. IENSIO.

Politiorum mater, Haga, civium,
Mater Secundi, cuius ore ab aureo,
Tecum peperit Litteratorum chorus,
Politioris omnis elegantiae
Ignara, quantum, mater, ah quantum tue
Tu perdidiſti de ſapore Muſico;
Quae pro Secundis, Grotiisque, et Heinſiis,
Pro Patre Douſâ, proque Douſa Filio,
Audis canentem Ienſium; et vati malo
Applaudis, atque adſurgis, ut vati bono;
Vlulasque turpes, anſeresque garrulos,
Foedum ſtrepentes anſeres, cycnos putes!
O te beatam, terque felicem et quater!
O invidendis praedicandam verſibus!
Quod ſi Secundus viveret, vatum decus,
Decus Batavi nominis, decus tuum;
Dolore iuſto, nobili faſtidio,
A te vocari nollet et dici tuus;
Quin Hagienſis ilico vocabulum,
Primâ diſertus fronte quod praefert liber,

Deleret, irâ plenas, atque induceret;
Quodque ante laudi, gloriaeque non levi
Sibi putarat, turpe crederet ſibi,
Tuoque natum ſe negaret e ſinu.

1697. PETR. FRANCIVS.

IN VIPERAM AMSTELODAMENSEM.

Quid indecentis impetum bilis moves,
Amare Cenſor, turgidum invidiâ caput,
Politiorum turpe dedecus virûm?
Quid immerentis ſenſii laceras chelyn,
Dum ſacra Pacis ore dulciſono canit?
Quod Haga tantum crimen obtruſit tibi,
Vt tanquam humandae naeniam triſtem pares?
Abi, proterve, tympanum truculentiae,
Maligne tortor emicantis ingeni.
Non ſic Secundus ille, melleo fluens
Totus lepore, tempore hoc ſi viveret,
Novum poëtam premeret horrido ſtylo;
Non ſic aconita tenderet Lauri loco;
Sed excitaret eruditi pectoris
Flammas decoras, nobileſque ſpiritus,
Leni flabello ad altiora promovens:

At impium te ruſticumque exploderet,
Et obſtrepentem cantibus citharae Midam.
Redi, profane, teque poſthac applica
Generoſiori, ſi potes, modeſtiae;
Noli minari ſibilis linguae trucis:
Hagana tundit Viperas Ciconia.

ANONYMVS.

IN CICONIAM HAGANAM.

Hagana mandit Viperas Ciconia.
Verum eſt. Veneno turget, atque iſtâ dape
Avidam ac capacem ſaturat ingluviem ſuam,
Dum Ienſiano carmine, et vatis mali,
Omni veneno peſtilentioribus,
Se paſcit iſta verſibus Ciconia;
Bonosque piſces, atque carnes optimas,
Et delicatae quicquid eſt usquam dapis,
Faſtidit iſtis cuncta prae cupediis.
Mirare? quivis indolem ſequitur ſuam:
Coeno lutoque ſordidi gaudent ſues;
Gaudet palude rana, gallus ſtercore;
Hagana mandit Viperas Ciconia.

PETR. FRANCIVS.

IN CICONIAM HAGANAM.

Se cum cicutis Viperisque proelia
Miſcere, Hagana iactitat Ciconia,
Et virulentis pugnat Ibis Viperis,
Iſtoque ventrem paſcit, ac replet cibo.
Quem te eſſe credam, quemve te dicam, precor,
Hagienſis ales; Ibin an Ciconiam?
Profare tandem: quicquid eſſe vis, eris;
Sive Ibis eſſe, ſeu velis Ciconia:
Mihi perinde eſt, hoc an illud te vocem;
Nam quicquid eſſe dixero te, beſtia es.
Hagana ſeu tu, quisquis es, Ciconia,
Animoſe victor Viperarum et anguium,
Anguis biſulce, Viperis nocentior,
Verum tuumque noſſe ſi nomen cupis,
Dicêre poſthac Ibis, haud Ciconia.

PETR. FRANCIVS.

HYMNVS
AD IANVM BROVKHVSIVM.

Rutgere, ſeu iam mavelis Broukhuſius
Iterum vocari, ſive, quod nolim, neges
Tantos adhuc tuo triumphos Nomini.
Mihi tamen iam Ianus es Broukhuſius,
Ille Imperatorum, ille ſummus militum,
Ille omnium deruncinator, Vmbria,
Aut craſſa quos nuper tulit Boeotia,
Homines agreſtes, oblatrare turpiter
Auſos Gigantis maximi Fraterculo.
Tu, Iane, ſolus es, Dei quem diligant.
Te diligunt prae caeteris Mars et Venus,
Bellona te nutrivit in ſinu ſuo
Ipſa, et tenellum pectus imbuit tibi
Omni veneno Tartari atque Erinnyum,
Apotheca novit quo nihil funeſtius,
Quo dirius miſcere nullum Barbari
Potuere quondam, quo ſagittas ſpargerent
Vdas in hoſtes. Ergo tali turgidus
Mox peſte, contra quoslibet iam ſtrenue
Pugnas veneno glorioſus miſſili,
Quo tincta largo tela dudum ſunt tua:

Diffläsque peſtilentis oris ſpiritu
Solo integras Ciconiarum copias
Polonicosque Viperarum ſibilos.
O quam venuſtè olim tuorum virus hoc
Proluſit in Certaminum promulſide,
Turdum cacantem quum dares turpem in fugam,
Nil veritus ipſos tunc, potentes milvios;
Aſt ille mox cacare deſiit tibi
Sapiens, et ultro venit, ut, quae ſenſerat,
Supplex adoraret tui oris ſpicula.
Dein, quum decſſent perduelles iam tibi,
Quos halitu afflatos tuo mox perderes
Vsque ex cubiculo et Nigellinae ſinu;
Petrulli in hoſtes arma vertiſti ferox,
Quicunque tandem ſint, Achivi ſeu Phryges:
Perinde id eſt, modo opem laboranti feras.
Hac gratiâ deverberasti usque ad necem
Episcopalem illum Vacerram ſaepius,
Qui nunc iacens inclamat omnes obvios;
Discant timere Rhythmicam Potentiam
(Niſi Esquilinas paſcere alites velint)
Iani Gigantis, et illius Fraterculum.
Sic hoſtibus das, ſic beare illos ſoles,
Fortiſſime Heros, Imperator unice,
Achille maior longe, et alter Hercules.
En aliud ex alio decus capiti tuo.

Faventium Petrullus oderat male,
Adjuncto amicum. Nec mora: id cauſae ſatis:
Nil plane opinanti recens ſupervenis
Magno paratu, et illico omnes explicas
Late phalanges, et venenorum agmina,
Quae Cerberi ipſis hauſeras ex faucibus,
Vetulaeque dirâ ex officina Colchidis.
Haec, copioſe excepta toto gutture,
Siticuloſo ſemper iſtiusmodi
Cupediarum, et felle proprio inſuper
Adaucta multum, pariter aliis partibus
Cuncta in miſellum ex ore viroſo evomis:
Hominemque tabo et peste, nativâ tibi,
Sic undique opples, ſe movere ut vix queat.
Inſtas tamen quieto et inſultas probè,
Truces ut urſi, ut pertinax ſolet lupus.
Io triumphe! quantus ille, quantus eſt
Bellator! omnes, ſane, ſic plaudant tibi.
At neutiquam contentus hiſce plauſibus,
Pertendis ultra et, ſenſum tantae facis
Acceſſionem laureae; ne te licet
Mali merentem nil, ſceleſtum ſed ſatis,
Contra Petrullum quod tueri ſe auſus eſt:
Immane crimen, nec piandum pluribus
Poenis! ſed et moratus aut parcens nihil,
Totam eius, ex herbâ exeuntem iam bene,

Meſſem, ipſo in ortu prorſus oppreſſam, obruis
Succo affluente noxiae loliginis.
Neque interim, Fortiſſime, Acrem deſinis
Laceſſere Accinctum, angue peius et cane
Inviſum et exſecrabilem Fraterculo.
Et ille ſubpalparier ſtultus tamen
Tibi volebat nuper, et te avellere
Abs te altero, ſed blandientem tabidis
Contra petisti Tu ſubinde dentibus
Petrulliani ob noxiam Certaminis.
Nec ſic abibit; namque multis morſibus
Vexatum identidem enecabis denique,
Marsâve coges naeniâ ad ſuſpendium.
O Te beatum! quem manent tot gaudia
Teterrimorumque ultiones hoſtium;
Quem tot Coronae, tot Tropaea different
Totam per Orbis huius amplitudinem.
At tu peractis, Iane, tot ſtipendiis,
Victoriarum gloriaeque tunc tibi
Partum ſatis tandem ſuperque exiſtima.
Quin Patriae te impende tunc potiſſimum,
Et per Suburanas puellas dividens
Florem Gigantei venuſtum roboris,
Imple tenellas bellicoſo ſemine.
Sic Imperatores meros Patriae dabis,
Meros Gigantes, celſa coeli ſidera

Qui vertice aequent, et ſolum pulſent pede,
Vivantque per centena cuncti ſaecula.

BENEDICTVS AMEN.

IN IANVM.

Famoſa ſpargit ſaepe Ianus carmina,
Turbat quietos, ingerit convicia,
Totumque miſcet Eruditorum ordinem
Rixis, vocatus quis Apollo ſe negat,
Et quos atroci confodere nequit ſtylo,
Terret machaerâ, ne reponant par pari.
Praeclara praeſtat Ianus, et plus Zoilo.

L. PAPIRIVS CARBO.

AD LEIDENSEM VERSIFICATOREM.

Quid concitas ſaevum, Perizoni, Stygaꝫ
Quid omne Tartari venenum colligis,
Miſelle vates, ſaeculi ludibrium?
Quid Francianam, dire, conſpuis chelyn,
Et peſtilenti ſpiritu inquinas ſtylum?
Haud iſte mos viris honeſtis congruens:
Latrare ſic rabidum moloſſum, novimus.
Non Francii famam atterunt convitia,
Sed evehunt ſublimiùs; licet, altiùs
Quò poſſit eniti, vovere vix queat.
Nam, caeteras quantùm volúcres praeterit
Miniſter ingens fulminantis numinis;
Tantùm venuſto Francius ſcatens ſale
Poſt ſe relinquit ſtridulos vatum choros.
Quin turpibus iam parce contumeliis;
Et, quam novem dedêre dudum Virgines,
Concede Francio decentem lauream.
Nodum licebit quaerere in ſcirpo tibi,
Quantúmque vis, nugas agere Babylonicas.

ANONYMUS.

PETRO BVRMANNO,

PRAECEPTORI QVONDAM MEO.

Iam paene deſuetam en iterum chelyn
Pulſant Batavae Pierides, Petre
Burmanne, Romanaeque raucâ
Voce ſonos imitantur Artis;
Notos tuo olim Balthaſari ſonos,
Quando mihi Fortuna ſerenior
Nondum invideret, te magiſtro
Poſſe frui, et veneranda vatis
Audire praecepta. at miſero ſitu
Iam vena ſqualet, verba nec invenit
Labore quantumvis moleſto,
Apta modis pedibusque, verſus.
O grande quondam praeſidium et decus
Rerum mearum! o cui licet abditos
Adire Parnaſſi receſſus!
Quique Heliconiadas furenti
Oeſtro ſorores, dum canis, incitas,
Horatianam tendere barbiton
Seu te iuvat, Naſonianis
Sive elegis libet ore moeſto
Dolere ſortis continuas vices,

Truces et iras innocuum in caput,
Mortalium et perverſa corda,
Immeritique odii furorem.
Eheu! dolet, ſemperque madentibus
Triſtis dolebit luminibus tuum
Camena diſceſſum, beatam
Quum peteres properante Leidam
Gradu coactus. tempore nam ex eo
Repreſſit ora, haud auſa ſacri iugum
Adire montis, quà novenas
Inter Apollo ſedet ſorores,
Mulcetque blandis aëra vocibus;
Quò concitato voce tuâ mihi
Monente dedignatus haud es,
Petre, notare viam. beatâ
Non tiro quivis forte poteſt potens
Vti magiſtro tam célebri et bono,
Artem cuï primis ab annis
Numina, quodque ſuam, dedérunt.
Quamvis at artem perdidit ipſam, eò
Oblivioni non tamen artium
Omnem negatarum altae amorem
Tradidit. hic mediis medullis
Infixus haeret, quôque poteſt modo,
Flens Muſa clauſas in Latium ſibi
Vias, ſibi luctûs levamen

Immeriti patriis in agris
Quaeſivit, et ſolatia taedii.
Quid dico, in agris? Hei mihi! tam bono
Orbata praeceptore, Muſa
Atque humilem bene et inſtitutam
Reliquit, audax ah nimiùm! viam,
Suisque demens, vanus uti Icarus,
Pennisque cònfidens et arte,
Aſtra petit, ruitura forſan.
In quà poëtae ſaepius optimi
Sudâre arenâ, debilis hanc ego
Oblitus intravi mearum
Virium, Apollineum favorem
Expertus olim te duce; non tamen
Periculoſae pleno operi aleae
Satis paratus, quò poëtae
Triſte queam furioſi inultus
Ridere fatum. At vos, bona numina,
Culmen bifrontis quae colitis iugi,
Amore quae corda incitaſtis
Noſtra pio, veneranda, rerum
Poëticarum! (namque fatebor, ut
Inſaniens hoc Invidia audiat.)
Faviſtis indigno, negaſtis
Auxilium, nec amica carmen
Tantum inchoanti. Hoc, hoc etenim mihi

Mille audientum noſcere candidi
Dedêre plauſus, et benignum
Iudicium populi, irruentis
Magnum in Theatrum. Favit, at inſcius
Artis, popellus, favit, et extero
Nitore captus, ſaepe omiſſam
Non oculos tulit inde in artem.
At temperavit hoc, mea forte ne
Nimis tumeret facta ſuperba mens
Applauſu amoeno, Apollinaris
Iudicium venerandum amici.
Hic nempe noſcens Iura Tragoediae, et
Leges Theatri, quà male liquerim
Monſtravit Artem, quaque Gallûm
Abnuerim documenta Vatum.
Nam qui ſonantem cunque Tragoediam
Molitur, iſtam Vatibus a tuis
Ediſcat artem, Terra Phoebo,
Terra novenae adamata turbae!
Legat Racini carmina, perlegat
Corneliorum dia poëmata,
Si quis Sophocleo cothurno
Digna cupit facere, et Theatrum
Sibi obligare grandiloquis ſonis.
Euripiden illi, et Sophoclem, gravi
Praetervolantes carmine, aſtra

Inſolito petiêre calle;
Dignum ſequentes quicquid erat ſequi,
At ſaeculo noſtro apta parum, gravi
Et mente mutantes et arte,
Conſilio meliore ſiſi.
Natura cunctis rebus inest ſua.
Natura terris omnibus eſt ſua.
Laudâre maiores, recentes
Quae fugimus: neque Apollinaris
Sat vidit hoc mens Vondelii ſagax.
Qui, quum reliquit poſt ſua tergora
Vates Batavos atque Gallos,
At fuit arte rudis Theatri.
Id nempe, id unum grandiloquo viro
Dêerat, Therapnaei invidiâ Dei,
Ne cogeretur debitorum
Participem tolerare honorum
Vatem Batavum. At tu, Latiis modis
Aeque potens, quam Vondelius ſuis,
Burmanne, dilectum Poëtis
O caput! o columen labantis
Latinitatis! ſi quid Apollini
Gratum, Latino carmine, ſcripſerim;
Expertus unquam ſi favorem
Caſtalidum fuerim ſororum;
Omne hoc, fatebor, muneris eſt tui,

Dulcis poëta! muneris eſt tui,
Poëticae me Artis ſacratas
Non penitùs violaſſe leges.
Naſci poëtam quem voluit deus,
Linguis poëta eſt omnibus. Hinc tua
Iuvêre me praecepta ſemper,
Seu patrium, Latiumve vellem
Feciſſe carmen. Hinc, poſitae mihi,
Semper canenti profúerunt tuae
Leges. Magiſter ſic ſequentes
Diſcipulos rapit in furorem,
Artisque reddit participes ſuae.
Hoc, ſi quid artis eſt mihi, numina
Debere me totum tuis hoc
Carminibus voluêre, Petre.
Marti atque Phoebo Broukhuſius iacet
Dilectus, et cum Broukhuſio, patri
Carus meo, carusque Phoebo,
Francius, Aonidum venuſtus
Ductor choréae. Broukhuſio tuo
Par, Francioque, ſolus ades mihi,
Burmanne, cunctorum inſtar unus,
Atque Novenſilium ſororum
Iucunde princeps! Ille patris mei
Et ille amicus, dúcere in arduum
Vterque Pindum me audientem

Debuerat per acuta ſaxa.
Invidit, eheu! hoc Lacheſis mihi;
Illumque et illum ſuſtulit in domum
Altam deorum, quando primo
Vix tererem pede limen infans,
Muſis ſacrati dulcibus, hortuli.
Vterque ſomno perpetuo iacet,
Iacetque vitae dulcis auctor
Ipſe meae, et iuvenem reliquit,
Nondum ſat aptum, Phoebe, laboribus,
Muſaeque, veſtris. At, Petre, tu mihi
Relictus es divûm iuvante
Solus amicitià magiſter.
Et huius illos (credere quis queat?)
Deos favoris denique taeduit!
Tantique privarunt feroces
Alloquio miſerum magiſtri.
At tu malorum ne numerum, precor,
Damno meorum accumules novo,
Tibique miſſas non iniquis
Perlege luminibus Camenas.
Et, ſi quid auri diſpliceat tuae,
Bene eruditae, nunquam ego non tuis,
Quamvis remotus, gloriabor,
Docte vir, auſpiciis doceri.

BALTH. HVYDECOPER.

IN NAVIGATIONEM.

Beatus ille, qui tenetur Artibus
In Continente ruſticis,
Et Muſicis, quae caeteras honoribus
Iuſtâque tantò gloriâ
Vincunt, leones mole praeſtant Africi
Quantò capellis parvulis;
Vel rebus illis omnibus, quîs patrio
Quietiores utimur
Sive oppido, ſeu rure, quo mortalibus
Nil eſſe gratius poteſt.
At ille contrà, fluctibus qui Nerei
Tumultuoſi obnoxius
Semper laborat pallidâ formidine,
Metuque ſemper aequora
Scopuloſa findit concitato pectore,
Nulloque gratam tempore
Parat quietem, cum quietem turbidus
Tamen requirat undique;
Vexatur ille ſorte iniquâ, et omnibus
Eſt natus iratis deis.

Coelo ſereno, pontus absque murmure
Invitat effuſus vagos
Nautas paternos ad relinquendum lares;
Repentè tollunt ancoras,
Dicuntque decreſcentibus vale ultimum
Laeti paternis moenibus.
At, nil videntes deinde praeter aequora,
(Nam ripa fruſtra poſcitur.)
Coelumque nigris involutum nubibus,
Ventis ſimul pugnantibus,
Et aequore ingentes ad alta ſpumeo
Volvente fluctus litora;
Tunc, tunc feroci ſentiunt praecordia
Timore contremiſcere,
Et, voce fractâ congementes, iam pii,
Deos malignos invocant;
Post terga nequicquam paterna moenia
Secura lacrimantibus
Quaerunt ocellis; at, carentes patriae
Tam dulcis aſpectu, ſimul,
Simul dolentes heu! citam exoptant necem;
Ne mille poſt pericula,
Poſt mille caſus, et dolenda incommoda,
Moerore victi, millies
Crudeliori morte vincantur ſimul,
Quam iure certam iam putant.

O iure deteſtata navigantium
Fortuna! ſorsque mobilis!
Quae ſaepè, tanquam praemium digniſſimum,
Cultoribus tradis tuis
Vitae dolendum flentibus finem ſuae!
Mortalium tot millia
Quae ſaepè, iniqua, fluctibus furentibus
Submergis unico die,
Qui iam tot annos crebra per pericula
Vitam anxiè ſervaverant!
Quae ſaepè, denſam dum venuſto lumine
Noctem fugat Pallantias,
Coelum rubore pulcra tingens igneo,
Amica ſubrides tuis
Clientibus, favore ſed volubili:
Nam, cum, peracto tramite,
Submergit undis Sol quadrigas óccidens;
Tunc univerſum nubibus
Coelum maligna contegis ſquallentibus,
Subitóque ventos liberas
Infida tardâ nubiloſos compede,
Et inter illos ſemina
Diffundis atrae turbidos diſcordiae;
Bellumque lacrimabile
Gerunt furentes hi repentè viribus,
Pugnare quîs nemo poteſt;

Tolluntque ab imo fluctuoſas gurgite
 Vndas ad alta ſidera,
Quae, ſaepè clara, ſed, nigris iam nubibus
 Obtecta, navigantibus
Praebere nulla luce poſſunt igneâ
 Clamantibus ſolatia.
Iam navis errat, et quietem concitas
 Vndas inaniter rogat,
Stridore venti turbulentae quae fero
 Et huc et illuc debilem
Iactant, amicâ iam carentem ſpe, ratem;
 Donec carinam fortior
Ventus minacibus caducam cautibus
 Impingat, et det naufragam.
O parvi inexpugnabiles vires lucri!
 Quae mentis altae lumina,
Tam ſaepè cauſſâ fraudulentâ commodi,
 Coecant truces mortalium!
Periculoſa quàm potens pecunia!
 Doloſa mortales lucri
Spe ſaepè, nunquam fructuoſâ, ad ultimas
 Agit columnas Herculis.
Crudelis o fortuna navigantium!
 Ventis vel inconſtantior!
Et quae ſecantes vaſta ſaepè coerula
 Servat maligna tam diu,

Deïnde ut illos fluctibus cunctos ſimul
    Submergat aeſtuantibus,
Caram videntes eminus iam Patriam,
    Quam non reviſent poſtea.
Nautae ſed illi, talibus ſaepiſſime
    Exterriti olim cladibus,
Fractam dolentes imminentibus ratem
    Saxis et infenſo mari;
Fruſtra protervis liberorum brachiis,
    Cladem patris qui neſciunt,
Optant foveri: coniugis fruſtra ſuae
    Dilecta quisque nomina
Clamat ſub undis: ſed animam tradunt necî,
    Pelagoque corpus pallidum;
Fruſtra pudicae quisque ſperat oscula,
    Vt ante, blanda figere;
Saevos mariti quae labores neſciens,
    Quieta fictas fabulas
Proli tenellae narrat, ut ſine lacrymis
    Sopore vincatur levi.
Mutâre gelidis at mariti fluctibus
    Connubialem lectulum;
Semperque miſeros hos marinus Iupiter
    Verſabit undis refluis;
Qui, cum dolenda piſcibus cadavera
    Monſtrisque grati ſunt cibi,

Vsque ad tremendam conſidebunt marginem,
Novitiique Porthmea
Horrent ferocem, nec trientem poſſident,
Quem portitori porrigant.
O laude quàvis digna Navigatio!
Et impedita triſtibus
O vita nunquam Navitarum caſibus,
Afflicta non unquam metu!
Hanc eſſe Navigantium quis propriam
Imaginem vitae neget,
Cum nos diebus uſus hoc ferè omnibus
Horrendus exemplis docet?
I nunc, et alto concitata pectore
Seca caduca marmora
Navi, viasque fortiter tenta maris,
Quemcumque vitae taeduit.

BALTH. HVYDECOPER.

LAVDES VITAE RVSTICAE.

Felix at ille, rura qui laetus ſuis
Scindit iuvencis patria,
Pecusque tantum, agrosque curat, et ſibi
Victum labore ſedulo
Quaerit, nec unquam vellet arva ruſticus
Laborioſa linquere,
Pecunioſus pòſt in urbe ut viveret
Clamoſâ, et usque triſtibus
Praeſentibusque exterritâ periculis;
Quin imo mallet patrium
Brevi tenêre rus quietus tempore,
Vitamque in agro ponere,
Quam fluctuoſum diſſecare turbidus
Fretum carinâ debili;
Fortuna quamvis ipſa molem pineam
Se liberaturam levem
Ventisque certò fluctibusque dixerat,
Minacibusque cautibus,
Iterque recturam ſpoponderat ſine
Vllo ratis periculo,
Arcam vel ipſa, adhuc inanem, ligneam
Nummis repleturam aureis,

Et, praeter iſta cuncta, vitae tempora
    Praedixerat longiſſima.
Ille, ille ſolus inſequenti dignus eſt
    Livore, nec mutabilis
Duras tremiſcit Sortis anxius vices;
    Semper tenaci pectore
Sortemque temnit, atque rite numina
    Colit quietus provida:
Ille, ille verè vivit, et potentibus
    Eſt usque proximus Deis.
Vix Phoebus effert fluctibus novum iubar,
    Stellis fugatis undique,
Cum ſtrata ruſtici relinquit ſedulus
    Tori colonus, et pius
Laetusque ſemper debitum munus facit;
    Sive inſerit gnavus pyros;
Vites reponit ſeu novellas ordine,
    Hortumque curans parvulum
Manu ſagaci fructibus terreſtribus
    Exornat apto tempore;
Seu vere primo, gleba cum Favonio
    Molli reſolvit ſe putris,
Depreſſo aratro taurus ingemiſcere
    Per arva cogitur, novo
Attritus et ſplendere ſulco ferreus
    Vomer, cupita ruſtici

Votis avari ut dein ſeges reſpondeat,
Rumpantque meſſes horrea;
Seu falce ramos arborum curvâ amputat,
Summis adhaerens frondibus,
Raucâque voce mite ad apta carmina
Genus volucrum provocans.
Semper quietus ducit ille tempora,
Amatque ſolitudinem;
Vt lacrimis, votisque blandis et piis
Laetos ſibi reddat Deos,
Et usque amico Dî favore ſedulos
Beent labores providi.
Non horret ille Sortis inconſtantiam,
Supplex ſed obſecrat Deos,
Vt largus agros imber arentes iuvet,
Agrosque rurſus mulceat
Clarâ, madentes imbre, Phoebus lampade.
Sed ruſticorum maxima
Dos eſt, quod usque liberam rodentibus
Vitam timoribus trahunt;
Nec crebra ſemper pertimeſcunt funera,
Nec luctuoſa incendia;
Vitae repente nec timent tonitrua,
Permixta torto fulmine,
Ventique reddunt cum trementes navitas,
Vagosque fluctus excitant,

Coeli fragorem diſſonumque procreant,
Pelagoque tandem ſub truci
Cum puppe mergunt navitas, et proruunt
Turres et urbes maximas.
Nempe alta regum tecta fulmen percutit,
Caſaeque parcit ruſtici.
Inane tutis ſcindit alis Daedalus,
Cadit ſuperbus Icarus,
Phaëthonque ad alta cum volaret ſidera,
Ruit Tonantis fulmine.
Quicunque ſeſe tollit ipſe, labitur,
Humilisque in altum tollitur.
Vbique quando ſaeva tempeſtas furit,
Nec arva per ridentia
Sinit colonos candidas laetos oves
Oriente ſole ducere;
Tunc acuit obtuſi quietus vomeris
Dentes arator, arbore
Cavatve lintres, aut gregi ſignum imprimit,
Bifidasve furcas inſtruit,
Quis deinde laetos alligabit pampinos,
Semper quieto pectore;
Laborioſi dum labores concinens
Vxor mariti mitigat,
Telasque percurrit ſonoro pectine.
At, cum ſereno lumine

Coeloque claro ſol vHentes aſpicit
Campos, et arvum fertile;
Effringit ille cespites inutiles,
Rurſusque in obliquum ſagax
Perrumpit arva nuda verſo vomere,
Nec ſolis evitat iubar,
Vt laeta adornet copioſis horrea
Benigna meſſibus Dea,
Viros aratro prima quae convertere
Inſtruxit inſcios humum.
At o benigna ruſticorum tempora!
O vita certè amabilis!
Cum laeta paſtores tenellulas oves
Per arva ducunt, et gregem
Primo lavatum mâne per virides agros
Agunt ad undas vitreas!
Dum paſtor ipſe, grata mentis otia
Sub fronde captans arduâ,
Laetas capellas, laetus ipſe, recreat;
Dum cantilenâ amabili
Permulcet undas, atque campum, et aëra,
Sylvamque reddit vividam,
Vt grata pronis concinenti frondibus
Iuſtas rependat gratias.
Si quis quietus ſemitam vitae velit
Vsque ambulare, et horrida

Vitare ſaevûm murmura armorum, petat
Hic arva, et aulam deſerat.
Quid o, quid ardes inquieto, Zoile,
Livore, lethali, malo,
Cum fata Regum, fortiumque Principum
Nigro volutas pectore?
Populos gubernant, Iura ſcribunt gentibus,
Nutuque terrent unico
Cunctos; columnis tecta ſtant eburneis
Suffulta, ſub quîs tramitem
Vitae caducae ſceptra vibrantes eunt;
Spirant Sabaeum regiae
Dapes odorem; Nectaris minimam levant
Sitim liquore nobilis;
Et plurimi immortalitati ſe dicant
Virtute Reges bellicâ;
Claroque adepti fortioris nomine,
Diffuſa materies ſtatim
Fiunt cothurnatis ubique Vatibus,
Totum per orbem cogniti.
Comitata curis omnia haec ſunt gaudia
Tamen ſeverioribus;
Stygiique raro regna Regis horrida
Adeunt libenter Principes.
Quis facta neſcit Regis Aemathii, cui
Non unus Orbis ſufficit?

Quis huic, quis unquam comparem ſe praeſtitit
Heroas inter maximos,
Generoſa virtus quos per alta ſidera
Coelo locavit arduo?
Orbem domavit ille totum, et gentibus
Rex imperavit efferis:
Sed pòſt venenum fortis ille fortium
Rex imbibit, et animam miſer
Poſt tanta facta ponit. En, quem millia
Potuere nunquam militum
Virtute et armis luctuoſis vincere,
Iam perdit hauſtus unicus!
Livore dignum quis Polycraten putat,
Superbus ipſam quamlibet
Sortem ſubactam crederet ſibi vagam,
Dum damna nunquam fecerat?
Nimiaeque quem felicitatis taeduit,
Fugêre quem pericula;
Et damna, damna dum vel ipſe quaereret?
Quid multa? feliciſſimum
Se nuncupabat omnium mortalium.
Livore dignum non putas?
Certè videtur: ſed, precor, dic, dic mihi,
Livore nonne dignior
Fuit ſuperbus ille Rex, ab hoſtibus
Captus potentioribus,

Crucique fixus, morte feliciſſimam
Vitam nefandâ finiens?
O ſortis inconſtantiam mortalium?
Dies miſellis ſcilicet
Eſt ſemper exſpectanda nobis ultima,
Et ante vitae terminum
Nemo beatus iure nominabitur!
Vt tradidit Croeſo Solon.
Verâ quiete ſed fruuntur ruſtici
Timore ſemper liberi,
Ne quis ſceleſtus, qui Potentiam appetit,
Tingat rubenti ſanguine
Dextram nefandam. Donec ignotus Paris
Oves agebat, Ilii
Vrbis paternae neſcius, ſuaviſſimam
Vitam trahebat, ſed deïn
Iudex Dearum factus, et pulcherrimâ
Helenâ potitus, Patriam
Priamumque cognoſcens, genusque regium,
Repentè de faſtigio
Felicitatis in profundum proruit
Damni, malorumque omnium.
Manſiſſet o ſi ſortis inſcius ſuae,
Non Hector infelix equis
Diſtractus eſſet; non miſer Pyrrhi manu
Cecidiſſet ante aras ſenex;

Non ſic Pelasgis diruta esſent Pergama!
Tanta heu! malorum regiam
Series poteſtatem ſequitur, inconditus
Quae ruſticus nunquam timet.
Hoc ſentiebas, Imperator, tu quoque,
Qui perfido olim Valerio,
Qui tecum habenas gentium reliquerat,
Rogatus ut iterum, prius
Contempta, velles occupare filii
Sceptra, huncque regno pellere;
Dormire acutis nolo rurſus vepribus,
Sic fatus eſſe diceris,
Captare poſſum cum quietus otia
Hic inter halantes roſas.
Hoc ſentiebat fortiori Flavius
Ab hoſte qui pulſus throno,
Tamen ſupremo Numini pòſt maximas
Crebrò rependit gratias,
Quod liberatus imperando, et plurimis
Periculis, traduceret
Vitam quietam liberamque, nec manus
Rurſus timeret hoſtium.
Aliique pauci praetulere ſic throno
Vitam quietam regio;
Et inter illos Carolus, qui plurima
Poſt bella, poſt victorias

Multasque maximasque, habenas Imperî
    Reliquit, ut vitae ſuae
Summam quietus conficeret, et caetera
    Deo ſacraret tempora.
At, ruſticorum turba, qui, lepidum gregem,
    Inter capellas, omnibus
His ſempiternis liberi periculis,
    Vitam quietam ducitis,
Illamque laeti initis et deponitis;
    Livoris usque dentibus
Vos, ô beati! vos meretis appeti.
    Coelo ipſe Phoebus exulans,
Irâ Tonantis, regis Admeti boves
    Paviſſe fertur, et gravi
Sic quaeſiisſe vulneri ſolatia.
    Animasque narrantur Dei
Ipſi beatas atque iuſtas ducere
    Vireta per florentia;
Captare et illic, praemium quod maximum,
    Aeterna Iuſti gaudia.

1711. BALTH. HUYDECOPER.

IN GEORGIVM BRITANNIARVM REGEM.

Deſcende coelo, Calliope, et melos
Latè ſonanti praecipe tibiâ,
Quod ad Georgî Regis aures
Exeat, et iuvet audientem!
Meque inſolentem promeritis doce
Nubes per altas tollere honoribus
Fortemque dextram, candidique
Pectoris, ingeniique vires.
Hic nempe Rex eſt, inviolabile
Cui providorum conſilium Deûm,
In Patriae noſtrae ſalutem,
Sceptra dat et diadema ſoli
Regni Anglicani: Diſiice, diſiice
Virtute turbas fortiter hoſtium, ut
Britanniam per univerſam
Pax vigeat, Duce te, Fidesque;
Et deſtitutus peior ab omnibus
Labantis heres imperii manum
Tandem triumphantem miſellus
Effugiat, velut agna magnum
Mollis leonem. Grata Diespiter
Diſſentienti concilio Deûm

Effatus, inſidos fugavit,
Datque piis meritos honores.
Si peierati flebile dirigunt
Regnum miniſtri, nec manibus tenent
Sceptrum, ſed ipſos fraudulenti
Sceptrigerorum animos gubernant.
Non dormiendum eſt. Vivimus, ardui
Cives Olympi: quin vigilemus, et
Periculoſas diſſipemus
Inſidias, et iniqua bella.
Ergo Inferorum continuò minas
Malasque fraudes ſic tolerabimus
Lenes, inuiti? nec doloſo
Iuſta movebimus arma fratri?
Quid nos poteſtas a domino iuvat
Conceſſa Fato, ſi male ſeduli
Curamus omnes, ſed malorum
Tradimus inſidiis piique
Iuſtique amantes? tandem apage impia,
Perverſa cedas hinc miſeratio!
Si turba nobis Inferorum
Bella movet, decet eſſe Coelum
Sublime victrix. Occidit, occidit
Regina magnae moeſta Britanniae,
Et cedit Heredi decora
Sceptra cadens ſoliumque iuſto.

Adſimus omnes auxilio viro,
Quem iam Batavi, quemque Britannia
Illaeſa, quem totumque coelum
Atque Fides cupit eſſe Regem.
Io Triumphe! iam canit undique,
Io Triumphe! congeminat, ſono
Laetoque et ingenti Batavus,
Et meritos parat illi honores.
Deſiderantes dum pius ipſe iam
Geſtit Britannos viſere, qualiter
Funeſta natum poſt pericla,
Horriſonis agitatum in undis,
Benigna mater. Perge viam, Deis
Amate Rex, et conſiliantibus
In tempore interſis Britannis,
Et populum placido ſerena
Vultu et decoro lumine fervidum!
Quacumque lumen flectis amabile,
Statim tuae ſereniores
Sol radios vibrat ipſe genti.
Te ſemper, o Rex care, iuvabimus:
Nam, ſi careres (quod prohibebimus)
Hoc iure veſtro, forſan ipſum
Me quoque de ſolio fugarent.
Capeſſe regni frena Britannici,
Metuque diro triſtia Numina

Tuamque gentem liberabis,
Et Superis eris usque gratus.

BALTH. HUYDECOPER.

A D

DAN. VAN DER LIP,

Iuris utriusque Doctorem renunciatum.

Viciſti! meritam laborioſae
Menti Numina porrigunt coronam,
Laſſatoque tibi parant quietem,
Poſt tot excubias, graveſque curas,
Ante aras Themidos ſacrae micantes.
Viciſti! ſtudii ſeverioris
Pauliſper gravidam remitte frontem,
Et noſtras libeat favente nugas
Ore perlegere, ut tibi legenti
Quae quondam poterant placere, Lippi,
Lippi, amicitiae decus perenne,
Quocum copula me benigna iunxit,
Theſeâ melior fide, ſuoque
Qualis Caſtora iunxit ante fratri.
Te, te Aſtraea ſuum vocat ſodalem,

Te flentes cupient rei patronum,
Cum tricas validas, et arcta Iuris
Antiqui ſolues, amice, vincla, et
Quid fas quidve nefas docebis, aequus
Antiſtes Themidos piique cultor.
Te ſuum quoque praedicant Camenae,
Et Pindi columen labantis altum;
Cuius iudicio ingeni venuſtos
Foetus ſubiiciant ſui Poëtae;
Qui, mentis, fatuo, elegantioris,
Nolunt iudicio calumniari.
Sed, dum iam tibi plaudit univerſus
Orbis Mercurialium virorum,
Solus laudem ego num tuam tacerem,
Nec carmen tibi mitterem, quod olim
Teſtari poterit meos amores?
Hoc tui prohibent, amice, mores,
Et ſimplex niveo colore virtus,
Virtus candidior fidesque cycno,
Nobis perpetuos colenda in annos.
Quaere nunc ſtudii quietioris
Fructus, et viridi revincta dudum
Lauro, iam Paphiae Deae ſacratâ
Myrto tempora cingito, et coronâ
Tandem purpureâ roſarum adorna,
Vt, ſui quoniam laboris olim

Jucundum eſt meminiſſe, iam peractas
In mentem revoces, amice, curas,
Inter laetitias, iocosque blandos,
Et luſus varios, levesque riſus,
Interque oscula candidae puellae,
Et quicquid Charites fovent amoeni,
Et quicquid faciles habent Lepores,
Et quicquid teneri dabunt Amores.
At nos interea, ſacro flagrantes
Ardore, hoc recolemus usque foedus,
Tuam augebimus et piis ſalutem
Votis et precibus, laborioſa
Vt poſt tempora perpetem quietem
Nanciſcaris, et e puellularum
Coetu nobilium venuſtiorem
Ducas in thalamos, tuamque dicas,
Quâcum tempora laeta, longa, vivas,
Simulque Elyſios petas receſſus!

1714. BALTH. HVYDECOPER.

AD ABRAHAMVM GRONOVIVM, DOROTH. WYNAND. VAN WYCK

Domum ducentem.

Dum tibi ridens Erycina myrto
Dexterâ cingit nitidâ capillos,
Et boni circum ſaliunt Amores,
Docte Gronovi;
Nos quoque, ut quondam, teneri poëtae,
Ludimus mollem citharâ Camenam,
Atque ad antiquas poſito timore
Vertimur Artes.
Iam tuo tandem tua lux amore
Victa, conſtantis veteres dolores
Lenit, et molli medicâque mulcet
Vulnera dextrâ.
Quin et interdum, nimium protervus,
Et genas tangis, niveumque pectus,
Quaeque adoranti negat usque, carpis
Oscula victor.
Illa, quae, cedens rediensque crebrò,
Plurima obliquis oculis minatur,
Intus audentis tacitè triumphum
Laudat Amantis.

r

Nempe non rarò fugiunt, quod optant,
Virgines pulcrae; metuuntque, quod non
Vel Iovis coniux, vel amanda nunquam
Cypria vitat.

At ſemel victae prece lacrymisque,
Et ſuum fasſae facie rubenti
Crimen, in laetos meliùs cachinnos
Triſtia mutant.

Sic tibi nunc Wyckia ridet, eâdem
Vſta cor tandem face, candidique
Pectus Abrami lacerum mederi
Gaudet amica.

Particeps flammae tibi cum medetur,
Ipſa, quae nunquam prius imperita
Noverat, caſto meliora corde
Gaudia ſentit.

Solve, age, audaci, ſinit ipſa tandem,
Dexterâ zonam, Venerisque laetos,
Tramitem vobis Amor ipſe ſternit,
Pergite in hortos.

Hic tuum claudens latus ambulabit,
Atque, mirata inſolitos odores,
Carpet ignotos tremefacta molli
Pollice flores.

Dum timor cedit, redeuntque vires,
Ipſa Amatoris caput et capillos,

Fortior tandem, tenerâ corollâ
Cinget et herbis.
Cuncta iam rident. Viden', ut caniſtris
Et piae Nymphae, et dociles Amores,
Afferant plenis animo a latè
Gramina vobis?
Audin', ut circum, viridante in umbrâ,
Turtures caſti, et placidae palumbes
Applicent roſtris pia roſtra, et altè
Murmura fundant?
Eſt in occulto ſalientis illic
Angulo fontis levis unda, quâ non
Nectaris liquor, Superis amatus,
Dulcior exſtat.
Frigeas, corpus gelidum fovebit,
Si cales, illâ fugient calores;
Quin vel illaeſam dat habere dudum
Viva iuventam.
Illa formoſo faciem rubore
Tingit, et curas animo repellit,
Illa vel quosvis agit e caduco
Corpore morbos.
Illa tranſactos meminiſſe ſemper
Nos vetat luctus, vetat et futuros
Corde turbato trepidare, riſûs
Candida mater.

Hanc tibi, felix quater o Gronovi!
Servat, et plenis Paphius Cupido
Poculis, cum te ſitis urget ardens,
Porriget ultro.

Et, licet potus dubium ſit iſte
Num ſitim pellat vel alat bibentis,
At iuvat certè, tacitaeque fundit
Gaudia menti,

Caſta clamabit quoties, in illo
Hortulo tecum ſpatiata virgo:
Care, quam longè exſuperat mea iſthaec
Vota voluptas!

Ite, par felix! Venus ipſa iam vos
Mitis exſpectat; chorus omnis horto
Cantat adventum reſonante veſtrum
Dulcis Amorum.

Quin et innuptam procul hinc Minervam
Cerno, laudantem thalamos Gronovî,
Gratiis caſtum latus usquequaque
Cincta venuſtis.

Sperat ex illis Cytherea Adonin,
Candidae quartam Charites ſororem;
At, cuï fundat ſua dona, natum
Docta Minerva.

BALTH. HVYDECOPER.

PETRO BVRMANNO

FR. FIL. FR. NEP.

Summos in Iure honores conſecuto.

O caſtiſſima coelitum
Proles, Mnemoſynes genus,
Quae Pindi iuga carmine
Demulcetis amabili;
 Prodeas, bona turba.
Vos coeleſtia gaudiis
Impletis Iovis atria;
Vobis et maria, et patens
Tellus imperio bene
 Temperantur amico.
Lauris aureolas comas
Implicate virentibus,
Et vis ambroſia hoc die
Gratis ſpiret odoribus.
 Prodeas, bona turba.
Hoc die Themis integra,
Caſtos iuſtitiae Themis,
(Quâ vix ulla decentior
Divarum) vénit aethere.
 Prodeas, bona turba.

Templi pandite ianuas,
Pandite, huc aditum parat;
En, viden', gladium gerit,
Et quae praemia dextera?
  Prodeas, bona turba.
Nam, qualem Cinyreium
Fovit deliciis Venus;
Quali per tenebras Dea
Furtim baſia contulit
  Latmias prope rupes:
Talem, qui velut emicat
Inter ſidera Cynthia,
Iuris legitimi Themis
Doctorem facit: o Dei,
  Proſperum date fulmen!
Aſpice, ut Petrus enitet
Mentis viribus igneae!
Quam volentius audias
Melle labra madentia,
  Suadae melle Latinae!
Sic blandè rubet, hortulis
Enata Idaliis, roſa,
Quam verno Dea tempore
Afflavit Cythereïa
  Suavis nectare ſucci.
Sic Pallantias aureum

Tollit Oceano caput;
Florem ſic Hyacinthinum,
Primo lumine decidens,
  Ros argenteus ornat.
Hunc liquoribus imbuit
Sacro e flumine Delius.
O fontes Aganippidos,
O beatuli Apollinis
  Muſarumque receſſus!
Huic Artesque reconditas,
Parnaſique roſaria
Pandunt Theſpiades novem.
Da lyram, puer, et modos
  Grato concine verſu.
Vos, boni iuvenes, bonae
Dextras iungite virgines;
Sit ſacer choreis dies.
Da lyram, puer, et modos
  Grato concine verſu.
Da fragrantia pocula,
Suaveolentia cinnama,
Concentusque loquaculos.
Da lyram, puer, et modos
  Grato concine verſu.
Te, Petre, augeat in dies
Alis Fama perennibus;

Dumque Gloria te vehit;
Da lyram, puer, et modos
Grato concine verſu.
Atque Hymen tibi cum iugum
Non inſuave paraverit,
Rurſum non malus audies:
Da lyram, puer, et modos
Grato concine verſu.

1734. I. REEPMAKER.

IN IANVM DE HAES
aegrotantem.

Natae Mnemoſynê, novem ſorores;
Quae plerumque Heliconiis in antris
Propter Gorgoneum lacum vigetis:
Languet Haſiades, Poëta veſter,
Languet Haſiades, meus ſodalis;
Quo non (vera loquor, neque haec negatis)
Vobis dulcior alter eſt Poëta,
Mihi ſuavior alter eſt ſodalis.
Vos o, vos coluit nimis, Camenae.
En natalitium refulget aſtrum:

Iam ſolemnia vota, ſicut eſt mos,
Sunt reddenda bonis, nec una, Divis;
Verſus laetificos, pios, amoenos,
Dies poſtulat, optimus dierum;
Calent corda ſodalibus Poëtis:
Et veſtrum per Apollinem mederi,
Et noſtrum per Apollinem mederi
Veſtro turpe moramini Poëtae,
Meo turpe gravamini ſodali?
Ingratae nimis, ah nimis, puellae,
Crudeles nimis, ah nimis puellae;
Quas nimis coluit Poëta veſter,
Quas nimis coluit meus ſodalis.
An, quum pectinis arbiter paterni
Scientiſſimus aemulatur usque
Ludendi bene gloriam paternam;
An, quum carminis artifex Batavi
Feliciſſimus aemulatur usque
Canendi bene gloriam Latinam,
Auguſti propriam illiusque ſaecli;
Iſtud Caeſareum obtinere debet,
Vti tempora languidus ſit artus
Sub natalia ſcilicet, Camenae?
Oho convaluit Poëta veſter,
Oho convaluit meus ſodalis;
Quo non (nota loquor, neque haec negatis)

Vobis gratior alter eſt Poëta,
Mihi carior alter eſt ſodalis.
Nec veſtrum per Apollinem mederi,
Nec noſtrum per Apollinem mederi
Veſtro turpe moramini Poëtae,
Meo turpe gravamini ſodali;
Veſtro Pierides bonae Poëtae,
Meo Pegaſides bonae ſodali,
Felicesque ſodalibus Poëtis.

FRANC. HESSELIVS.

IANO DE HAAS.

Quaenam pompa tuis ſuccedit ſedibus, Haſi,
  Suadae medulla Belgicae?
Fallimur? an Nixique pares, Lucinaque Iuno
  Cum caeteris vénit Deis;
Quorum tutelae, modò natus, ſubditur infans,
  Ac fertilis puerpera.
Parce metu ſodes: tandem damnabere voti,
  Quod nuncupaſti. Haud fallimur.
Fis, Haſi, genitor; genitrixque ſit Haſia, ſexûs
  Flos pulcher et decus ſui.

Non audita prius, vobis iam nomina dantur,
Cupita multùm nomina.
Naſcitur Haſiades, non degener artis avitae
Futurus, atque patriae.
Coryciae Paean recubans ſub tegmine lauri,
Muſaeque laetantur novem.
Diſce tuâ creſcens virtutem ex gente domoque,
Amate Gratiis, puer.
Eſt, qui te ſtimulabit ad alta, pater tibi; ſuntque,
Quos ſaepè cogites, avi.
Ne memorem de Barlaeis praeſtantibus, aut de
Stirpe eruditâ Brantii;
Vnde genus ducis, quo non celebratius ullum
Factum eſt Batavis litteris.
Ille vel ille, ſuâ prognatum gente, Poëtam
Vnum alterumve iactitet:
Tu potes, Haſiade, ſeptem iactare Poëtas,
Iactare tres Poëtrias.

FRANC. HESSELIVS.

IN FRAGILITATEM ET INCONSTANTIAM VITAE HVMANAE.

Quam fugax mortalis aevi curſus! eheu! quam miſer!
Quam brevì vitae perit flos! tranſit omnis gloria!
Eſt voluptas cuncta mendax; cunctus eſt verus dolor;
Linquunt nil mala gaudii.

Dulce ſi quid; dulce primae ver vocem puertiae,
Innocentes in tenellâ mente delicias ferens.
Cur noces maturiori, triſte fatum? cur dies
Laetos tam citò terminas?

Lude nunc, occaſione, blande, raptâ, puſio;
Scande ligneos caballos; iunge mures curribus;
Invidendi, chartulis quae ſtructa pictis dat caſa,
Fulgor non dabit atrii.

Lude nunc; feres ſuperbi mox magiſtri iurgia;
Mox ad arma non volentem pertrahet Demoſthenis,
Quìsque, Libertate ſalvâ, Tullius linguâ potens
Romanum adſeruit decus.

Inprobum querens laborem, taediosa tempora,

Parce fletu, parce; ſummam virga vix ſtringit cutem.
Sunt magis timenda adulto flagra, ſaevo verbere
Altum quae lacerant latus.

Ampliores ecce campos! en! iuventus advenit;
Noxii luſus relictis nunc placent crepundiis;
Cor novi tangunt calores, perque tosta fervidi
Ignes viſcera tranſeunt.

Frigidas adfunde lymphas, flamma ſurgit acrior;
Surgit, et latè patentis ridet Oceani minas;
Fors opem ratio furenti portet; huic fidas, puer,
Cum portabit, adultior.

Levia praevalens Voluptas diſſipat conamina,
Quae manu male blanda recto, nec negantes, abſtrahit,
Ore blanda, qualis Eos, ſed doloſo in pectore
Virus peſtiferum tegens.

Interim labuntur anni, teque conſpicimus virum;
Vt roſa, modo quae corymbi vix reſignans oscula,
Orbe iam toto pateſcit, floris explicans opes;
Sed nunc damna magis premunt;

Nunc cubantem mâne dulcis deſerit primo ſopor,
Aut vetat dormire cura, nocte totâ pervigil;

Nusquam abeſt metus aut cupido, ſæpè qui fortiſſimi
Expugnant animum viri.

Nobilis virtutis ardor languet ac ſcientiae,
Cernimus promiſſa nobis cum negari gaudia;
Falſa rerum nos imago ludit; eſt merum nihil,
Noſter quod labor appetit.

Blandiens Fortuna molli flore cum ſpargit viam,
Tunc caveto, tunc amarum torva miſcet poculum;
Mox fide iunctos amicos, mox marito coniugem,
Mox natum rapiet patri.

Tu penates linque moeſtos, linque terras improbas,
Curre ad Indos, claſſe in Auſtri tende torrentem plagam;
Scandit et moeror triremem, litus et tangens prior
Egreſſum recipit rate.

Crede; non magis tremendae, prole raptâ, tigrides,
Non iecur quae tondet ales dira Caucaſei ſenis,
Non latenti dente vermis viva rodens viſcera,
Quam, qui cor peredit, dolor.

Ecqua greſſus huc labantes forma fert tremulo pede?
Denſa frontis, en! gravatas ruga deprimit genas;
Languidi reddunt ocelli pallidum Lunae iubar,

Et vertex nive ſpargitur.

Eſt ſenectus, ille mentis, ille morbus corporis.
Quid ſibi, quem monſtrat, atri vult acervus pulveris?
Parva ſedes haec ſepulcri, quòque eunt omnes, locus;
Haec rerum ultima linea.

Tot rotant humana caſus, tot viciſſitudines!
Heu! quot aeneis egeſtas inſuper vinclis ligat!
Nocte qui dieque parvum liberos moerent gregem,
Dum poscunt lacrymis cibum.

Tune, mater, quos creaſti, Terra, natos deſeris?
At magis fortaſſe atrocem ſuſtinet dives vicem,
Adfluente non beatus copià, cui morbidum
Corpus conficiunt mala;

Quique, in altum vectus ante plebis aurâ mobili,
Labitur, ſimul procaci Sors pede inpulit rotam,
Qualiter, veſana Cori cum quatit rabies nemus,
Quercus aëriae cadunt.

Saepè, ebur qui tunc relictum e faece ſcandit ultimâ,
Calce proterit iacentem; felle Livor conſpuit,
Et, ſalutantum catervae modo capacis vix, domûs
Vaſtum iam tacet atrium.

Quid, miſelle! fidis auro, viribus, potentiâ?
Regias Mors pulſat arces et tabernas pauperum;
Saepè cras, qui nunc frequenti cingitur ſatellite,
Arctâ cingitur urnulâ.

Tu, Pater, ſolus ſuperno cuncta qui fers numine,
Qui quod eſt, eratque, eritque, ſemper idem, procreas,
Damna tu vicesque rides, tu protervas non times,
Sceptrum quae rapiant, manus;

Tu Deus, quae lapſa dudum tranſierunt ſaecula,
Tu quod aetas noſtra vivit, quod futurum tempus eſt,
Cernis, uno cernis actu; tu vocas, et iam tibi
Adſunt en! ſimul omnia.

Stant ſimul coram ſimulque ſtare Saecla neſcia;
Qualis unda pellit undam, perpeti motu fluunt;
Hoc virentis fronde olivae liberum cingens caput,
Illud ſanguine ſordidum.

Ex perennis Tempus aevi quando produxti ſinu,
Te iubente movit alas compari libramine,
Ne nimis rapido volatu liquidas properet vias,
Aut tardet ſolitam fugam.

Ipſa ſervo vincla collo fert Neceſſitas tua,

Nec tuos migrare iuſſus auſa, per regnum tuum
Frena rerum, quò vocas tu, dirigit famulâ manu,
Vertens, cum cohibes, gradum.

Pace ubi gaudes beatâ et ſempiternâ gloriâ,
Exit ex te fons bonorum, lumen exit aureum,
Nox quod atra morsque neſcit ferre, et a vultu tuo
Cum luctu dolor exſulant.

ex Belgico GVLIELMI VAN HAREN. ERNEST. GVL. HIGT.

ANNI AVSPICIA

AD

PETRVM BVRMANNVM SECVNDVM.

Da novis, Clio, Kalendis thura, dulces da favos,
Proque nobis, proque noſtro vota Petro concipe,
Vt faventi fronte pandens Ianus anni limina
Curſûs caetera prosperet.
Nomen utriusque iungens, de ſacratis ignibus
Candidum cernes nitorem ſurgere et rutilum iubar,

Quale templi, cum precantis verba numen accipit,
Aurum fulgure verberat.
Quippe amicus ille Divis, curaque Immortalium;
Quippe natus, cum benignae ſtella fulſit Cypriae,
Cum triplex feliciore Parca plenas vellere
Verſare inciperet colos.
Mox tenellum per vireta Muſa duxit laurea,
Deque vocali beatum pectus undâ proluit.
Hinc canendi tanta virtus, hinc furores enthei,
Et felix Genius viro.
Ipſe Paean, barbiton cum ſumſerat primam puer,
Adſtititque, pollicemque rexit in teſtudine;
Ipſe grandi perſonare plectra iuſſit carmine,
Vultu ſub Patrui latens.
Docta vidit, caeſioque Virgo ridens lumine,
Perge, dixit, perge magnis, Petre, iam ſtupor viris;
Sic meo quondam legetur aureum nomen peplo,
Seris gloria poſteris.
Plura Pallas, plura fecit Phoebus altor Artium,
Atque alumnum collocarunt in theatro ſplendido,
Vnde ſe totum per Orbem vividi vis ingenî
Latè ſpargeret ignea.
Auſpicato tunc Dione copulavit foedere,
Et pudicae prole multâ coniugis ſolvit ſinum:
Blanda non ſatis ſororum triga; natus additur,
Docti delicium patris.

O Dearum tu voluptas ſumma, Petre, Virginum,
Petre, ſigna cui favoris coelitum cuncti ferunt,
Vive felix, ſic precamur, tanta durent gaudia,
Sint clades procul ac dolor!
Vive felix, et datores tolle Divos omnium,
Tolle cantu; digna res eſt, digna res eſt Vatibus:
Hac ſonabant laude colles, Ascra nobilis, tui;
Hac Orpheus domuit feras.
Vive felix, et, Camenae promovens Latiae decus,
Duc Hyantei iuventam propter undas fluminis:
Sed Getasque Sarmatasque pelle, fontes impia
Caſtos ne labra polluant.
Sic domûs Burmannianae ſpes, venuſtus puſio,
Creſcat, aeſtus et paternos per medullas hauriat;
Ac brevi, Santhorſtianum quae colunt Dryades nemus,
Cantantis ſtupeant melos!

1759. ERNESTVS GVLIELMVS HIGT.

EPITAPHIVM ADONIDIS.

Ite fletus, ite largi! Mors Adonin abſtulit;
Saeva blandum, tetra pulcrum Mors Adonin abſtulit!

Mortuum gemimus Adonin; aggemunt Cupidines.
Quid, Venus, vidui quietam purpuram lecti premis?
Sola quid, miſella, dormis? ſurge; abeſt ſocius tori.
Pone cultum, pone amictus aureo pictos croco:
Indue atrâ membra veſte, nuda caede pectora,
Rumpe queſtus; dic: venuſtum Mors Adonin abſtulit!

Mortuum gemimus Adonin; aggemunt Cupidines.
Teſqua luſtrans, ac relictae coniugis parum memor,
Pulcher heu! venator ipſe praeda nunc iacet feris,
Candidum percuſſus apri dente candido femur.
Heu! iacet, tenuemque verſans ore caſſo ſpiritum,
Cypriae parit dolores, ah! dolores maximos.
Sanguis artus puriores ater inquinat nive.
Perque labentes ocellos noctis umbra funditur;
Et roſae marcent labelli, ſuave marcet osculum;
Marcidum tamen Dione non abhorrens osculum,
Fervidis preſſiſſe labris labra geſtit frigida;
Osculatur; at osculantem neſcit ille Cypriam.

Mortuum gemimus Adonin; aggemunt Cupidines.
Triſte vulnus, vulnus atrox fert Adonidis femur:
Maius imis fert Dione vulnus in praecordiis.
Cura quondam dulcis adſtant et ululant dominum canes.
Montium plorant Puellae cum Puellis fontium:
Attamen maiore plorat iure, per ſaltus vagans,
Paſſa crines, ſciſſa pallam, nuda plantas Cypria,
Dum rubi pungunt vagantem, et ſanguinem libant ſacrum;
Quàque, ſurdas voce valles ac nemus tacitum replens,
Currit, Aſſyrium maritum clamat, et puerum vocat.
Huius altè de iacentis emicans plagâ, cruor
Inguen et ventrem ſupinum foedat ac niveum latus,
Perque leniter tumentis it mamillas pectoris.

Vae Dionae! vae Dionae! congemunt Cupidines.
Perdidit virum Dione, perdidit formam ſimul.
Hoc erat vivente formae ſummus in Divâ nitor:
Mortuum nunc poſt Adonin pulcritudo mortua.
Saxa flent rupesque Adonin, flent Adonin ilices,
Flent vagi fontes, et amnes, aggementes Cypriae,
Et caduca lacrymarum e colle volvunt pondera;
Flaccidumque in prata flores nigra deponunt caput,
Dum per agros, dum per urbes flebilis fertur Dea.

Vae Dionae! Vae Dionae! Mors Adonin abſtulit!
Queſtibus respondet Echo: Mors Adonin abſtulit!
Heu! amorem quis Dionae non fleat miſerrimum?

Vidit ut letale vulnus horruitque Cypria,
Vidit ut, ſanie fluente pallidum tingi femur,
Queſta multum, ulnasque pandens, ah! Adoni mi, máne,
Ah! malo ſervate, dixit, ah! Adoni mi, máne;
Vel morare, verba ſaltem dum loquar noviſſima,
Dumque, te complexa, noſtris labra labris miſceam.
Tolle paullum, tolle ocellos, tolle languidum caput,
Ac ſuprema, care Adoni, da petenti baſia;
Da, calor motusque labris donec omnis exeant,
In meumque e baſiantis ore ſpiritus fluat.
Ebibemus, extrahemus, quicquid in te amoris eſt;
Intimas quod in medullas et calens penetrans iecur,
Hic repostum permanebit, ipſe tu quoniam fugis;
Heu! fugis, dilecte Adoni, nigra viſis Tartara,
Noctis arbitrum profundae viſis, et vivit Venus!
Vivit ah! eſt Diva coniux, teque non poteſt ſequi.
Accipe, atri ſponſa Ditis, (quippe vincis Cypriam,
Quippe cara, quippe pulcra, torva, raptas omnia.)
Accipe o! meum maritum, fata quem tradunt tibi:
Me, tuas vires trementem, longus abſumet dolor!
Semper et querulis vocabo non reverſurum ſonis.
Ergo abis, tecumque, Adoni, me voluptas deſerit,
Avolans, ut ſomnianti blandus avolat ſopor!
Cypria igitur orba, et orba tot Cupidinum cohors!
Noſter igitur iſte vires ceſtus omnes perdidit?
Quique vinxit, quique traxit cuncta, te non retrahet?

Quae feras vexare ſuaſit horridas dementia,
Nate bello mitiori, non cruentis ſtragibus?

Queſta ſic Dea eſt, querenti ſic Amores aggemunt:
Vae Dionae! vae Dionae! Mors Adonin abſtulit!
Interim flentes ocelli tot dederunt guttulas,
Guttulae quot e iacentis effluebant vulnere;
Sorbſit omnes terra, laetos tot remittens flosculos:
Procreant roſas cruores, et anemonas lacrymae.

Ite fletus, ite! pulcrum Mors Adonin abſtulit!
Siſte iam vagas querelas, linque devium nemus,
Linque, Cypria: eſt paratus ecce Adonidi hic torus,
Molliori e fronde mollis, roſcidoque e gramine:
Haec ſuper beatus ille, Diva, lectulus tuus,
Saepè vivum qui ferebat, nunc recepit mortuum.
Quanta mortuo venuſtas! dormientem dixeris.
Subiice aureae nitentem purpuram ſpondae viro,
Nocte quâ tecum cubantem mulſit ambroſius ſopor;
Subiice, et ſic triſte corpus, ceu prius, ſinu fove.
Adde flores et corollas; iſta poſcit munera:
Sunt eo moriente flores cum corollis mortui.
Sparge myrto, tinge nardo, tinge pingui aromate:
Myrtus omnis, nardus omnis, omne aroma ſordeant,
Sordet unus cum Dionae qui fuit fragrans odor,
Proque myrto, proque nardo, proque pingui aromate.

Nunc in oſtro, in veſte Adonis nunc recumbit divite:
Eiulantes ante lectum parvuli Cupidines,
Luteos ponunt capillos, triſte donum mortuo.
Hic leves arcus, pharetram calcat ille eburneam;
Ille inutiles ſagittas frangit obnixo genu;
Solvit iſte, pallidoque vincla detrahit pedi;
Aureo fert hic lebete flumen; hic femur lavat;
Pectus hic focillat alis frigidum tepentibus.

Vae Dionae! vae Dionae! congemunt Cupidines.
Nuptialem nunc coronam ſpargit iratâ manu,
Proiicitque Hymen maritas limen ad thalami faces.
Non, Hymen Hymenaee, feſtae per domum voces volant:
Flebile ah! ah! flebile heu! heu! ora replet omnia.
Laete ſemper, nunc acerbum funus ah! luges Hymen;
At magis lugent acerbum terna funus Gratia,
Pulcher heu! Cinyrae, gementes, pulcher heu! iaces, puer;
Pulcher heu! iaces, Adoni; pulcher heu! iaces, puer.
Sic gemunt, et altiore voce, quàm gemit Venus.
Nec minùs novem Sorores flebilem cient ſonum,
Dulcibusque Orco ſodalem cantilenis evocant:
Heus Adoni! ah! heus Adoni! ſurdus aſt Adonis eſt,
Nec redire etiam volentem ſolveret Proſerpina.

Pone nunc, Venus, querelis, pone finem planctibus:
Feſta, flendus eſt Adonis, cum redibunt annua.

Ex BIONIS *Idyl.* I. ERNEST. GVL. HIGTIVS.

EPITAPHIVM BIONIS.

Saltuoſi flete colles; flete, lymphae Doricae;
Flete amabilem Biona, nota vivo, flumina;
Lacrymis rorate, plantae; triſte mugiat nemus;
Marcidos florum corymbos linquat effluens odor;
Palleat anemona, pictam nigror inficiat roſam;
Litteras, Hyacinthe, Phoebi quas tibi luctus dedit,
Clariore, quàm ſolebas, efferas, ai, ai, ſono,
Et gementum moeſta crebris verba reddas motibus:
Veſtra fùgit heu! voluptas, Cantor optimus tacet.

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Dulce quae luges, aëdon, ſubter umbras arborum,
Diſce nunc novas querelas, et Arethuſae fontibus
Nuncia mortem Bionis; inque alumni funere
Dic melos, cunctasque Muſas dic periſſe Doricas.

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Quique ſuavi perſonatis ore ripam Strymonis,
In modos nunc ite molles, ite, cycni, flebiles,
Veſtra quaiibus fluenta ſaepè demulſit Bion;
Thraciis narrate Vatis fata Nymphis triſtia;
Dicite Oeagri Puellis: vixit Orpheus Doricus!

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Non, gregi dilectus, ille cantor amplius canit;
Non avenas tractat, amplâ tectus ilicis comâ:
Cantat umbris, longa cantat mortuis oblivia.
Regnat horror, regnat altum per nemus ſilentium.
Luctuoſis vacca torvo cum viro mugitibus
Ingemit, nec, antè grata, tangit ore pabula.

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Tam repentem Phoebus ipſe Vatis exitum ſui
Luxit, et luxere Panes, inque pullis veſtibus
Ruris incolae, Priapi; quodque cantus diligit,
Cantibus nunc omne raptis Capripedum leget g
Turbulentas cuncta fletu Nais undas reddidit,
Eque dulci fonte ſalſas iuſſit ire lacrymas.
Garrulis quae verba labris retulit quondam tua,
Muta nunc eſt, inque ſolis plorat Echo rupibus.
Flos caret nitore, foetus perdiderunt arbores;
Flaccidum eſt uber capellis, mella non ſtipant apes,
Cereiſque, gnavus antè, ceſſat in tectis labor:
Quis favos, quis mella curet? fluxit heu! heu! mel tuum.

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Non magis delphinus unquam flevit udo in litore;
Non magis ſub rupe Progne, non magis Prognes ſoror
In virenti dira colle fata ploravit domûs;

Altiori nec vocavit voce Ceyx coniugem;
Ceryli non ſic per alta ſtridor ivit aequora;
Non Eois in viretis, orta Memnonio rogo,
Sic novis cognata pennis planxit ales pectora;
Singulis ut triſte letum nunc Bionis plangitur.

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Hunc aëdon, hunc chelidon, quas tenebat cantibus,
Quasque motus, quasque flexus edocebat gutturis,
Mortuum luxere, ramis pendulae frondentibus:
Illa cantat, haec canenti reddit alternos ſonos.
Dum querentium volucrum totus accantat chorus,
Praeque cunctis longa ducunt turtures ſuſpiria:
Ducite o, nos iuncta veſtris ducimus ſuſpiria.

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Vnde avenae dignus heres? qui ſibi tantùm placet,
Vt tuâ, perite cantor, fiſtulâ labrum terat?
Illa adhuc ſuavem canori ſpirat oris halitum,
Blanda ſervans priſtinorum murmura modulaminum.
Pana poscunt, Pana cannae: deferam cannas Deo;
Ni recuſet et ille munus, et ore nolit tangere,
Audiat ne fortè: paſtor Pana vicit Doricus.

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Saepè ſcabro quae ſedenti iunxit in ſcopulo latus,

Te dolet Galatea raptum, quem Cyclopi praetulit.
Hoc canente imum profundi fúgit in ſinum maris:
Te canente emerſa cano dulcè riſit gurgite.
Vaſta nunc undis relictis pervagatur litora,
Et, bubulci ducta amore, curat errantes boves.

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli
Quicquid eſt Muſis leporum, quicquid illis gratia
Fûgit, et ſordet Poëtis dos canendi maxima,
Os puelli baſiantis, et labella virginum.
Imbre parvi lacrymarum buſta Amores irrigant;
Et iacentem te Dione ſuaviatur dulciùs,
Quàm Dione modo iacentem ſuaviata Adonin eſt.

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Hic tibi, leni ſuſurro prata qui tranſis, Mele,
Amnibus praelate cunctis, hic tibi novus dolor.
Clauſa tu quondam videbas labra Smyrnaei ſenis,
Labra, Calliopea ſacro tinxerat quae nectare;
Diceriſque altùm gemente fata nati túnc aquâ,
Et tuum luctum marinis nunciaſſe fluctibus.
Nunc novo moerore tabes, alterum natum gemis.
Ambo cantibus celébres, ambo cari fontibus.
Hippocrenes rore puro lâvit alter pectora;
At tuis, Arethuſa, lymphis alter exſtinxit ſitim.
Bellicoſos ille Atridas Martiâ cecinit tubâ,

Cor ferocis ille Achillis, et puellam Tyndari:
Hic nec arma, nec nocentes dixit iras Principum;
Sed protervum Pana dixit, et bubulcos ſimplices,
Et iuvencas ipſe mulſit, bucerum ac pavit pecus,
Et peritâ ſaepè cannas iunxit impares manu,
Et puellos virginesque blanda docuit oscula,
Et Cupidinem Dionae fovit acceptus ſinu.

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Vrbs, Bion, te cuncta plorat, plorat omnis civitas:
Te ſuo magis Ascra luget vate nudis vallibus;
Hyla te magis tonante Pindaro Boeotia;
Non amabilis tacentem Lesbos Alcaei fidem,
Rapta non Simonideae Cea munera naeniae
Flevit, ut tuae repreſſum fiſtulae flevit ſonum.
Masculam Mitylena Sappho, candida Archilochum Paros
Reſpuit, tuisque tantùm cantilenis paſcitur.
Quisque, cui novem Sorores ora ſolvunt muſica,
Lacrymabili Bionis mulcet umbram carmine.
Dulcè Siceliden gementem pulcra miratur Samos.
Quique ridenti Cydonas lumine et calamo levi
Traxerat, nunc eruditis queſtibus Lycidas trahit,
Et tenellulas tepente madefacit rivo genas.
Nec minùs fletu, Phileta, Triopidas tangis tuos,
Naidasque, Halentis udo quae premunt ripam pede.
Tu Syracoſiae per urbis ampla Amici moenia

Nuncias obitum politis verſibus, Theocrite:
Noſtraque Auſonii doloris Muſa concipit melos.
Eſt mihi quóque parva cannae ruſticae peritia;
Vſus antè qui magiſtro molle pectus te, Bion,
Dorico lepôre pavi, dictus heres nunc tuus;
Non bonorum, (haec habeat alter!) ſed venuſti carminis.

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Tortuoſi flos anethi, malva mollis occidit,
Et virens apium ſeneſcit: raptus aſt hortis honor
Redditur, defuncta vere cum renaſcuntur novo:
Nos ſagaces, nos ſtupendâ praediti prudentiâ,
Nos, vigore qui tenellis praevalemus flosculis,
Mortui terrae tenemur non reverſuri ſinu;
Ac profundi vincla ſomni nos in aeternum ligant.
Tu iaces; et os canorum nigra tellus obruit:
Rana vivit, rana Nymphis non vetantibus canit.
Sed quid huic rictum patentis invidemus gutturis?

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!
Tene vis tam dira leti, tene virus ſuſtulit?
Labra virus et iſta tangens dulce non eſt redditum?
Ferreus quis ille, et atrox, qui venenum miscuit,
Aut tibi miſcere iuſſit, voce non fractus tuâ?

Funde nunc, lugubre carmen funde, Muſa Siceli!

Sed Deûm vindicta cunctos preſſit: hi luunt ſcelus,
Turpe me nefas gementem conficit magnus dolor.
Scire vellem, ſi liceret nigra adire Tartara,
Thracius quò cantor olim, quòque Telemachi pater
Ivit, et cervice celſum qui tulit celſâ polum;
Scire vellem, num receptus Regis inferni domo
Cantites, quibusque vulgus pallidum ducas modis:
Nunc venuſtum de venuſtis funde paſtoralibus
Carmen, et Siculâ querelâ tange Ditis coniugem.
Ludere illam ſaepè valle vidit Enna patriâ,
Auditque cantilenas iactitantem Doricas.
Non carebit honore buxus; et, ut remiſit Orphea,
Grataque Eurydicen ſonantis reddidit pretium lyrae;
Sic, Bion, fortaſſe noſtris te remittet montibus.
Ipſe ab Orco iam reductum redderem vitae novae,
Flectere infernum valerent ſi mei cantus Iovem.

Ex MOSCHI *Idyl.* 3. ERNEST. GVL. HIGTIVS.

Hoc et ſuperius Higtii carmen iam pridem editum eſſe, probè memini. Sed tamen, in his Deliciis quóque illa legi, cum propter ſingularem imitationis elegantiam, tum propter ſublatos aliquot inſignes naevos, qui irrepſerant, nemini grave fore, confido.

MISERA SORS MAGISTRORVM AD PETRVM VAN BLEYSWYK.

Qui colla patris fregerat; qui ſanguine
Foedarat aedes innocentis hoſpitis;
Qui militari vi coëgerat iugum
Subire cives liberos; qui Patriae
Iniurioſâ calce iura triverat,
Et inquinârat nobiles ſtupris domos;
Superbus, ater, verbero, trifurcifer,
Periurus, ollae torris inter inferos
Iam deſtinatus, exſecrandus, impudens,
Pecuniarum fraudulentus helluo,
Iniquitatis impotentis artifex;
Cuius nefanda proloqui piacula
Non poſſit Hipponax trecentis verſibus;
Hunc, morte poſtquam liberarat Patriam,
Regnantibus per membra foeda vermibus,
Ferunt, tribunal ante formidabile
Raptum ſeverorum ſtetiſſe iudicum.
Diiudicatâ lite damnatur reus.
Sed diffidebant iudicum ſententiae,
Quae poena tanto digna monſtro congruat.
Minoi Siſyphi lapis non diſplicet;

Ixionis Rhadamanthus eligit rotam
Volubilem; placet ſcaphismus Aeaco.
Sed hoc in uno iudices conſentiunt,
Quaecunque poena praeferatur, criminum
Aequare nullam poſſe magnitudinem.
Adeſt vocata cum ſuis ſororibus
Megaera; ponens viperas de vertice,
Inermis adſtat una; ponit altera
Flagella; taedas fumigantes tertia;
Rogantque, quae vel maximè optent perfici
Mandata. Si quid fortè poſſint utile
Praeſtare, promta pollicentur omnia,
Manus, pedes, induſtriam, ſolertiam.
Hic Aeacus: Non tale monſtrum Tartarus
Vnquam recepit, quale nos hunc novimus.
Quaecunque manes impios diriſſima
Tormenta vexant univerſos, ſolus hic
Subire dignus. Vos videte, pendite,
Excogitate, veſtra perſpicacitas
Iuſto furore quod miniſtret. Quicquid eſt,
Quaecunque torquent ſingulos ſub Tartaro,
Congeſta in unum detonent ſacrum caput.
Haerent ſorores, ambigunt, deliberant,
Diu ſeorſum conferunt ſententias.
Immenſa poenarum reperta copia,
Reiecta ruſus. Omnium ſententiis

Palmam meretur una nobiliſſimam.
Tunc, inſueto concitata gaudio,
Progenita Nocte, turba preſſo pollice
Extollet; uno clamat ore: Vicimus!
Et, inſolente plena poenae gloriâ,
Ad ferream pedes retorquet januam,
Et praeſtolantes allocuta judices,
Parentum magnorum, inquit, filios
Sub Tartaro ſinas docere litteras.

Nunc, Petre magne, judica, mihi an tibi
Beatiora fila Parca neverit.

1780. HENR. HOOGEVEEN.

S. C. EMBRICENSE.

Quod felix, fauſtumque mihi, populoque! beatum
  Hunc-ce diem, quo me Fredericus
Pace ſub auſpiciis coeli, ſeptennibus armis,
  Et terrâ plaudente, partâ
Reſtituit mihi, ſua ſibi patrimonia; Regno
  Germanis, Orbique quietem;
Annua per gratâ ſolemnia mente colendum,
  Cenſuit, et juſſitque, Senatus.

1763. HERM. IAARSMA.

AD

LIBERTATEM.

Virtus renaſcens quem iubet ad ſonos
Spartanam avitos ducere tibiam?
Quis fortium coetus in auras
Aetherias iuvenum ciebit,

Quos, Marti amicos, aut hyacinthinis
Flavâ in palaeſtrâ conſpicuos comis,
Aut alma Libertas in undis
Egelidis agiles videbat,

Plauſitque viſis? Quis modulabitur
Excelſa plectro carmina Lesbio,
Quae dirus, Alcaeo ſonante,
Audiit et tremuit dynaſtes?

Quis myrteâ enſem fronde reconditum
Cantabit? illum civibus, Harmodi,
Dilecte ſervatis, nec ullo
Interiture die, tenebas:

Vix ſe refrenat fulmineus chalybs,

Mox igne coeleſti emicat, exſilit,
Et cor reluctantis tyranni
Perforat ictibus haud remiſſis:

O ter placentem Palladi victimam!
Nec tu minorem, Roma, dabas Iovi,
Ex ore cùm Bruti ſonaret,
Sanguine Caeſareo rubentis,

Vox grata divis, grataque Tullio.
Ah! lacrymarum ne ſcatebrae fluant,
Divina Libertas, tuarum,
(O pudor! o miſeri Quirites!)

Vafri tacebo carnificis dolos,
Cui nomen Auguſto eſuriens dedit
Vates, et infandas Neronum
Nequitias odioſiorum:

Nolo, tyrannorum improbioribus
Sanctum inquinari nominibus melos,
Quos turpis aetas in Latinae
Dedecus exitiumque gentis

Produxit. His te, diva, furentibus,
Ad templa coeli et ſidereas domos

Vidit iugatis ſubvolantem
Muſa aquilis nitidoque curru.

At Roma, vaſti molibus imperî
Sublata, centum nubila brachiis
Differt, coloſſeoque Olympi
Vertice verticibus minatur;

Sed, fervidi inſtar diluvii, ruens
Septem relictis turba trionibus
Formidoloſorum gigantum
Heſperium populatur orbem;

Qui, plurimo conamine, plurimis
Immane adorti monſtrum ululatibus,
Vix diro anhelantesque frenden-
tesque trahunt ſtrepitu ruinam.

Gens, te remotâ, nulla diu poteſt
Florere. Mox tu purpureas, dea,
Sedes reliquiſti piorum,
Auſa novas habitare terras.

Tum vitibus Florentia veſtiens
Colles apricos, et nemora aureo
Splendore pomorum coronans,

Te coluit, coluitque Muſas,

Caſura amatâ (vae miſerae!) manu;
At tu petebas pratula mollium
Piſarum, olivetumque Lucae,
Et ſcopulos tenuis Marini.

Vix te vocabat, nec docilem ſequi,
Dux glorioſae gemmifer Hadriae,
Qui ſcandit, haud pauper maritus,
Coeruleum Thetidos cubile.

Pôſt exſulem te, nobilis inſula,
Tutis recepit Corſica rupibus,
Quâ Marte non uno ſubactâ,
Saeve Ligur, nimium ſuperbis.

Nunc te nivoſas, diva, libentiùs
Quaero per Alpes; dirus ubi gelu
Helvetius frangit ligone, aut
Remigiis agitat Lemannum:

Quaero per urbes, dona maris, novas,
Et fida ſacris tecta ciconiis;
Quaero paludoſos per agros,
Per validaeque ſalicta gentis,

Quae fulmen Albani haud timuit ducis.
Hinc pulſa migras? Quò, dea, quò fugis?
Ah! grata dilectis Britannis,
Nympha, tuas video latebras.

Olim, haec recluſit Muſa vetuſtior,
Inter feracis litora Galliae
Interque diviſum Albionis
Nulla ſolum reſonabat unda;

At ſaepè ab Iccî, non madido pede,
Saxis verendas ad Doroberniae
Sedes adornati ambulabant
Glandiferâ Druïdae coronâ:

Tunc aeſtuantes ad mare Suevicum
Fluctus ruebant callibus inviis;
Quà belluoſis horret Orcas
Montibus, et glaciata Thule.

Sed, mox reſurgens, Oceanus manum
Effert minacem, et, dum croceum aethera
Scindunt repercusſis procellae
Fulguribus, valido tridente

Divellit agros disſociabiles:

Tunc enatabas, pulcra Britannia,
Sylviſque, et arvis, et ſonoris
Amnibus egregiè triumphans:

Geminata multà tum Thetis inſulà
Riſit: ſacratis Mona, parens mea,
Ornata quercetis refulſit,
Et Zephyro recreata Vectis.

Haec facta nutu, diva potens, tuo:
Nam laſſa dulcis pomiferas Vagae
Ripas et undantis Sabrinae,
Nobile perfugium, eligebas,

Semota Gallis: Galli etenim truces,
Pſychen ut antehac barbari amabilem,
Te repulerunt exſulantem,
Gens meritas luitura poenas.

Tunc in receſſu fertilis inſulae
Lecto, ſacratum nominibus tuis,
Fanum ſmaragdis emicabat
Conſitum, et aetheriis pyropis:

Ventura iam tum fama Britanniae,
Mirâ arte miris picta coloribus,

Poſtesque et excelſum lacunar
Et variam irradiabat aulam.

Depictus enſem protulit et ſtylum
Sidneius heros, quem neque iudicis
Vultus, nec immitis tyranni
Terruit ira, diu repoſta.

Effulſit ardenti et gladio et lyrâ
Miltonus audens, cui nitidam nimis
Te, nuda Libertas, videnti
Nox oculos tenebroſa clauſit;

Nunc templo in ipſo (quâ radiet vetor
Orâ, profani, dicere) vatibus
Inſertus, heroumque turmae,
Verba canit recitanda divis.

O nympha, moeſtam grata Britanniam
Ni tu reviſas, ſaucia civium
Non molle nepenthes levabit
Corda, ſalutiferumque moly.

Altaribus te iam tredecim vocat,
Te thure templisque urget America:
Audis; Atlanteumque pennis

Ire paras levibus per aequor.

Ah! ne roſeta et flumina deſeras,
Dilecta nuper: nam piget heu! piget
Martis nefaſti; fratricidae,
Imperiique malè arrogati.

Iam, vêris inſtar, praeniteas novo
Placata vultu. Pax tibi ſit comes,
Quae blanda civilis duelli
Sopiat ignivomos dracones.

Cum transmarinis iuncta ſororibus
Nectat choream laeta Britannia;
Neu mitis abſit, iam ſolutis
Mercibus, haud violanda, Iërne.

O, quae paratur copia fulminis,
Centum repoſti navibus, improbos
Gallos, et audaces Iberos,
Civibus haud nocitura, frangat!

1780. IVLIVS MALES GONVS.

DIS MANIBVS

IVLIO GVELFO

POPLICOLAE,

PRO SALVTE CIVIVM

FLVCTIBVS FORTITER PEREVNTI.

Ignava ſemper carmine Teutonum
Languebit, auro propoſito minor,
Inſervietque addicta virtus
Divitis opprobrio tyranni?

Quousque divûm nectare barbiton
Sparſum pudendis laedere naeniis,
Indicta linquentes bonorum
Acta virûm immemori popello?

Non his parentum conditionibus
Aetas peremtos nobilior tulit;
Nec vatibus, bellum ſecutis,
Poſthabitae iacuere laudes:

Obliviosis tradere poſteris

Aevi prioris geſta recentia
Promti laboravere Bardi
Carminibus reſonante luco.

Eheu! bonorum germine principum
Privata tellus, mox gravioribus
Quaſſanda regnorum ruinis,
Exitii peritura primam

Sentire labem funere flebili I-
uli cadentis turpiter incipis;
Virtutibus praeconiorum
Voce carens, pereunte Guelfo!

Illacrimantes exitiabilem
Clari nepotis coelituum domo
Videre Torquatusque magni
Gentis avi proavique mortem:

Lenire divis iam bene diſparem
Orſus dolorem, conſilio deûm
Hortatus heroas verendo eſt
Eloquio referens Apollo

Salubre et exemplo, et ducibus parum
Vulgare, letum: „ Non leviter iacet

„ Vndis peremtus, nec ſuperbâ
„ Fata manu rapiens duello;

„ Auguſtior ſed victima corruit
„ Deſideratae plebis, et inſimul
„ Et civicâ dignus coronâ, et
„ Caeſariem ſubeunte lauru.

„ Maior futurus Caeſare maximo,
„ Tumultuoſo creditus Hadriae
„ Quum copias noctu vocaret,
„ Crimina Theſſaliae morantes;

„ Maiorque truncâ militis Attici
„ Virtute, caedes poſt Marathonias
„ Figentis acri dente pondus
„ Litore barbaricae carinae; (*)

„ Fertur, ſeveri propoſiti tenax;
„ Haud fletus, haud illum procerum preces,
„ Haud poplite haerentes catervae,
„ Haud retinent properantem amici:

(*) Maior futurus — carinae.) Illud de Caeſare, praeter alios, tradidit Dio Caſſius T. I p. 292 Reimar. De Cynaegiro adi Iuſtin. II, 9. attigit et Herodotus VI, 114, vbi vide Weſſeling. p. 491.

„ Atqui ſciebat, quae ſibi turgidi
„ Fluctus pararent: non aliter tamen
„ Ibat per undarum tumultus,
„ Lintre ſequens fragili ſodales,

„ Quàm qui ſonoris carmina pulpitis
„ Praegeſtientis murmure curiae,
„ Vel bella venator recluſis
„ Non humilis meditatur apris."

1785. IOAN. ALOY. MARTYNI-LAGVNA.

A D

VALGIVM BERLINATEM,

V T

I V L I V M G V E L F V M,

PRO CIVIBVS FORTITER OCCVMBENTEM,

CARMINE EXTOLLAT.

Fletum Naïadum choris,
Quem fruſtra ſocius tollere Iulium
Certarunt manibus piae
Crudelique animam exſolvere candidam,

Quae fatis placuit, nece,
    Ignavosque ſuo mascula nuncio
Percusſit bene principes,
    Obduxitque rubore ora paventibus;
Quem reddant meliùs dei,
    Carum difficili munere regibus,
Carum pauperibus virum,
    Complexumque animo commoda civica;
Qui, dum munificus foret,
    Curtae deeſſe rei intelligeret nihil;
Magnum qui tamen et ducis
    Vectigal loculis parcere duceret;
Rectè facta potentiùs
    Quàm vanae cuperet laudis adoream;
Mallet dum inferior deis
    Cenſeri patriis, dignior imperat;
Longaevus patriae pater
    Seris quem imperii opponeret hoſtibus,
Tum quum tela, tyrannicis
    Turgescens laqueis, enſe retexitur;
Cui vitam iuveni abſtulit
    Ingens, quis praeerat, cura Quiritium, et
Brennorum choreis ducum,
    Collectus decorat quos cruor, addidit;
Quemque et gentis honos frequens,
    Et virtus, potior ſtemmate triplici,

Et communis amor rei,
    Et flos ingenii, et Muſa vetat mori:
Hunc, Valgi, egregios lyrâ
    Quâ reges ſuperis conſociare amas,
Et compescere bellicos
    Motus non humili carmine niteris,
Candentem ex humeris, precor,
    Divorum numeris ociùs inſeras,
Quàm vilis popularium
    Vmbram commaculet naenia lucidam.

1785. IOAN. ALOY. MARTYNI-LAGVNA.

AD PETREIAM.

Dum tuâ gratus nitet e feneſtrâ
Splendor arcentis tetricam lucernae
Vesperam, quamvis prohibent videntem
    Serica vela,
Immemor coenae, calamique, ſuetum
Iugiter penſum ut peragam vocantis,
Stamen aulaei mihi pervicacis
    Lumine oberro.
Maior haud, olim quibus in tacendo
Fama quaeſita eſt, per inane luſtrum

Spes fuit veli citò dimovendi, et
Tecta videndi.
Fertur, ardenti quoties amore
Coniugis viſa eſt caluiſſe, noctem
Montis Idaei petiiſſe Iuno
Cum Iove ſummo:
Ipſe, Petreiam refovens, cubarem
Triplici tecum, mea lux, ſepultus
Nocte; iam torpet ſine te voluptas,
Caetera torpent.
Ecce reſtinctâ réfugit lucernâ
Flammeus vitri color, et ſolutam,
Litibus dispar iuvenum, coarctat
Sponda puellam.

1778. IOH. ALOYS. MARTYNI - LAGVNA.

FABVLA MORALIS DE NECESSITATE PERSEVERANTIAE IN CAVSA PVBLICAE SALVTIS.

Qui pro ſalute eſt, neminem laſſet labor.
Gentem maritimam, Vahalis et Moſae accolam,
(Quondam fuiſſe rara quam turris probat
Extans ab undis, quando depreſſae iacent,)

Aggeribus amplis ſaepè luctatam ferunt
Contra furorem fluminum, venti, maris.
Quàm crebra civi, crebra nox eſt ruſtico
Vigilata, ne foramen aperirent aquae,
Latèque laetos verteret ſtrages agros!
Quàm multa lapidum, ligni et argillae ſtrues
Advecta vênit viribus magnis equûm,
Tumulanda in undis! nec locus ſumtu vacat.
Triſtis colonus, ſuſtineri longiùs
Impenſa fructu poſſe redituro, negat:
Partes iniquas alius iniungi dolet,
Communi ſtudio nec pari pelli malum.
Reſonant querelae, vixque praeclarus Comes
Rectorque gentis precibus et rationibus
Suſtentat animos, dum ſalutis admonet,
Nec ipſe noctu vel diu parcit ſibi.
Tandem labore fractus et curâ gravi,
Victor periclis tunc triumphatis, iacet.
Aliquamdiu memoria adhuc recens viri
Accendit animos, populus et ſuperſtites
Audit miniſtros, aurei ſaecli genus.
Sceptrum capeſſit plauſibus magnis Soror,
Fratremque vincit maximis ſucceſſibus.
Immenſa moles aggerum ſurgit polo,
Pelagoque reddit vertice ex alto minas,
Pedibusque fluctus proterit vanos ſuis.

Rex ipſe ventos Aeolus frenis tenet,
Arridet aether, omnia ex voto fluunt.
Quin et vetuſtis fertur ex oraculis,
Si poſſet iri ad usque promontorium,
Iactisque in altum molibus iungi caput;
Aeterna tutae fulcra regionis fore,
Felicitate provocantis ſidera;
Vicinaque aderant pignora ingentis boni.

Sed ecce fatis Nemeſis incumbit ſolo;
Megaera, Stygiis miſſa de vadis, vénit
Turbare mentes. Scelera pars ludum putat,
Alius ſaginam curat, et luxu fluens
In publica onera, quae parum ſentit, tonat.
Tu cuncta verti quaeris, ut rebus novis
Sublatus, habeas, vane, quas perdas, opes;
Teque ipſum in ipſis, quicquid et tecum trahes?
Venalis illic anima vendit patriam,
Omnesque flavis poſteros pro nummulis,
Nec credit, ipſi inſtare perniciem ſibi.
Iam rara vitam turba principiis agit
Rationis almae: cuncta pesſundat furor,
Multosque mens tenebroſa transverſos agit.
Conſurgit ingens fremitus, et populos movet,
Laſſos labore, fateor, et ſumtu gravi,
Sed non, ut annis pauculis reſtans onus,

Certae ſaluti debitum, ſani negent,
Ni caecitas pararet exitio viam.

Megaera, in agros fuſa, Tartareum boat:
„ Quid, ſtulte, vitam patriae donas brevem,
„ Veneresque vitae? Patria ſat ſtabit, ſcio,
„ Quum tu iacebis. Frúere praeſenti bono;
„ Nos noſtra, ſaeclum posteri curent ſuum.
„ Satis peractum eſt; aggeres tanti probant,
„ Monumenta noſtri magna venturis mali.
„ Quod ſi ſupremi meta promontorii
„ Nunc non adiri molibus iunctis poteſt;
„ Habeant et alii, quò vices noſtras agant.
„ Oracla fingunt, noſtra qui ſorbent bona.
„ Qui ſponte miſerum ſe facit liber, furit.

Temporibus iſtis proximam viciniam
Latè tenebat Flandriae potens Comes
Populis ſubactis. Ille fortunae invidet
Gentis propinquae, ſive virtuti magis.
Stimulat Megaera. Dominus, addictos regens,
Exempla libertatis aſſitae pavet.
Emittit ergo nuntios, auro graves;
Corrumpit animos, patria quîs vilis iacet,
Talesque paſſim voce rumores ſerit:
„ Sat tuta dudum litora habitatis, viri;
„ Quod vos metuitis, ſaecla vix centum dabunt;

„ Vt nempe Luna et Aeolus, Vahalis, Moſa,
„ Confoederentur cum tridentigero deo.
„ Ergo timetis, credo, ne coelum ruat.
„ Negligite vanos ominis vates mali.

Inter ea magnae Domina concilium vocat
Fatale Gentis. Ire defenſum boni
Populi ſalutem; ſibilare viperis
Furiale monſtrum. Fluctuant animi virûm,
Vt dubia, ventos inter oppoſtos ſtupens,
Ignorat unda, quem ferat dominum, maris:
Orator ecce, moribus ſanctis gravis
Meritisque, ſurgens talibus coetum ciet:
„ Eſt in propinquo meta, mox ſecuritas
„ Perpetua praeſto eſt, et vocat ſponſor deus.
„ Non abſolutus, recidet in vanum labor,
„ Vt Siſyphi, revolutus in barathrum, lapis?
„ Nox una vertet annis acta ter decem,
„ Fatalis hora reddet ubi terras mari?
„ Inſtate paulum; mox brevem conſtantiam
„ Finis coronat. Teſtor aeternum Patrem
„ Hominum deûmque; ſi manum remittitis,
„ Conſilia veſtrum prava recident in caput;
„ Minax tridentem iamque Neptunus quatit.
„ Celebravit olim patriae Graios amor;
„ Exempla Romana gravitas populis dedit,

„ Victoriam eſſe, cedere haud unquam malis.
„ Ratio ſalutem publico innectit bono.
„ Mox tempus aderit, ut ſacri vates canunt,
„ Europa quando iam prope accipiet iugum,
„ Virtus Britanna ni vetet cum Belgicâ,
„ Heroas actis provocans veteres novis.
„ Vbi perſeverant, hoſtis in leges vénit;
„ Sin vim relaxent, omnia in praeceps dabunt.
„ Age, civis, igitur; arduam ne deſere
„ Viam ſalutis, haud procul faſtigio,
„ Longique niſûs perde ne fructum ſemel.
„ Quis nuper ardor pectus animabat tuum!
„ Quàm pulcra verba, qui regunt aulam, dabant!
„ Cum ſe negabant cedere anterioribus
„ In proſequendo publici coepti gradu.
„ Cur tanta nunc promiſſa tam ſubitò cadunt,
„ Vnîus anni, nil retorquentis, morâ?
„ Quin aucta ſpes eſt: prosper adſpirat deus,
„ Ni nos moremur. Hoſtis in nobis latet,
„ Furorque ſaevit intus ex imâ Styge.
„ Ergo expiemur, et petamus coelitus
„ Mentem ſerenam, maximum munus deûm.

Eſt ipſa Virtus viſa per ſenem loqui,
Nebuliſque pulſis ſanitas animis redît,
Ni Furia rurſus artibus turbet novis.

Pſeudopropheta ſurgit, et, plebem levem
Iam faſcinatam caerimoniis tenens,
Pacem deorum ſpondet, et tuta omnia,
Si gens profana poſſit excludi ſacris.
Megaera ſufflans rurſus in mentes redit.
Iam pro ſalute publicâ nugas agunt
Peiusque nugis; alius in alium furit.
Pars ſanior recedit admonitu omnium,
Tenaxque libertatis a Belgis abit.
Per aliquot annos improbi clavum regunt,
Opinione iamque felices ſuâ
Spernunt piorum monita, et inſultant bonis.

Sed fata lento tacita ſurrepunt gradu,
Adeſtque tandem, cuncta quae vertat, dies.
Aequante Librâ noctis et lucis vias,
Ardere viſa Luna Neptunum vocat,
Furensque Caurus duplicat ponti metus,
Inſolitus imber alveos graditur ſupra,
Suspenſa in altum flumina haud ripas ſciunt.
Oceanus ipſe, fluctibus vaſtis tumens,
Minatur aſtris, et vetus tentat chaos.
Linquuntur animis accolae, et caſu ſtupent.
Inabſolutus agger obſtabat malè,
Tandemque cedens aequor admittit ſolo,
Latè ruina ianuam pelago facit.

Surdos colonus invocat ſerò Deos,
Fruſtraque palmas tendit ad coelum miſer.
Ipſa eſt fuga intercepta; diluvium redit,
Colles teguntur; quisquis his ſteterat, natat,
Et viva pereunt labe communi omnia.
Subſidit ipſa terra, fit totum mare.
Gentem fuiſſe, Hiſtoria vix triſtis docet,
Et quae tenuia indicia ſuperextant aquis.

Diluvium, at, o vos, quis cruoris, imminet,
Et ſub tyranno rege ſervitium grave;
Felicitatem ſpondet at ſumtus brevis,
Si ſuſtinetis coepta, quae coelum probat:
Attendite animis, fabula in vobis redit.
Pugnate monſtro, quando longinquum vénit.
Aperire peſti viſcera, inſana eſt quies.
Pax una vera eſt, fractus hoſtis; perfidus
Impune quam violare, ſi cupiat, nequit.
Quòd ſi monentes negligitis homines, deos,
Praecepta dabitis gentibus veſtro malo.
Qui pro ſalute eſt, neminem laſſet labor.

GODFR. GVLIEL. LEIBNITZ.

Exſtat quidem eximii hic ingenii fetus in Leibnitii Epiſtolis, a Korthoito collectis, vol. I p. 310: *ſed et paucis cognitus, et mendoſè editus.*

D. M.

THEODOSII,

LVSITANIAE PRINCIPIS.

Qualis in Heſperium, nocturna cubilia, pontum,
Emenſus aſtrorum vias,
Praecipitat Titan, mox fluctibus exit Eois,
Crinem repexus igneum,
Pulcrior, auratoque diem vehit axe recentem,
Et noctis umbras disſipat;
Talis Theudoſius, clarorum ſanguis avorum
Vtramque per ſolis domum,
Virtutumque paternarum non degener heres,
Et grande Luſiadûm decus,
Occidit, et, raptus primaevae flore iuventae,
Vnà parentis arduas
Spes ſecat, et moeſtas damnat caligine gentes,
Et regna divitis Tagi:
Nec mora; ſtellantis ſurgit novus incola mundi,
Pictosque flammarum globos
Calcat, et immenſi tractus ſpeculatur Olympi,
Incertus, an ſidus novum
Occupet Herculei radiantia terga Leonis,
Aequamne Libram Virginis;
An fratres Helenae geminos, an Orionis ignes

Accendat aemulâ face.
Sed titulos quaecunque tuos plaga lucida coeli,
Quaecunque nomen ſidera
Accipient, certè patriis ſublimis ab aſtris,
Auguſte Princeps, ſubdita
Nunc pedibus tua fata vides, ſortemque tuorum
Et ſceptra curas regia
Deſuper, et, ſi certa fides, ſi doctus Apollo
Vatum ſecundat omina,
Iam, mixtus Superis, calidâ prece numinis iras
Franges, et auri ſaecula
Prima Tago referes, qui nunc malè decolor undas
Cruore cognato trahit;
Et conſanguineos in mutua foedera reges,
Amica pacis foedera,
Reſtitues, ac bella procul, quà Boſporus audax
Ignota committit freta,
Vertet ab Heſperiae populis in cornua Lunae,
Votis tuis motus, Deus.
Tunc Solymas arces, et Thracia ſigna, profanis
Derepta Bizantî tholis,
Legibus Auſoniis victrix reparabit et aris
Bellantis Europae manus.
Haec tua nunc virtus, et, adhuc dum vita manebat,
Iurata, promittit fides.

FERDINANDVS FVRSTENBERGIVS.

IN OBITVM

DANIELIS FARSETTI.

Scriptor carminis elegans Etruſci,
Phoebi, et Pieridum integer ſacerdos,
Frater, delicium meum, meumque
Cor, te mî rapit Atroposque acerbo
Funere, Elyſias agitque ad umbras.
Heu! fratris miſeri miſelle frater.
En iacent tabulae, atque penicilli,
Et laetus color, et leves figurae;
Quîs tibique tuisque comparabas
Nomen perpetuis perenne ſaeclis;
Eburnae et ſonitus lyrae loquaces
Silent, et digiti rigent diſerti,
Vnde ad te omnia vocibus trahebas,
Etſi ſenſibus intimè carerent;
Sicut Threicius poëta quondam
Cantu et carmine ſaxa convocavit,
Et ſilvas prope ſe arborum comantes:
Sed tu iam occidis, a tuis abisque,
Heu! fratris miſeri miſelle frater.

1787. IOSEPHVS FARSETIVS.

AD FRANCISCVM SZILAGYI.

Szilagi, iuvenum eruditiorum,
Leidanae ſacra qui litant Minervae,
Flos nunc, mox patriae decus future,
Iam quae te cupidis vovet lacertis
Amplecti reducem, datura dignos,
Doctis quos ſtudiis meres, honores.

Ergo linquere nos paras, amice!
Ad nos haud rediture forſan unquam;
Quem modeſtia, candidique mores,
Libertatis amore pectus ardens,
Graiae non levis aura quem Camenae.
Romani bona carminis facultas,
Tam carum mihi fecerant, ut ulnis
Aegre te patiar meis revelli.

I, Francisce, tamen; beatus ito,
Quò res, gloria quò vocat cupitum;
Exemplo, monitis, tuos doceto
Doctrinam Veterum ſeveriorem:
Eſt nobis animus, bono ſodalis
Qui ſuum nequeat bonum anteferre.

1791. SANTENIVS.

AD CASP. IOAN. WENCKEBACH.

Care mî ſociis in eruditis,
WENCKEBACHE, meos ades Penates
Aut cras, aut hodie, perendieve,
Hora veſpere ſexta cum ſonabit,
Noſtri temporis hora, non Latina:
Nam tibi cupio referre, quod te,
Muſae, ſcire, meae tuaeque refert;
Neu nimis pereat tuae meaeque
Muſae temporis, hora cum ſonabit,
Abi, ſeptima; non morabor ultra.

1791. SANTENIVS.

ELEGIACA.

AD FRANCISCVM MELCHIOREM, OPITERGINVM.

Ille Opiterginam fluvius qui dividit urbem,
Adriacae currens Doridis in gremium,
Cur ſolito uberiùs crevit ſpumantibus undis?
Cur tumidus ruptis exiit aggeribus?
Non madidus plenas effudit Aquarius urnas,
Cana nec effluxit nix liquefacta iugis.
Cauſam habeo: lacrymis auxiſti, Melchior, amnem,
Dum luges omni tempore Marſilium.

HIERONYMVS AMALTHEVS.

IN PERISTROMATA.

Cernite, naturam ut manus eſt imitata magiſtri,
Si non naturam vicerit ille tamen.
Quàm lepida haec nemorum facies! quàm frondibus arbor
Denſa viret! querulas nonne videtis aves?
Praeterea variis animantia plura figuris,
Quaeque fugit tremulo garrula lympha pede.

Quem non alliciant igitur cultiſſima templa,
Perpetuam aeſtatem nulla ubi trudit hyems.

INCERTI ITALI.

D. M.

GEORGII RATALLERI.

Te meritò proles flent, et dolet uxor ademtum,
Ratallere! tuae gloria prima domûs.
Te luget, quicquid Phoebo Muſisque dicatum eſt,
Et quicquid Themidem Iuſtitiamque colit.
Nam, quòquò adſpicias, ita te Natura bearat,
In variaeque favens duxerat artis opus,
Vt non unîus fueris pars magna Senatûs,
Et praecellentis primus honore togae.
Sed quid agant? ſuperanda gravis iactura ferendo eſt,
Nec ſuprema poteſt ire redire dies.
Ereptus terrae, miſeri contagia mundi
Fugiſti, et quicquid triſtia fata trahunt;
Fugiſti, et vegeto hora tibi vitamque necemque,
Non id opinanti, curta brevisque dedit.

Ex Cod. MS. ARN. BVCHELII.

D. M.

HERMOLAI BARBARI.

Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem,
Barbarus hìc ſitus eſt; utraque lingua gemit.
Vrbs Venetûm vitam, mortem dedit inclyta Roma;
Non potuit naſci nobiliusve mori.

ANGELVS POLITIANVS.

D. M.

DANTIS.

Exiguâ tumuli, Dantes, hìc ſorte iacebas,
Squallenti nulli cognite paene ſitu;
At nunc marmoreo ſubnixus conderis arcu,
Omnibus et cultu ſplendidiore nites.
Nimirum Bembus, Muſis incenſus Hetruſcis,
Hoc tibi, quem in primis hae coluere, dedit.

BERNARDVS BEMBVS.

IN

SICCI

COMPENDIVM DE BALNEIS.

Vos, quos languor edax, quos opprimit arida tabes
Quorum funeſtas mors cubat ante fores;
Mergite vos undis, latices haurite ſalubres,
Exuite his diram fontibus illuviem.
Excipiet vos alma Salus rorantibus ulnis;
Illa colit rivos, illa tuetur aquas,
Quas ita Paeoniâ Siccus virtute recluſit,
Vt pede Caſtalias Bellerophontis equus.

IVLIVS AMALTHEVS.

THEODORICO SANTENO,

AERARII SCRIBAE.

Santene, haud uno carus mihi nomine; primùm,
Commune ambobus quòd genitale ſolum;
Deînde, quòd affinis tutor tibi, conſilii uſu
Iampridem Delphis cognitus ille tuis;
Qui, modò ſupremi mecum pars magna ſenatûs,
Lumina Iuſtitiae ſplendidiora facit.
Quid? quòd amicitias mecum ſortitus easdem,
Teutonis in primis quas dedit ora tibi.
Adde, ferè ſtudiis quòd delectemur eisdem;
Fruteriique frequens nomen in ore tuo eſt;
Fruterii, mea quo pubertas uſa magiſtro,
Qui mihi pro doctis omnibus unus erat;
Nunc deſiderium ſupereſt: periere labores;
Scripta latent: ubi ſint, quaeris? Obertus habet;
Ille habet, et noſtros furto intercepit amores;
Doctrinae heu fructus quàm brevis ille fuit!
Hoc nocuit fidei nimium fidiſſe Sicambrae:
Miraris? minimè ſuſpicioſus erat.
Edita pauca tamen, quae, noſtro excepta labore,
Evaſère tuas, unca Laverna, manus.

Et bene habet; plura his etiam ac meliora ſuperſunt,
    Lucem adeò quae iam cernere tempus erat.
Hoc quòque Fruterio dabimus, maiora daturi,
    Archetypi ipſius copia ſi qua foret:
Burenus prohibet, Scythici ut cuſtodia luci
    Ille draco, Alciden quem necuiſſe ferunt:
Nec plus Fruterio Critice ſua debet, Oberto
    Quàm plagia, et laevâ docta Laverna manu.
Haud ignota loquor: hominum volat ecce per ora,
    Vſu etiam nuper cognitus iſte tibi;
Errorum cui tot nebulas offudit, ineptus
    Ad Themidis callem dum tibi monſtrat iter.
Caetera praetereo, nuper mihi cognita primùm
    Indice te; nec opus, me hìc iterare tibi.
Quò magis afficiar, docti facit uſus amoris:
    Nec caſu datus hic, ſed ratione, fuit;
Tempore iam ex illo, quum me meus impulit ardor
    Collegî proceres ſollicitare tui:
Quò? niſi uti nobis ſacraria veſtra paterent,
    Boiorum aſſervant quae monumenta Ducum.
Quaeſtorum accepti tabulas loquor expenſique,
    Notitiam priſci temporis unde petas.
Hìc tua ſedulitas uſu mihi cognita primùm:
    Heu! cur nota mihi non priùs illa fuit?
Eſt aliquid faviſſe operi, tantamque librorum
    Vim veterum latebris evoluiſſe ſuis:

Maius opus, ſociaſſe operas ad ſigna frequentem,
Auxiliis nec nos deſtituiſſe tuis.
Bernardo neque parva tuo laus debita, certè
Officio parcus non fuit ille ſuo.
Sic currenti etiam calcaria ſubdita Donſae;
Dummodo ſic, nullo tempore ſegnis ero.
O quanta hinc (gratare tuo, Santene, favori.)
Affulſit Chronicis lux inopina meis!
Et Patriae hanc gratere, licet: caligine victâ
Iam glaucoma oculis fûgit ab omne meis;
Boiorum quâ parte Duces ea ſcrinia tangunt,
Certiùs hos ſiquidem non aliunde petas.
Nam, Comitum Hannoniae quòd res et tempora quaeras,
Aut et Aquitanae ſtirpis ephemeridas,
Infelix operam perdas: unum excipe Quarti
Galielmi, Solymos quod puto fecit, iter.
Hannoniae hoc de tot Comitum Rationibus unum
Archivis, etiam ſcis, ſupereſſe tuis:
Margaridis ſiquidem periere diaria nobis;
Gulielmi pariter tot monumenta Ducis,
Ex re cui meritum Furioſi nomen adhaeſit,
Haud verito matri bella movere ſuae.
Quàm tunc paene ſuâ heu patria obruta mole! priusquam
Monſtratus fatis, Adeleberte, fores.
Scilicet Hamati hinc, et Aſello nomina piſci
Quae debet, noſtrae Factio nata domi;

Stirpe domos quae tot procerum ſuccîdit ab imâ:
    Imperii tantum dira cupido poteſt.
Non ita, ſucceſſor factus qui denique fratri,
    Curator fuerat cui datus antè, ſuo:
Eſt aliquid, medium eſſe ſuis; hac inclytus arte
    Patre ſuo Princeps Caeſare dignus erat;
Qui reliquis hac parte etiam feliciter audit,
    Multa quod Alberti pagina nomen habet.
Tantùm, plura huius ſupereſſent fercula coenae,
    Optarem, Martis hauſta per ingluviem.
Haec eadem paſſus Gulielmus damna; fuiſſe
    Iacobam fato nec meliore putes.
Hinc rerum ſeries hiet interrupta neceſſe eſt,
    Notitiae necdum quae patuere meae.
Quanta, vides, facta Hiſtoriae diſpendia, ni fors
    Traiecti, aut alibi nunc etiam illa latent;
An, compingendis hinc tegmina nata libellis,
    Neſcio quis pretium bibliopegus habet.
Neſcio quid certè eſt;puto et, hìc quae plurima deſunt,
    A Traiectinis nunc quóque poſſe peti.
Fallor, an et plures tua celant ſcrinia libros?
    Quae nobis uſu non modico eſſe queant.
Hos ſi non Douſae, Archivi cui credita ſumma eſt,
    At Patriae ſaltem gratificare tuae.

IANVS DOVZA.

D. M.

TOBIAE DE COCVE,

AGGERVM BAMESTRAE PRAEFECTI, SOCIETATIS INDIAE OR. ADVOCATI.

Ingenii fandique potens, quo vindice legum
  Innumeri gaudent ius tenuiſſe rei;
Qui docuit multo nuper te piſce natatum
  Fecundo ſegetem ferre, Bameſtra, ſinu;
Cuius ad extremas vênit prudentia gentes,
  Sub pedibus noſtris quas polus alter habet;
Ne foret Hispani provincia, quisquis Eoum
  Aequor odorato mergite perflat ager:
Res tantas meditans, et par maioribus actis,
  Cocuus eripitur, terra Batava, tibi.
Civis obit; flemus te, patria: nam ſibi civem
  Quem melior ſcripſit patria, flere nefas.

1618. HVGO GROTIVS.

IN SIGISMVNDVM.

Ne vel fata queant ſua rumpere vincla, mariti
Inſilit Euadne commoritura rogo.
Porcia letales in fauces ingerit ignes,
Et ſequitur fortem, fortior ipſa, virum.
Altera ſe flammis, ſibi credidit altera flammas;
Illa ſibi buſtum ſtruxit, et illa fuit.
Ingentes animae! propriis ſi viribus uſae
Vel dolor hoc veſter, vel potuiſſet amor.
Vnicus ereptos flens Sigismundus amores,
Noluit, alterius muneris eſſe mori.
Vtque genus purum hoc leti non improbat, ignem;
Sic quóque vult, flammis ſe ſuperare ſuis;
Et ſoli debere ſibi, debere maritae
Digna ſuae fatis funera, digna ſuis.
Sic proprio fracti cecidere dolore dolores,
Occubuitque ſuis ignibus uſtus amor;
Quasque torus flammas modò ceperat unus, et una
Conſumtis cineres ignibus urna capit.

HVGO GROTIVS.

IN EFFIGIEM

HVGONIS GROTII.

Depoſitum coeli, quod iure Batavia mater
    Horret, et haud credit ſe peperiſſe ſibi,
Talem oculis, talem ore tulit ſe maximus Hugo;
    Inſtar crede hominis, caetera crede dei.

Editum 1614 DAN. HEINSIVS.

IN THESES IVRIDICAS

PHILIPPI PALVDANI.

Grata Paludanus navae ſpectacula pubi
    Impiger (exemplo turba favete) parat.
Exhibet exiguis ingentia munera chartis,
    Theſauro Legum munera promta ſacro.
In cathedram ſublimis abit, telisque petitus
    Vltro adverſantes parcere nolle rogat.
Quodcumque obiicias nodoſum aenigma, diſertè
    Explicat, et doctis ſolvitur ora ſonis.

Errores cedunt domiti, ſubverſaque dictis
 Falſa iacent; Vero plurima palma datur.
Alcides Libycâ nil fortius egit arenâ,
 Non potior Caco victor ab hoſte redit:
Latronem, eſt aliquid; Fraudem ſtraviſſe ſed ipſam,
 Ipſam Iniuſtitiam pellere, maior honos.

IOAN. FRED. GRONOVIVS.

AD FRANCISCVM DOVBLETIVM

IVRISCONSVLTI TITVLO ORNATVM.

Franciscus primo generoſae flore iuventae,
 Dum ludum aetati pars dare magna ſolet,
Pallados accepit ſignum numerosque ſeverae,
 Et didicit, iuſto quae ferat arma foro;
Ille quidem clari referens documenta parentis,
 Imperii quo ſtat ſospite ſalva fides,
Cui bene commiſit communis Belgica gazam:
 Sufficit immenſis ſumptibus arca potens;
Nec vel Achaemenio collata impendia bello
 Lyſimachi gnato credidit Hellas ovans
Tutiùs, aut Cypriis Iunoni claſſe Monetae

Porcius Ionium per mare vexit opes.
Nec levior ſtimulus patrii patruelis imago.
Nemo tribunalis religione prior;
Omnis et exculto ſub pectore docta vetuſtas;
Potaque perpetuâ Caſtalis unda ſiti;
Nec tam diſpoſito ſatis unquam longa ſupellex
Muſica, ſed quovis gratior aere liber;
Nec, quàm de priscâ, ſermo iucundior, arte,
Aut, nunc quid ſtudiis efficeretur, erat.
Hos ante ora ferens, pulcris Doubletius uti
Exemplis. luxus ſegnitiesque procul.
Luminaque in chartas, in leges mergere mentem:
Hoc agit; hoc unum ſedulus urget opus.
Sic impenſa dies; nox continuata diei,
Parcaque vix reficit membra ſopore quies.
Virtuti ſuccrescit honos: nunc infula; mox quos
Publica res tribuet fertiliore manu.

IOAN. FRED. GRONOVIUS.

IN ISENDOMIVM,

VERBI DIVINI INTERPRETEM.

Non hìc concutiunt quercus Dodonides aera,
  Conſilia in populos credita ferre Iovis;
Delphica non tripodem rauco ſpiracula complent
  Murmure, nec iactat Phoebas anhela deum;
Non de cornigerâ reſpondent fronte Cyrenae;
  Nec latrat Pharius fata verenda canis.
Cedat agyrtarum mendax fallacia, quorum
  (Triſte!) ſuperſtitio publica quaeſtus erat.
Templa vides, ſolo Veri ſplendentia cultu,
  Et tantùm ſapiens hìc pius orat opem.
Numen ineſt Ratio; nullo ſtat forma metallo;
  Regina eſt mentis, pectoribusque ſedet.
Sanguine non vivo, non ture altaria fumant.
  Adſenſu colitur; ſatque merere fidem eſt.
Convenit interpres gravis Iſendomius. ille
  Ore canit ſacro carmina plena deâ;
Quo nemo interiùs Sophies arcana ſubivit,
  Cui grege Socratico plena mamilla ſalit;
Quo nemo ambiguos melior diſſolvere nodos,

Quo lucem veris addere nemo prior;
Sidera cui coelum, tellus ſua viscera pandit,
Atque aperit vaſtos Tethys avara ſinus;
Quem tibi non totum concedi, Epidaurie, moeres,
Et Cous comitem flagitat usque ſenex;
A teneris cui pectus Hyanteae Aganippes
Mnemoſynes crebro proluit amne genus;
Cui nemo niveâ par ſimplicitate fideque,
Nemo magis cordi conſona labra movet.
Hunc, tibi dum, lector, provisa oracula pandit,
Et templum et myſten Numinis eſſe, puta.

IOAN. FREDER. GRONOVIVS.

D. M.

HENRICI A. F. PLOSII AB AEMSTEL.

Qualis Phoebeos promittens Lucifer ignes,
Praeclarâ ſuperat ſidera plena face,
Occaſuque cito perituros auget honores,
Et breve, ſed cunctis ſplendidiusque, micat:
Amſtelius pariter iuvenis discrimine morum
ſigni aequaevum vicerat omne decus;
Ante annos roburque docens, mentemque virilem:

Ante annos patriae maxima cura piae;
Nobilior ſoboles et ſpes rariſſima gentis;
Et qualem magnus iuſſerat eſſe pater;
Et qualem Heinſiadae finxit domus, ipſaque viſum
Gallia mirata eſt, non tamen illa diu.
Invidit Lacheſis, frugemque in flore recîdit,
Ne, citò quod fuerat, cerneret eſſe diu.
Sed multum ſupereſt; et tu, dea, parce triumphis:
Nam dare, quàm talem tollere, maius erat.

1639 IOAN. FRED. GRONOVIVS.

LITES ANGLO-BATAVAE.

Certè de lanâ non eſt lis noſtra caprinâ,
Rixa nec exiguis clauditur iſta locis.
Africa quas gignit, quas dives America merces,
Atque Aſia, indomitâ captat uterque manu.
O! tribus his ſe contineat Mars partibus orbis,
At pacem Europae ſit violare nefas!
(*)

(*) *Hoc Epigramma cum octo ſeqq. incertum Auctorem habet; haud ſcio, an* CONSTANTINVM HVGENIVM.

SATISFACTIO.

Belga, ſatis fieri; fieri ſatis, Angle, tibi vis;
 Multum de damnis clamat uterque datis.
Dicite, quid ſatis eſt? hominum ſine fine cupido eſt;
 Saepè nimis, nunquam dat deus ipſe ſatis.

AD HOLLANDVM.

Navibus Hiſpanum, domuiſti navibus Arctum,
 Reſpicit et leges Indus uterque tuas,
Candida perpetuo tibi foedere Gallia iuncta eſt,
 Mercibus atque auro tecta ſuperba fluunt:
Quid trepidas ſolosque times, Hollande, Britannos,
 Queis tuus inſultans navita ſaepè fuit.
Si refugis coeptisque tuis non graviter inſtas,
 Anglo colla dabis; riſerit Arctus, Iber.

PACTVM MARINVM.

Alterius, proprias non, naviget alter ad oras,
 Farraque procurvâ non ſua falce premat,
Regula certa mari ponatur, terminus undis,
 Portibus et ratibus ſint ſua pacta ſuis:
Nulla fides chartis, mihi credite, nulla ſigillis;
 More potens leges explicat usque ſuo;

Candida nigra vocat, tenebrasque micantia luce;
Iuſtior eſt, quisquis fortior arma tenet.

CAVSA BELLI.

Pruritum belli obiiciunt roſtratibus Angli,
Angligenis nos hunc verius obiicimus;
Culpam illi nobis, nos culpam imponimus illis,
Pro ſe quisque deum iuraque ſancta vocat:
Nos plagam, plagamque feri meruere Britanni;
Si qua fides veris, plectet utrosque deus.

PAX NON OPTIMA RERVM.

Vtilius bellum eſt; pax non eſt optima rerum:
Hoſtis ubi parcit, ſe malè mactat homo.

GVIL. NASSAVIVS IMPROVISO SCLOPETI ICTV SE INTERFICIENS.

Et pater et frater ferro periere: ſed illos
Abſtulit hoſtilis dextera, meque mea.
Nusquam tutus homo; fruſtra peregrina cavemus;
Saepè domi mors eſt: te, procul hoſte, time.

1664.

AD EVNDEM.

Ipſe tuâ tibi fata manu cum fortè citaſti,
Cuncta ſtupore reples, cuncta dolore moves.
Aſſiduè luxu nimio cum fata citamus,
Attonitus noſtro funere nemo ſtupet.
Quod tu feciſti, facimus vulgariter omnes:
Tu ferro, innumeri ſe necuere gulâ.

PRINCEPS AD FRISIAM.

Iam capite avulſo quid de te, Friſia, dicam?
Ipſa tamen rebus vis ſupereſſe tuis.
Quae te concordem ſervavit fida tot annis,
(Ne tua te perimat dextera,) noſtra monet.

FREDERICI HENRICI,

PRINC. ARAVSIONVM,

ANNI TRIVMPHALES.

1625. Vt rem Belgarum Bredaeque affligere civem
Mauritio potuit ſors ſemel atra duci;
1627. Praebuit Henrico, fratri cum laude negatas,
Cincta ſuo circum ceſpite, Grolla manus.
1629. Sylva, ducum domus, et Venetûm ſoror aemula Sylva,
Sylva, natans medio gurgite, rapta fuit;
Has Poliorcetes obiectâ mole coëgit,
Has, quaſi Neptunum Marte, fugavit aquas.
Forti fraude, dolo bellace, levi momento
Veſaliam patriae reddidit atque ſibi;
Velaviam patriae atque ſibi. Cum claſſe ſubactâ
Hiſpanas nullo ſanguine cepit opes.
1631. Naufrago et armato vitam donavit Ibero,
Ne, quam conficeret, turba nec ulla foret.
Mille triumphanti navalem fronde coronam
Captivi madidâ compoſuere manu.
1632. Solvit ad hoſtilem flatu duo vincula Moſam,
Venlonae accubuit ſtrata Rumunda ſuae;
Tertia, laſſatis Ledaei Caſtoris armis,

Traiecti ſubiit pontis habena iugum:
Denique, nec praeſens, praerupto monte ſuperbam,
Limburgum ferro fecit et aere ſuam.
33. Addidit Orſoviam nutu; conamine Bercam,
Quo pavidas Rheni paene retorſit aquas.
35. Harum capta brevi furto divortia, furto
Fortiùs, ac dicto promptiùs aſſeruit.
Post tantos ſine nube dies, ſine labe triumphos,
Quorum quisque ſtupor poſteritatis erit,
Ne fuerit, quae magna fuit, quae maxima, virtus
Naſſavidûm, ne vis ultima militiae,
Breda fame ſuperata, fame, moribunda, videndi
Victorem Dominum nunc quóque victa foret.

CONSTANTINVS HVGENIVS.

NIC. HEINSIO

S. P.

Cura novem divis; o, quem colis, aemule Phoebi;
Praeficiende ſacro, ni foret ille, choro;
Aequature patrem, cuius ſuper aethera nomen,
Saeclorum domitrix, fama perennis aget,
Si non praeceſſure, puer; laudesque parentis,
Et vivum terris exhibiture ſenem,

Tunc quóque, cum, ſuperas nactus, ſua praemia, ſedes,
Accedet merito lucida ſtella polo;
Et tibi communes ſoli tribuemus honores,
Alteriusque Helicon culminis orbus erit:
Accipe non aequis adeò congeſta Camenis
Paucula, amicitiae primſula coepta novae;
Cuius erit nobis ſanctum et venerabile nomen,
Dum coelo Pindus culmina celſa feret.
Nil ego prae tantis optarim ſanus amicis;
Non, mihi ſi gemini Iupiter orbis opes
Conferat, aut Lydae ſint libera vota tiarae;
Cedat amicitiae Lyda tiara meae.
Hanc ego Caeſareis poſſim conferre triumphis,
Componam titulis, Graie monarcha, tuis.
Cedite, quis vanus noſtro praeponitur ardor,
Commeriti duros ſemper habere deos.
Caeſareae lauri, Pompeianique triumphi,
Illa ſuper ſtellas ſplendida facta ducum;
Quid praeter flendos flentesque dedêre parentes,
Aut praeter viduas quid peperere nurus?
Nos colimus placidas, nec inertia numina, divas,
Commeriti ſimiles ſemper habere deos.
Nobilis Heinſiade, magni reverentia patris,
Et tua me virtus, et tua fama loquax,
Compulit has, animi teſtes, ſignare tabellas;
Accipe devotae parvula dona manûs,

O iuvenis praeclare, cui ceſſure virorum,
  Donaſſent talem ni tibi fata patrem?

1644. CONSTANTINVS HVYGENS.

NICOLAO HEINSIO

CONSTANTINVS HVGENIVS DE ZVLICHEM

S.

Quas Ferdinando duplici pro munere grates,
  Heinſiade, dudum debeo multiplices,
Reddere quòd ceſſo, non eſt ignavia; non eſt
  Ingenui torpor neſcius officii:
Succumbunt oneri vires; nec, praeſule ſummo
  Digna, valent laſſae prodere verba manus;
Perſtringunt oculos tantae virtutis in uno
  Splendor et ingenii gloria tanta viro.
Heinſi, noſter amor, miſerere fatentis amici,
  Muſarumque diu ſegnis ad arma ſenis;
Interpone tuas operas, ſuccurre potenti
  Eloquio, et quâ ter maximus arte vales;
Sive libet vincto verſum pede, ſive ſoluto

Legibus, et quali Tullius, ore loqui.
Elige, quâ placeat; nullâ non dote placebis,
Nulla patrocinio non erit apta meo.
Redde viro Hollandas grates, de pectore natas
Nempe meo, Hollando pectore, candidulas.
Adde, (quod ex imis, teſtor, manare medullis)
Ni Patrios turbent arma nefanda lares,
Me Paderae fontes, me Principis ora ſtupendi
Viſurum propero praecipitique pede;
Cuius in his Venerem libris amplector, adoro,
Horreoque, et veterum duco cuïque parem.
En, erit illa dies, quâ, feliciſſimus hospes,
Caſtalio poſſim fonte levare ſitim?
Scilicet ut toto me flumine Furſtenbergi
Proluam, et excelſi proſequar oris epos?
Si quid ab obſcurâ ſperari nocte futuri,
Dispenſata dei numine fata ſinunt,
Ibimus, Heinſiade; modò non invitus eunti
Vel pede vel calamo, proximus ire pares.
Elige nunc etiam, calamo an pede iunctus amico,
Malueris, comes, an non comes eſſe viae.
Nempe tuâ quâvis operâ, quâcunque ſub umbrâ,
Furſtenbergiacam tutus adibo domum.
Si te praeſentem neque tu nec epiſtola praeſtat,
Aegide me qualicunque Poëta tegam.
Aegide quâ cenſes? quâ nil monſtroſius aetas

Vidit apud Belgas priſca, nec iſta videt;
Codice nimirum, quô me vernaculus auctor
Livori expoſitum non bene ſanus eo;
Codice, qui libris, immani mole moleſtis,
Sacra novem triplicat nomina Pieridum;
Hoc umbone, puta, frontemque oculosque pudentes
Muniam, et obducto vertice congrediar.
Accipe, quà diſcas; addam, quàm prodigus illas
Aureolas in me dilapidâris opes;
Accipe et obſerva, quàm, cui tua munera dones,
Non poterat noſtrâ vilior eſſe manus.
Magne vir, hoc tanti eſt, quicum commercia nectas,
Noſſe, cuï pandas limen Amicitiae:
Doctior es multis, nemo te: diſce, quid ex me
Proficias; iam te doctior eſſe potes:
Doctior, ingemino, quia cautior, et malè ſparſo
Rumori poſthac fidere difficilis.
His properè dictis, Heinſi, veſtigia porro
In Patriam retro verſa repentè feram.
Scilicet abſentes leviùs cenſoria tangit
Virgula, praeſentes quàm ſolet illa reos.
Barbarus eſt Paderae ſermo tuus, exterus, inquis;
Extero et in ventos irrita verba dabis:
Eſto; librum dedero, quem Furſtenbergius, olim
Omnia qui lêgit, ne legat, ipſe velim.

Barbarus ut fuerim, iam non ingratus habebor;
  Omnia qui nequeam, ſi volo, paene dedi.

* * *

Dum loquor, affertur dirus de milite rumor,
  Proxima quô Patriae ſinibus arva tremunt.
Obmuteſco. nihil noſtris cum Marte Camenis.
  Non volo, non libet his addere plura. vale.

1672.

AD NIC. HEINSIVM.

Ad Palerae fontes quid agit meus Heinſius? ecquid
  Furſtenbergenſi non gravis hoſpes hero
Asſidet, ac doctis avidam ſermonibus aurem
  Implet, et impleri ſentit amatque ſuam?
Ecquid apud magnum non dedignatur amicum
  Et noſtri leviter nominis eſſe memor?
An nihili ſumus abſentes, nec quae ſit habenda
  Obliti ratio ſuppetit Hugenii?
Ille quidem ſenio et ſibi vim facit, et pedes ad vos,
  Ignotum pedibus, non pede tentat iter;
Claudis, ecce, malis pedibus, non qualibus, Heinſi,
  Non, Furſtenbergi, qualibus ire ſoles,

Qualibus, hunc orbem ſolitus percurrere, tandem
Veſter et ad coeli ſidera tendit honor:
Sed Patriis, ſed cum Patriâ languentibus, eheu!
Indignis Patriâ ſe lacerante modis.
Addite, quòd ſtrictis miſerè mucronibus inſtat
Coniuratorum foedus utrinque furor,
Coniuratorum (pudeat diademata!) Regum;
Cui malè perdendae par foret una manus.
Has inter Populi Patrumque animique procellas
Quae vacet, aut faveat Muſa miſerta mihi?
Nulla favet. lyra conticuit, flentesque Camenae
Afflictum trepidae deſeruere ſenem.
Quod potui, en nugas ſenii ſimul atque iuventae
Vno terribili codice compoſui;
Vt ſemel hic ceſſem doctos obtundere: de me
Nempe nihil poſthac, quod timeatis, erit.
Nunc quoque, ne dicar falſi reus, et nova veſtris
Auribus inſultet garrulitas, taceo.

1672 CONSTANTER.

AD FERDINANDVM, EPISCOPVM PADERBORNENSEM,

CVM POESI MEA BELGICA.

Suſcipe, ſumme virûm, ſedes ubi fata quietas
  Oſtendunt Muſis, ſi patiare, meis.
Suſcipe perculſas: fugiunt lituosque tubasque,
  Duraque virgineis auribus arma virûm.
Serva turbato profugam cum vate catervam.
  Hujus ſit hic longè Hudſius inferior
Inferiora peto: ſi non licet hoſpitis eſſe,
  Exulis ad Paderam ſufficit eſſe loco;
Nempe, cuï tecum dederis conſueſcere, tali
  Quis non in portu naufragus eſſe velit?

1672. CONSTANTER.

CONSOLATIO AD HISPANOS, HVLSTA EXVTOS.

Capta quòd Auriacis acceſſerit Hulſta triumphis,
  De cute non actum credis, Ibere, tuâ.
Quid lacrymis fruſtra muliebribus aſtra fatigas?
  Dî bene non merito conſuluere tibi.

Fraude tenes, quaecunque tenes, furtoque doliſque:
 Perdere ſic etiam tot bona dignus eras.
Si fuit in fatis, ut aperto Marte perires;
 Auriacâ laus eſt quanta perire manu!
Vix poteras coelo ſuperiſque beniguiùs uti:
 Nam bene dilabi non bene parta vides.

1645. NIC. HEINSIVS.

IN ORATIONEM
SIMONIS GAKELII
DE OBSESSA ET LIBERATA VRBE LEYDA.

Cum, populaturus formoſae moenia Leydae,
 Ferret in aeternos Cantaber arma lares,
Invius undantem Rhenus contraxerat alveum,
 Cumque ſuo tellus flumine clauſa fuit.
Douſa pater riſit, medioque interritus hoſte
 Aut hos, aut ſimiles protulit ore ſonos:
Quid mihi cum tellure, meus dum ſufficit aether?
 Ille vel invito ſerviet hoſte mihi.
Sola ex ſe genitis tellus patet, invia nobis:

Non alio claudi limite debet Iber.
Caetera ſint hoſtis. Libertas quaeritur iſtâ,
Quâ tantùm Mauris non licet ire, viâ.
Audierat, dextrumque Venus ter ſternuit omen,
Iuſſit et augurio pondus adeſſe ſuo.
Ille, columbarum vectus per inania pennâ,
Saepè requirebat Principis arma ſui.
Saeva fames licet immineat, nil detrahit illa:
Paſcimur ingenio, maxime Douſa, tuo.
Quid faceret deluſus Iber? concedere iuſſus,
Nil niſi materies vatibus ille fuit.
Scilicet ex illo Hollandi per inhoſpita coeli
Tollimur, et famae gens ſatis apta ſumus.
Hoc Douſae, mea Leyda, tui eſt; quòd ſponte miniſtras
Ingenio vires eloquioque ſuas.
Nunc quoque Palladiae, Gakelius, incola terrae
Tam ſacri Genium ſentit opemque loci.
Felix illa quidem eſt, cuius, poſt ſcripta ſuorum,
Geſta peregrino, contigit, ore cani.
Quos tibi, Gakeli, mea patria ſolvet honores;
Munera pro tantâ quae pietate dabit?
Civibus intumeant aliae, et ſua nomina iactent;
Plus, licet externo, debeat illa tibi.

NIC. HEINSIVS.

IN MAGNVM GALLIARVM DELPHINVM NATVM.

Regia Borbonii ſoboles, celeberrime rerum,
Et, quanquam ſerò, grande parentis opus;
Veniſti, toto mul ùm exſpectatus ab orbe;
Tantaque praeceſſit gaudia victus Iber.
Veniſti tandem, dum, tot conſpecta triumphis,
Gallia victrices tollit in arma manus.
Caeſareas aquilas, et funera claſſis Iberae,
Auſpicii, genitor non negat, eſſe tui.
Haec ſunt prima tuis praemiſſa crepundia cunis;
Haec tibi naſcenti gloria prima fuit.
Deſinat Herculeos mirari Iupiter ortus:
Talis in Alcide non fuit ille ſuo.
Quàm bene nutanti poteris ſuccurrere mundo,
Qui, nondum natus, tum quóque victor eras.

IN CLASSEM HISPANORVM PROFLIGATAM A

MARTINO TROMPIO.

Straverat indomitâ Maranus claſſe profundum,
Et tectum aëriis molibus aequor erat;
Puppibus obductum latuit mare; vaſtaque circùm
Aggeribus ſtabant ceu vada preſſa ſuis.
Ipſe pater mediis Neptunus inhorruit undis;
Turbaque Tritonum, Nereidumque chori,
Caeruleum toto fugiſſe Palaemona ponto,
Seque ſuis, perhibent, occuluiſſe vadis.
Terque oneri pater Oceanus ſua colla ſuperbo
Subtrahere auſurus, ter malè victus, erat.
Riſit, et intumuit gens perfida; vicimus, inquit;
Et mare iam noſtrum eſt; ſolaque reſtat humus.
At non magnanimi virtus perterrita Trompî:
Ille inconcuſſo pectore ſolus erat.
Poſteritas, admitte fidem: miracula, vati
Non credenda ſuo, ſed tamen acta, canam.
Bis ſex oppoſuit tam vaſtis turribus alnos;
Et ſtitit, et totis cedere iuſſit aquis.
Aequali puduit concurrere Marte Batavos;
Obvia nec tanti perfida turba fuit.
Quid veianus agat, non his ſatis utilis armis,

Et ſolâ tantùm fraude timendus, Iber?
Ceſſit, et excepit fugitivo vulnera tergo,
Et perturbatas ſanguine tinxit aquas.
Attonitus victi Tameſis ſpectavit Iberi
Dedecus; in ſpeculis Anglia tota fuit.
Actia Romanas extollant litora puppes;
Deque triumphatâ pellice Caeſar ovet,
Et roſtrata, ſuis detracta triremibus, aera,
Captaque Tarpeio dedicet arma Iovi.
Cedant, Magne, tui Cilicum de gente triumphi;
Quaeque aliis domito gloria parta mari eſt.
Heſperiâ toto populos ſuperaſſe profundo,
Iam vetus et noſtrum eſt: ſic ſuperaſſe, novum.

NIC. HEINSIVS.

AD FONTEM MEDICATVM DRIBVRGICVM AGRI PADERANI.

Nympha, decus laticum, venae dotata medentis
Gurgite, ſemidei gloria, nympha, chori;
Eia age, dic, domus unde tibi? quae fontis origo?
Quô te patre ſatam, quâ genitrice rear?
An Paderae proles? an flavo creta Viſurgi?
An genus undoſo ducis ab Amiſio?

An, gremium terrae dum coniugis imbre maritat,
  Iupiter e pluvio fudit in arva ſinu?
Num, fidibus pollens et dii carminis auctor,
  Cynthius Aöniae vi tibi ceſſit aquae?
Et ſoboles ſucco te ſparſit Apollinis omni,
  Quô validam morbis fert Epidaurus opem?
Num, quia ſidereo te plurimus admovet ori,
  Et tibi feta deo pectora noſſe datur,
Turba ſuperbimus quô Delia principe vates,
  Annuerunt dotes dî tibi, nympha, ſuas?
'Certè, Naïadum pulcherrima, ſic ſit oportet:
  Tanta ſalutares gratia comit aquas.
Tu, domini mores lymphis imitata benignis,
  Cui ſis delicium, cui famulere, probas.
Enthea Caſtaliis, Fernandus, cura deabus
  Numinis afflatu te fovet, unda, ſui;
Regnat et hìc; nullâque piae ſub imagine mentis
  Vividiùs ſpirat, tam ſimilisque ſibi.
Pro genere humano Superos quibus ille fatigat,
  Ne qua ſuo careant pondere vota, caves.
Paeoniae fons uber aquae, mortalibus aegris,
  Dî dent, praeſidium mite perennis eas!
Seu iecori bilis, ſtomacho pituita moleſta eſt,
  Atque intemperiem miſcet utrinque ſuam;
Obſtructove lien gravat inteſtina meatu,
  Et iam ſe nimiâ mole nec ille capit;

Invalidos tortor ſeu renes calculus urit,
  Quo formîdandum nil magis hoſte mali eſt;
Promis opem, Stygiaeque domas molimina peſtis,
  Deque triumphatâ laus tibi morte vénit.
Denique, millé modis tentent cum viſcera morbi,
  Mille modos, morbi quîs abigantur, habes.
Me quóque reſpiciant, affectis viribus aegrum,
  Auxiliatrices, nympha, rogamus, aquae.
Ipſe, reus voti, grato, quod poſſumus unum,
  Pectine conſpicuam teſtificabor opem.
Ditia contulerit meritis donaria lymphis,
  Cui datur: his locuples cenſibus arca mihi eſt.
Principe ſic creſcat tibi fama ſuperſtite magno!
  Ecce, ſuas noſtris addit et ipſe preces.
Si neſcis; meus ille, meus. ſcit Roma, ſcit amnis,
  Qui Latiam Tuſco gurgite radit humum;
Vdae mille ſciunt et adhuc meminêre ſorores,
  Sive, Aniene, tuum, ſeu, Tiberine, genus.
Rure ſuburbano quoties defixa pependit
  Hac Dryas a citharâ, capripedumque chori.
Obvia me coram quoties affluxit Orêas!
  Appia, vos teſtes, Egeriaeque nemus
Arrectusque ſonum Pan auribus hauſit acutis,
  Tale nihil calamo faſſus hiante dari.
Nunc iuga Telegoni, nunc regia Troadis Albae,
  Nunc lacus Hippolyti, dulce duobus iter,

Nunc tulit Argei Tibur geniale coloni.
  Reddite tam laetos, reddite, fata, dies!
Haec olim: vires pòſt tempore cepit ab ipſo,
  Firmus et abſenti quamlibet haeſit amor.
Atria nec claudit nunc ſurda, nec obſtruit aurem;
  Inque ſui numero, nympha, clientis habet.
Si mihi dura manes, at herilibus annue votis,
  Et refer auctori pectora grata tuo!
Ille peregrini ponet tibi marmoris aras;
  Templa, peregrino marmore culta, dabit.
Apta miniſterio ſuperis epulantibus, Hebe
  Mî roſeâ nectar miſceat inde manu;
Hinc, leve ſubridens, ſacri cuſtodia fontis,
  Nympha Machaonias larga refundat opes;
Veſtra, agite, exclamem, dî, gaudia tollite vobis:
  Hae mihi lautitiae nectare pluris erant.
Fernandêe latex, quâcunque beatior undâ,
  Intima cui ſanctae mentis operta patent;
Qui Genio tanti fers ſacra domeſtica vatis,
  Et mundam eloquii proluis ora domum,
Hìc, ubi fatidicae tibi ſe penetralia Cirrhae
  Myſtica, ſe pandunt ſaecula cana tibi;
Et Pietas, ſuperos animo complexa penates;
  Quicquid Roma ſalis, Graecia quicquid habet;
Auſpice te dominus per ſaecula proroget aevum!
  Pendet ab hac populi nexa ſalute ſalus.

Demta meae Lacheſi, tu ſtamina transfer in illud,
Cui vix per totum par Helicona, caput!
Aeſonaque, et Pelian, et ſcitum Neſtora fandi
Vincat, et Iliaco Laomedonte ſatos!
Cumque annis cumulatus erit, ne ſentiat annos,
Fac, precor, aetatis damna nec ulla ſuae!
Tu quóque da, fonti ſors haec manſura perennet,
Invideat latices ne tibi, Phoebe, tuos.

NIC. HEINSIVS.

IN PACEM INSTAVRATAM ET BVRGVNDOS HISPANIAE RESTITVTOS A LVDOVICO XIV.

Continuis multùm, Ludovix, decorate triumphis,
Pone, age, non victâ, quod facis, arma manu.
Vix tibi Mars ultor, quò progrediare, reliquit;
En, iacet ante tuos hoſtis ubique pedes.
Hoc exarmato nunc exarmantur et irae;
Sic rarum ſociant bina tropaea decus.
Nobilis a ſtrato cum venerit hoſte triumphus,
De te nobilior palma relata tibi eſt.
Gens, toties tibi clamque malum molita palamque,

Atque atavos odiis ſemper adorta tuos,
Dum cladem ſtruit ipſa ſibi, cumulatque ruinas,
Munera Borbonio lucis ab enſe tulit.
Debellasſe ſemel poterat Victoria felix;
Sed mitem veniae maluit eſſe locum.
Laeta operum, in medio revocatur adorea curſu,
Et, gravidam titulis, Pax ſtitit alma manum.
Sanguine victoris victus tenet emta; iubesque
Reddi, ut depoſitum, quod modò praeda fuit.
O quàm certa ſalus genti venturus amicae es!
Cum tua ſit, Ludovix, gloria ſalvus Iber.

1668. NIC. HEINSIVS.

IN NATALEM XIII CAROLI XI, SVECORVM REGIS.

Carole, non victi digniſſime ſanguinis heres,
Qui, Boreae dominos, indole reddis avos;
O cui laurigeras auſpex Victoria cunas
Cinxit, et omniparo Pax opulenta ſinu;
Dum natalitiis cumulat te Patria votis,
Et, dîs acceptas, fundit in aſtra preces;
Me quóque ſacra trahunt ſolennia; parque foveri eſt

Non tacitâ nobis hunc pietate diem.
Publica cum ſpes ſis, imple rata vota tuorum,
Sceptriferumque larem dedecuiſſe fuge.
Praeſentes facilesque deos expertus abunde es:
In titulos pronum ſe tibi ſtravit iter.
Tot laudum documenta domi, tam pulcra, ſuperſunt,
Vt nil Fama pio plenius ore ſonet.
Vince annis meritisque patrem, quantumlibet auſum
Maxima; Guſtavos, Carole, vince duos!
Sis Sueoni diuturnus honos, ſis gloria praecox,
Sis poſt fata tuis, non niſi ſera, dolor!
Sic ferat aetatem, dum, florida legibus, Arctos
Te ſuperis curam, ſe videt eſſe tibi.

1668. NIC. HEINSIVS.

PROPEMPTICON VIRGILII HEINSIANI AD LVDOVICVM XIV, GALLIARVM REGEM.

Suſcipe grandiloquum, rex regum maxime, vatem.
Cui ſe Roma negat priſca tuliſſe parem.
Tangere ſi dias fas eſt mortalia laudes
Carmina, debuerant his tua geſta cani.

NIC. HEINSIVS.

PROPEMPTICON VIRGILII HEINSIANI AD SERENISSIMVM DELPHINVM.

Magnanimum Aenean ſuperas qui tollit ad arces,
En grave, progenies regia, vatis opus.
Par et in Aſcanio certat ſibi Muſa, patrique
Conſimilem, quanto debuit, ore canit;
In famam maiore tamen ventura cothurno,
Si te materiem nacta fuiſſet, erat.

NIC. HEINSIVS.

PROPEMPTICON VIRGILII HEINSIANI AD FERDINANDVM, PADERBORNAE ET MONASTERII PRINCIPEM.

O quem Melpomene nunc reſpicit aequa, ſed unum,
Dum ſtupet antiquis aemula plectra choris;
Quo populos moderante, chelyn moderante ſonoram,
Caſtaliae conſors Padera certat aquae.
Quid quod, ut imperium geminaſti nuper adauctum,
Per Mimigardaeam Pax tua regnat humum.

Cura deûm manifeſta, decus, Fernande, ſacrati
Ordinis, o Muſae qui Cynoſura meae es!
Munera dum, meritum tibi quae gratentur honorem,
Sed ſtudiis quaero non aliena tuis;
Alma cothurnati Clio ſubit ecce Maronis,
Haud modico curae comta labore meae.
Non habui, tanto quod principe dignius eſſet,
Dignius aut tanto vate quod eſſet, opus.

NIC. HEINSIVS.

IN

FREDERICI SPANHEMII, FRED. F.,

CVM SESE ANNVO ACADEMIAE LVGDVNO-BATAVAE REGIMINE ABDICARET, ORATIONEM.

Myſticus interpres legum, quibus inſtruit omnem
Vitam hominum, humanae ſtirpis origo, deus,
Iam movet eloquio Spanhemius ora paterno,
Hac ne laude minor, quàm pietate, foret.
Ille Academéae moderatus ſceptra iuventae,
Cui ſe crediderat remque Minerva ſuam,
Ne tacitum tulerit vir tam facundus honorem,
Nunc Demoſthenicâ pulpita voce quatit.

At neque materies longè quaerenda paranti
    Dicere, temporibus ſed datur apta ſuis.
Turbine fortunae nutantibus ille Batavis,
    Paene ſuâ fractas mole, recenſet opes.
Dum premit hinc ſocio nos iuncta Britannia Gallo,
    Huic tellus, illi dum famulantur aquae;
Inde, Vbio conſors, Mimigardi ruris alumnus,
    Praecipuum tantis crimen uterque malis;
Ecce deus, deus ecce poli necopinus ab alti
    Fulmineam rexit vindicis arce manum.
Vltor Arauſiade, primis en agmina caſtris
    Tot tirocinii Marte fugata tui.
Vt citò demiſti lacrimis ſuſpiria noſtris,
    Quas nunc laetitiâ proliciente damus!
Pectora femineus glaciabat inertia terror;
    Hoſtibus in ſpolium ſe dare moris erat.
Arma nihil iam vana, nihil iam praelia poſſunt;
    Haud perrupta priùs, moenia ſponte patent.
Non tulit hanc labem virtus, aequanda Camilli
    Laudibus antiqui, dedecuſque fugae.
Magne pater patriae, per quem modò Belga merenti
    Rite deo grates et tibi ſalvus agit;
Ante diem Mavors, et Parca plenior annis,
    Saecula laturum, cui properavit iter;
Nunc inſtauratae recidiva Batavia lucis
    Gaudia cui debet, compoſitumque larem;

Tu,quod avus, quod frater avi, proavusque, paterque,
Tot peperere ſibi laudibus, unus habes.
Hoc ducis aetatem, Livor, metire triumpho:
Tempora nobilius nil tibi cana dabunt.
Facta quis haec credat? cum ſit res teſtibus ipſis
Viſa fide maior, credibilisque parum.
Facta, licet maiora fide, tamen omnia credis,
Flexanimi pendes quisquis ab ore ſoni.
Vſque adeò ſibi frena dedit facundia toti,
Conciliat Famae ſic modò geſta ſuae;
Vt, quae, oculis obiecta, fidem meritura negabas,
Nunc ſubeant aures non dubitanda tuas.

NIC. HEINSIVS.

IN NVPTIAS

FREDERICI SPANHEMII ET VRSVLAE AB HEIMBACH.

Ducta domum, Frederice, tibi eſt modò tertia coniux,
Sive animi potiùs prima decore ſui.
Rara quidem laus, hanc laudes aequare maritas,
Teque parem nuptae dotibus eſſe tuae.
Vrſula ſic propriisque bonis, titulisque paternis,
Fulget, et unum effert gloria bina larem,

Haec virtus, nodum iam iam ſubitura iugalem,
 Provocet ut ſexûs lumina priſca ſui.
Te tua laus genitorque polo ſuper aſtra locarunt,
 Sive hàc doctrinae eſt, ſeu pietatis iter;
Famaque milleno vix ſufficit ore canendis
 Vel patriis meritis, vel, Frederice, tuis.
Centum alios hinc inde datur memorare beati
 Sanguinis, alternum qui decuere larem.
Degener huic thalamo nusquam metuenda propago eſt,
 Seu matrem referunt pignora, ſive patrem.
Conſpicuam toties domus edidit utraque prolem,
 Haud queat ut diſpar, ſi velit, eſſe ſibi.

NIC. HEINSIVS.

IN NVPTIAS

CASPARIS KINSCHOTII

ET SARAE TROMPIAE.

Linque ſoli genialis agros, Amathuſia Tempe,
 Si, dea, quid Marti gratificata tuo es.

Ecce, potens belli te flagitat. ille relictis
Thracibus Hollandam viſere geſtit humum;
Caede nihil taboque madens, ut nuper, inultas
Haud parcente manu dum populatur opes;
Caſtra ſecuturus ſed qui tua, temperet iram,
Te ſine propoſitum nec meditetur iter.
Adde gradum, Cytherea: tui tutela profundi
En domus, en regni nota ſalute tui.
Aliger, Idaliae genitricis cura, Cupido,
Huc ades; et tecum da tuus adſit Hymen.
Adſit Hymen, tibi iunctus, Hymen pulcherrimus adſit;
Et Charitum, Veneri non aliena, cohors.
Ad Delphos pia cauſſa vocat, Gradive, Batavos.
Praevius accenſam fert Amor, ecce, facem.
Cauſſa novae cenſenda viae communis utrique eſt;
Seu datur hinc Veneri, ſeu datur inde tibi.
Trompia progenies, (quid nomine clarius illo,
Aut tibi quae toto iunctior orbe domus?)
Virginei flos Sara chori, ſocianda marito,
Hunc cupit indultum te ſibi teſte diem.
Scis navale decus; ſcis tot cumulata tropaeis
Aequora pacanti caerula nuper avo;
Vtque patrem pulcro molimine filius aequet
Impiger, aſſerto lumen et ille mari.
Si qua fides victis, gens hoc Tameſina fatetur;
Innumerâ ſtratus clade, fatetur Iber;

Ille ferox nec Celta negat, qui facta lacertis
Non ſemel his ſenſit vulnera, ſenſit opem.
Horret adhuc Nereus per, operta cadavere denſo,
Terga Caledonii ſanguinolenta ſalis.
Nec decus eſt leve Sara lari, ſeu moribus illinc,
Seu vénit hinc formae dote probanda ſuae.
Adde, togae genitor meritâ quòd luce refulget
Conſul, honorato faſce quòd aucta domus.
Altera laus, nihil illa minor, ſubit ipſe maritus:
Sanctius hoc nullum curia pectus habet.
Ornat avos atavosque Themis, matrique patrique
Plurima per priſcum continuata larem.
Hos et Arauſiadae, Belgis ſacrata tuendis
Nomina, conſiliis inſeruere ſuis.
Quid fratres, patruosque canam, taedasque ſororum?
Lumina dat patriae ſexus et ille togae.
Flore quid in verno luci te, Caſpar, ademtum;
Quemne Erato manibus finxerat alma ſuis?
Heu decoris tecum periit pars quanta Batavi!
Sed nihil ad laetum iuſta querela diem.
Aſtraeae genus omne litant; Aſtraea per omnem
Fecundâ colitur religione domum.
Belga quid his auſit conferre penatibus aequum,
Seu fora praeſidio, ſive ſenatus, egent?
Sed leges hodie valeant, Aſtraea, ſeverae:
Cras locus his, laudi cras erit hora tuae.

Nunc Veneri, Veneriſque choro lux dicta iocoſae eſt;
Hac Amor, hac regnat luce puſillus Hymen.
Iamque bonus fuſco proceſſit ab aethere Veſper:
Adductam thalami claude, Thalia, forem.
Hactenus eſt licitum cantaſſe; ſilentia poſcor.
Sacra profanentur myſtica, Muſa, cave.
Nil opus hic citharâ nunc auſpice. caetera noctem,
Sed tacitum, tecum, lectule, noſſe, ſat eſt.
Orgia nocturnae deceat quam prodere luctae,
Cynthia poſt noni tempora menſis erit;
Cynthia, quae populo matrem gaviſa patremque
Conſpicuos, pulcrâ non ſine prole, dabit.

NIC. HEINSIVS.

IN EFFIGIEM

CORNELII BEVERII.

Gloria Beveriae, Cornelius, inclyta gentis
Hoc fronte atque oculis, hoc decus ore tulit:
Quem licet haud modicis cumularit honoribus auctum
Patria, nil tanto par dedit illa viro.

NIC. HEINSIVS.

IN EFFIGIEM

IACOBI PONTI DE LA GARDIE.

Dextera Hyperboreos en inconcuſſa per hoſtes,
Et domini longùm Marte probata ſui;
Saepè triumphavit per quam rex maximus abſens,
Seu ſpolium Moſchus, Sarmata ſive forent.
Lauriger hos habitus, haec Gardius ora ferebat;
Pectora Mavorti ſic habitata ſuo.
Fama viri cum celſa decus victoris et arma
Laude per ora piae poſteritatis agat;
Prolem maior honos operum genuiſſe vel unam eſt,
Pallade qui titulos dexter utràque tulit;
Neſtora conſiliis, bello qui reddit Achillem;
Cui Muſae incolumes tertia laurus eunt.

Spiret in aere licet, ſimilisque ſit omnia vivae,
Pulcrior in gnato patris imago ſuo eſt.

1671. NIC. HEINSIVS.

IN EFFIGIEM

EZECH. SPANHEMII.

Vivâ pollicitus ſub imagine reddere pictor,
Quod priſcae Veneris Roma, quod Atthis habet;
Promiſſam nec dextra fidem miranda feſellit:
Hic, qui Spanhemium cernis, utramque vides.

Editum in opere de Praeſt. et Vſu Numism. NIC. HEINSIVS.

IN EFFIGIEM

FREDERICI SPANHEMII.

Aequatura patrem Spanhemius ora diſertum
Sic tulit, et multo pectora feta deo.
Spirat et in chartis facundia; maior imago
Quas habet ingentis nec moritura viri.

Spirat inexhauſto ſuppar doctrina labori,
Et teſtis ſtudii crebra lucerna ſui.
Da tabulae vocem; vox aetheris intima pandet:
Illa ſub hoc rorant prodiga mella favo.

NIC. HEINSIVS.

IN EFFIGIEM

GVLIELMI HENRICI,

PRINCIPIS ARAVSIONENSIS.

Ecce tibi iuvenem, quo Belgica vindice rurſus
Gloria ſe, Famae conciliata, levat;
Quem libertatis fundator ſanguis avitae
Implet, et exemplis raptat ad alta ſuis.
Sit vivax; iam laurigeros tibi, Belga, triumphos
Hunc plenâ videas annumerare manu!
Vincere cui patrium eſt, ſibi quid non ſperet ab annis?
Nunc capit, ingentes mox ſuperabit avos.

1672. NIC. HEINSIVS.

IN EFFIGIEM

CONSTANTINI HVGENII ZVLICHEMII.

Hinc patris Hugenii, par vivae, ſpirat imago,
Hinc ſpirat Clariis pagina feta modis.
Ambiguam pictura facit cum carmine palmam;
Gloria, nec dicas, haec ſit an illa prior.
Vsque adeò dextrà ſibi Pallade reddidit omnem
Haec Phoebum effigies, hic Helicona liber.

1672. NIC. HEINSIVS.

D. M.

MICHAELIS RVTERI.

Ruteri hoc cinerem victoris et oſſa ſepulcro,
Adſerta aequoreo Marte, recondit humus.
Tantillum exuvias ſpatii complectitur omnes,
Funere de tanti quas tulit urna viri.
Nil tamen egiſti, Mors importuna: triumphum
De te perpetuum Fama ſuperſtes aget.
In titulos Europa parum eſt: ſcit Americus orbis,
Africa laurigeri ſcit decus ora ducis.
Vix capit Oceanus, vix Sol oriensque cadensque,
Tot palmis gravidam, tot ſpoliisque, manum.
Maxima quòd ſi quem virtus ſacravit Olympo,
Hanc animam aetheriâ fas iubet arce frui.

D. M.

MICHAELIS RVTERI.

Martius hìc tumidi moderator et incola ponti,
Qui ſibi ſe totum debuit, ecce iacet.
Ipſe lapis, cinis ipſe viri ſpirare videntur
Inclyta pro patriis quae tulit arma focis.

Hoſti intentat adhuc marmor cladémque fugamque;
Saxa, cruentatas ſtrage, minantur aquas.
Naufragus hunc ſenſit ſcopulum, quicunque Batavas,
Aequora turbanti, claſſe premebat opes.
Hìc hoſtes, ubicunque iacent, commune ſepulcrum
Cum duce ſortiri, patria, crede tuos.
Si tamen eſt tumulus, moribundis vita ſalusque
Civibus et dextrae laus redit unde ſuae.

1676. NIC. HEINSIVS.

IN EFFIGIEM

DAN. COLONII.

Aspice, divinae quem multa peritia legis,
Quem coelo pietas fert memoranda, virum.
Conſpicuus nobis hoc ore Colonius adſtat;
Forma, per artificem vivere iuſſa manum.
Lingua ſilet facunda ſono, nec verba ſequuntur,
Plenius in chartis quae venerere ſuis.
Quin animam tabulae tentaſſet et addere pictor,
Tota adſertoris ni foret illa dei.

NIC. HEINSIVS.

PROPEMPTICON PYXIDIS

AD PAISIVM LIGARIDIVM.

Offerimus, praeſul, Graiae facundia linguae,
Pro tot muneribus munus inane tuis;
Comiter admitti cui ſi continget, et almâ
Tam doctâque teri poſtmodo ſaepè manu;
Caſſa licet, pretioque parum ſpectabilis ipſo,
Pandorae potior pyxide pyxis erit.

NIC. HEINSIVS.

DIALOGVS IN IVSTITIAM.

Quae dea? Iuſtitia eſt. torvo cur lumine? flecti
Neſcia ſum et lacrymis, et pretio, et precibus.
Quod genus? a ſuperis. et quo genitore? Modo. et quâ
Matre? Fide. Nutrix quae tua? Pauperies.
Quis deus infantem fovit? Prudentia. Quonam
Freta duce, agnoſcis crimina? Indicio.
Cur gladium tua dextra gerit? cur laeva bilancem?
Ponderat haec cauſas; percutit illa reos.

Cur rari aſſiſtunt? quòd copia rara bonorum;
    Mî comes aſſidua eſt candida ſimplicitas.
Auris aperta tibi cur altera, et altera clauſa?
    Haec ſurda iniuſtis; panditur illa bonis.
Paupere cur ſemper cultu? iuſtiſſimus eſſe
    Qui cupit, exiguas ſemper habebit opes.

NIC. HEINSIVS.

AD POËTAM LVDIVM.

Quatuor horarum timidos ſuperare Batavos
    Ludus erat; de te credo, Britanne, tibi.
Quid, quòd in hoc ludo cunctator (ſcilicet hoſtem
    Dum fugis ignavum, ſtrenue;) magnus eras?
At pridem ſolita eſt tibi palma celerrima naſci,
    In dominos ſtricto dum furis enſe tuos.
Carnificis partes, quàm militis, ocior imples,
    Quod non debueras diſſimulaſſe decus.
Tanta Caledoniae ſed iuncta modeſtia Muſae eſt,
    Laudibus ut parcat paene maligna ſuis.
Nam, ludens cum colla ſecas regalia, quantum
    Tempore quantillo deproperatur opus!

1668. NIC. HEINSIVS.

IN EFFIGIEM
GVL. GROTII.

Aſtraeae Phoebique decus, ſic, nectare dio
Plena, minor natu, Grotius ora tulit.
Sive ageret, conſpecta foro, facundia cauſas,
Laus prior in toto vix erat ulla foro.
Otia ſeu Paean curisque vacantia ferret
Tempora, mirata eſt hos quóque fama ſonos.
Cum fratre ambiguâ poterat contendere palmâ,
Maior ſed pietas ambitione fuit.

NIC. HEINSIVS.

Praefixum Vitis ICtorum.
1690.

IN ALBO
CASPARI KINSCHOTII.

Laetiùs ut ſurgit nullis cogentibus arbor,
Rebus et iniuſſis gratia maior adeſt;

Sic magis illa iuvant generoſas munera mentes,
Quae dat ſponte ſuâ promtus et acer amor.
Hac nunc lege tuis ſe vatibus inſerit ultro
Baudius, et notae dat tibi ſigna manûs.
Parva, ſed haud parvi ſunt haec monumenta favoris,
Si pretio dantis péndere dona velis.
Non ſumus indecores ſaeclo, nec inutile nomen;
Vivimus inſignes inter honore viros.
Qualiscunque ferar, quóque me dignabitur albo
Poſteritas, ſtudiis non inimica bonis.
Sum tuus; haud alio placeam mihi nomine, quàm ſi
Te, ſimilesque tui, conciliare queam.
Tu modò tende viam, quae laudum ad culmina ducit.
Hoc opus; at fortes concitat ipſe labor.
Non iuvat, absque gravi partus ſudore, triumphus;
Sublimes animas omnia ſumma decent.

DOMINICVS BAVDIVS.

IN ALBO

CASPARI KINSCHOTII.

Me quóque, Kinſchoti, cupis, hac regione videri?
Da veniam; melius diſſimulare foret.

Sit tamen, ut mandas: quis pauca negaverit illi,
Omnia coeleſtes cui tribuere dei?

IANVS RVTGERSIVS.

IN ITER SVECICVM ET POEMATA

NICOLAI HEINSII.

Arctoas iterum properat legatus ad oras
Heinſius, Aönii maxima cura dei;
Quem, malè fecundi pereat ne vena liquoris,
E cerebro totum finxit Apollo patris.
Excipe pro meritis tantum, Germania, vatem,
Et, dignum hospitiis, obvia, crede tuis.
Hoc facies, Fernande, decus, columenque ſororum,
Parnaſſi unanimes quae iuga ſacra colunt;
Cuius clara pedum reveretur Padera; et offert
Dimidium cathedrae Galius ipſe ſuae.
Tuque adeò, Gothicis dudum ditata triumphis,
Alma, favens vati, Suecia, pande ſinum,
Carolus ut nuper, nuper Chriſtina recepit,
Ille ſtupor Martis, Palladis illa ſtupor.
Pacis amans aderit; Belgae ſunt pacis amantes,
Candidaque, Invidiâ iudice, corda gerunt.

At tu, Melpomene, quae ditis ad oſtia Rheni,
Ingenui, transfers, Graecia quicquid habet,
Quicquid habent terſi, tunc, cum ſine labe Quirites
Auguſto terris Caeſare iura dabant;
Cinge comam lauru longè melioris alumni,
Et dic, ſi potis es dicere, triſte vale.
Nos, (Morinûm inſidos ſcandit dum Gallia muros,
Et titubat portis Belgica tota ſuis,
Dum dolet obſeſſos Belgarum claſſe Britannos,
Ad non viſa priùs carbaſa Roffa ſtupens,
Nec minùs interea patrio descendit Olympo
Pax optata, odiis impoſitura modum.)
Aut ſub frondoſae recubantes tegmine fagi,
Hìc ubi vicinum proſpicit Haga nemus,
Aut in finitimi ſpatiantes litore ponti,
Cum placidae zephyris ſtare videntur aquae,
Carmina Apollinei mirabimur aurea vatis,
Carmina Maeoniae digna canore lyrae;
Et dicemus ïo, ter ïo dicemus eunti;
I avibus, Heinſi magne, redique bonis!

1667. RVLAND. KINSCHOTIVS.

AVRIACVS HOSPES
AD NIC. HEINSIVM.

Excipit auguſtum dapibusque animoque ſenatum
Ille tuus iuvenis regius, ille meus;
Alitibus coëunt hilares atque omine fauſtis,
Hìc ubi dant patriae iura verenda patres.
Heinſiade, primo cui matris ab ubere Phoebus,
Et genitor, ſacris labra rigavit aquis,
Crede mihi, unanimes laetata Batavia natos,
Infandâ moveat Mars licet arma manu,
Flevit; et, o ſeros concordia duret in annos,
Hoc duce, et hac victrix auſpice, dixit, ero.

1672. RVLAND. KINSCHOTIVS.

AD NIC. HEINSIVM,

VT MANIBVS FABRICIANIS PARENTET.

Heinſiade, vatum Belgarum ſumma, ſed una,
  Gloria, quem Phoebum patria terra colit;
Heinſiade, veteris vindex certiſſime ſaecli;
  Heinſiade, numeris non temerande meis.
Seu tibi regales diſpungunt otia curas,
  Seu fovet in molli Calliopea ſinu;
Improba, feralis, nigrantibus horrida pennis,
  Auribus allapſa eſt praefica fama meis;
Cuius verba tibi refero, ſed ferrea, ſed quae
  Excutiant capiti laurea ſerta tuo.
Ille, tibi quondam fraterno iunctus amore,
  Et tecum Clariis advena tinctus aquis;
Ille, tuis quondam non ultima gloria Belgis,
  Teutoniae ſummum, iudice patre, decus;
Ille, tuis dictus toties totiesque Camenis;
  Ille tui praeco nominis, ille tuus;
Fabricius tuus ille, (quid heu, quid, fama, minaris?)
  Fabricius (titubant heu mala verba!) fuit.
Ergo fuit tuus ille, fuit, vixitque. ſed iſta
  Quis dicet dignâ funera voce dolor?

Quis gracili tantas aequaret carmine laudes?
Quae ſtrepitum tenuis non meruere lyrae.
Hunc ego do leſſum; ſi quis tamen haec quóque, ſi quis
Aut legit, aut tanto nomine digna putat.
Sed dixi tamen has vates inglorius umbras.
Non ego, non culpam deprecor ipſe meam.
Heinſi, namque tuum cariſſima funera leſſum
Poſcunt; et cineres ſic puto velle pios.
Forſan et Heinſiacas praeſentit amica Camenas,
Et correpta tuis ſubſilit umbra modis.
Forſitan (Eurydices memorant ea fata poëtae)
Orpheâ poteras hanc revocare lyrâ.
Si iuvit genio quondam naſcentis amici
Et libaſſe merum, et ture litaſſe ſacro;
Sique tuam quondam celebravit carmine lucem,
Natali dicens optima verba tuo;
Extremum quóque nunc morienti munus amico
Redde, nec aeterni differ honoris opus.
Heinſiaco poterit leſſo tuus ille renaſci,
Qui natalitii carminis inſtar erit.
Qui potes, ergo iſtos digno dici carmine manes;
Me pudet in tanto funere poſſe loqui.
Cumque velis, facies: quis enim te velle negaret?
Me pudet in tanto funere velle loqui.

ANONYMUS.

IN ALASTOREM SCAZONTEM

NIC. HEINSII.

Pectine non molli deſtrinxit Alastora vates,
 Dum decus extincti vindicat ille patris;
Patris, in Aoniâ dudum regnantis arenâ,
 Quem ſimilis nati iure tuetur amor.
Irritata fremit Pietas, pennamque dolori
 Laxat, et iraſci poſſe Camena probat.
Armaque nec Pindo deſunt. testudine gaudet,
 Sed ſimul et pharetram magnus Apollo gerit.

IOACHIMVS PASTORIVS.

IN EFFIGIEM

NIC. HEINSII.

Heinſiadae effigiem bona ſors dum ſedibus infert,
 Oſtendunt varios quà mea tecta libros,
Ingreditur Genius, quo praeſide Iupiter ipſe
 Cum Sophiâ et Phoebo pulpita tota beat;

Sideroque domûs dominum circumdat honore
  Mercurius, gaudet cui comes ire Charis.

ANONYMVS.

CHRISTINAE AVGVSTAE,

SVECORVM REGINAE, CASVS.

Claſſis hyperboreae nuper viſura carinas
  Ibat ſubiecto regia virgo freto;
Cum ſubitò mediis ardet Neptunus in undis,
  Ignotae gelidus captus amore deae.
Hinc, minùs ut noceant conceptae incendia flammae,
  Provocat algentes irrequietus aquas.
Subſiliunt fluctus, tolluntur ad aſtra procellae,
  Merſaque in inſidias naufraga forma cadit.
At cohibet furias, ut coniicit, aetheris ignem
  Corde repercuſſas exagitare faces.
Vix et viſa redux emergere mater Amoris,
  Illico cum rabidi frangitur ira maris.
Vix impreſſa tulit tenerae veſtigia plantae,
  Cum demiſſa ferox ſubiicit unda caput.
Vndique tempeſtas pacatur, et undique divae
  Flectit ad obſequium ſubdita turba genu.

Effundit tunc Doris opes, tunc mixta choreas
  Nereidum nectit Tethys amica choro.
Tunc animat Triton feſtivo cornua bombo,
  Atque hilaris Siren cantibus aſtra ferit.
Ipſe catenatos obſtringit carcere ventos
  Aeolus, et pluvio diffluit imbre roſas.
Sola tibi inſervit lenis Zephyritidos aura,
  Cuius ab halitibus meſſis odora vénit.
Ipſe tibi placidus conſternit marmora Nereus,
  Nereus, qui tremulá dat tibi ſceptra manu.
Sume; tua eſt tellus, iam ſanguine parta parentis;
  Sume; tua eſt, ſtudio condecorata tuo.
Sume; tuum eſt coelum, cui ſidera nulla coruſcant,
  Quae non ſunt radiis exſuperata tuis.
Sume; tuum eſt aequor, cuius ditiſſima merces
  Vt valeat, pretio ſit pretioſa tuo.

FR. MAR. CERFINIVS.

AD NIC. HEINSIVM.

Heinſiade, lapſi nunc unica gloria Phoebi,
Auſoniae fidicen ingenioſe lyrae;
Praeſidium columenque meum; quem, matre cadentem,
Suſtulit Aonio Calliopea ſinu.
Saepius ambiguam movit ſententia mentem,
Anne tuos peterent carmina noſtra lares.
Prima dabant animum, vultu tibi lecta benigno,
Quamvis iudicium non meruere tuum.
Altera ſollicitâ meditabar carmina dextrâ:
Obſtitit incoepto, qui tenet ora, pudor.
Adde, quòd usque tuam poscat res publica curam,
Anglorum in Furias dum movet arma Leo.
Interea, in populos tua miſſa poëmata, fertur,
Inque tuis numeris nomina noſtra legi:
Erubui, ſenſique iſtos malè dignus honores;
Vlteriùs longae non valuere morae.
Frigore nunc ustos petit improba Muſa Triones,
Turbatura tuae ſacra verenda domûs.
Salve, amor Aonidum, quo nemo largiùs unquam
Bellerophonteis ora rigavit aquis.
Quid mea, quid, claram voluiſti cernere lucem?
Quae magis aeternà nocte premenda forent.

Mene iuvat Belgas inter numerare poëtas?
Non hoc emeruit noſtra Thalia decus.
Non mea Caſtalio maduerunt guttura fonte;
Et ſunt nominibus verba minora tuis.
At iuvat, exiguam non disſplicuiſſe Camenam,
Quae patrocinio tuta futura tuo eſt.
Tu, cupidum veri, ſeducis in avia Pindi,
Plurimaque ignoti nomen in ora refers.
Reſpice me facili, vatum doctiſſime, vultu,
Pronus et Aoniſin perge favere meis!
Hoc unum in votis, rogat hoc te Francius unum,
Ille, clientelae pars quotacunque tuae.

1666. PETRVS FRANCIVS.

NICOLAO HEINSIO

IN PATRIAM REDVCI.

Legerat Heinſiacos, numeroſa volumina, luſus,
Et mea divinum Muſa peribat opus,
Protinus Aoniis furibundus amoribus uror,
Et deſiderium vix tolerare meum eſt.

Adſpirate piis, coeleſtia numina, votis:
 Illa mihi doctum prima videre caput;
Fundere cum dabitur praeſente poëmata Phoebo,
 Numine qui ſtimulet pectora noſtr aſuo.
Cum mihi Pierias voces audire licebit,
 Verbaque, fragrantis plena liquore favi.
Hanc, precor, admiſſis mihi redde iugalibus horam;
 Hunc mihi felicem, Phosphore, redde diem!
Dum loquor, ecce meus roſeo de carcere Titan,
 Ambroſiâ ſaturos, ire coëgit equos.
Magna dies, ſalve, quâ docta tuebimur ora;
 O mihi ſignandam candidiore notâ!
Belgide mutat Hyperboreos tellure Triones
 Heinſius, et patriam viſere gaudet humum.
Tollite Teutonicae faſtigia, tollite, turres;
 Purius Eoo ſurgat ab orbe iubar!
Nunc Hagana ſuas expandat Hamadryas umbras,
 Et vireat denſis plùs ſpecioſa comis!
Ecce pater Rhenus popularis in oscula docti,
 Deſide quantumvis tardior amne, ruit.
Obvia reiectâ complectitur aegide Pallas,
 Quo nec amabilius pectore pectus habet.
Excipit Aoniis comitem Gronovius ulnis,
 Exultans reditu, magne poëta, tuo;
Qui, malè lapſuras, Gronovius, erigit artes,
 Fert et in Hollandos numina Graia lares;

Quem tibi concilio Tritonia iunxit eodem,
  Theſea Pirithoo quo ſociarat amor.
Voſſia, per totum quae, quà patet, ambulat orbem,
  Applaudit reduci Calliopea tibi;
Et qui, Pieriis nomen memorabile Delphis,
  Wallius Auſoniam temperat arte lyram.
Nos quoque, Phoebea ſtimulante cupidine rapti,
  Rite tuas colimus, pars ſtudioſa, fores;
Quos inter, minimum niſi dedignere clientem,
  Reſpice cultorem mancipiumque tuum;
Plauſibus ad coeli quem tu convexa tuliſti,
  Cum me Daphnaeae circuiere comae.
O amor! o magni generoſa parentis imago!
  O Aganippeae laus ſuper una domus!
Salve, Pegaſidum decus immortale dearum,
  Hospita tam ſancti, mens ſpecioſa, laris.
Hac ego divinos video ſub imagine vultus
  Sive tuos, Ovidi, ſive, Tibulle, tuos.
Deſeruere ſui nemoroſa cacumina montis,
  Hanc ſibi quaerentes, numina docta, domum.
Parce Meduſaeas extollere, Graecia, lymphas:
  Nil facit ad noſtram Caſtalis unda ſitim.
Heinſia dum ſedant arentem flumina linguam,
  Cedat Gorgonei nobilis humor equi.

1667. PETR. FRANCIVS.

IN VALERII FLACCI

ARGONAVTICORVM LIBROS,

A

NIC. HEINSIO

CASTIGATOS.

Aequora, magnanimis coeleſtum pervia natis,
Flaccus Apollineâ luſerat antè lyrâ;
Vtque ratis primae ductor, Pagaſaeus Iāſon,
Fixerit ad patrios vellera fulva tholos.
Sed vatem tentavit edax abolere vetuſtas,
Et voluit dium perdere Livor opus;
Dentibus infremuit, cum ſe conſpexit inertem
Rebus in aethereis iuris habere nihil.
Seque libro inſpirans, foetoribus omnia complet;
Corrupit nitidos ſpurca litura modos;
Induerunt turpes infecta volumina vultus.
Vix agnoſcendus, vix ſibi, Flaccus erat.
Mendorum gemuit ſub pondere futilis alto,
Combibit et multam Pelias arbor aquam;

Aurea ſplendorem plumbo mutarat et aere,
Grande, ovis illa, tuum, Phaſides ora, decus;
Iamque iterum iuvenis caneſcere coeperat Aeſon,
Et ſenium in Graii ſederat ore ducis;
Quaeque dabat virides Aeaea venefica ſuccos,
Non poterat formae pellere damna ſuae;
Acriùs horrendos ſpirabant naribus ignes,
Tollebantque feri cornua vara boves;
Sibila trux latè movit furialia ſerpens,
Et nova terrigenas egit in arma furor;
Monſtra ferox etiam qui debellarat, Iäſon
Viribus inferior nunc erat ipſe ſuis;
Omnibus attonitis ſtabant ſine vindice Colchi.
Invia qui peteret vellera, nullus erat.
Tandem Phaſiacas victor devênit in oras,
Solus in horrentes qui tulit arma feras.
Fortior Heinſiades, et, Iāſone maior, Iāſon
Proſternit validâ turpia monſtra manu.
Terreni ſubito ceciderunt vulnere fratres,
Et fera continuit pervigil ora draco.
Iam ſua deſtituunt furibundos robora tauros.
Detrahitur fulvae nobile vellus ovis.
Theſſalicam, Minyae, de litore vertite pinum,
Et date victrici nautica ſerta rati.
Ecce volat noto puppis laetiſſima ponto;
Coeperunt facie cuncta virere novâ.

Sidereo non ipſa ſuo minùs ariete lana,
  Aut Berenicaeae ſplendet honore comae.
Concipit antiquos in Iäſone Colchis amores;
  Demque ſtupet, ſolito pulcrior ipſa fuit.
Mirantur Minyae; dominam, miratur Iäſon,
  Tam ſubitò rugas depoſuiſſe ſuas.
Squallorem magicis Medea fugaverit herbis;
  Dempſerit Aeſonios naenia Marſa ſitus:
Plus tamen hic Aeſon ſeſe debere fatetur;
  Plurima nunc iuvenis ſaecula ſemper aget.
Quin magis Heinſiadae iam novit Iäſone pinus:
  Reddidit hic lacerae naufraga membra rati;
Cautibus explicuit per caeca pericula duris,
  Ne fieret ſaevo praeda nefanda mari;
Saxaque ventoſi fugiens inviſa profundi,
  In ſua fatidicam tranſtulit aſtra ratem.
Dicite votivis praeconia debita verbis!
  Fundite magnanimo carmina mille duci!
Haec ego cum canerem, lauro redimita capillos,
  Venit ab Aonio Calliopea iugo;
Floribus innumeris ubi religioſa pararat
  Vincula, Pierium circuitura caput.
Impleat o iuvenes Cumaeae virginis annos!
  Qui ſenium Minyis abſtulit omne ſuis.
O decus! o nullo caſurum ſidus in aevo!
  Donec erunt primae nomina nota ratis;

Aureus ille aries, merſae malè proditor Helles,
  Aethere dum medio conſpiciendus erit.

1667 PETRVS FRANCIVS.

NIC. HEINSIO,

IN SVECIAM DENVO EVNTI.

Rurſus Hyperboreas repetit meus Heinſius oras,
  Maenalis inſano quà riget urſa gelu.
Verſiculis onerare caput coeleſte parabam,
  Et voluit fauſtum dicere lingua vale.
Nequicquam oravi Clarias in vota ſorores;
  Averſata meas numina docta preces;
Limina procinctae mea neglexere Camenae:
  Abſtulerat comites Heinſius ipſe ſuas.

PETRVS FRANCIVS.

IN

PETR. ET ROB. KEVCHENIOS.

Invifum Muſis ac deteſtabile nomen,
  Turbandus Pindi culmine, Keuchenius.
Dilectum nomen ſuperis, ſuperûmque parenti,
  Siſtendus Solymo vertice Keuchenius.
Hic amor, ille odium eſt, (vati mihi credite, vates.)
  Qui ſacra Muſarum, qui tua, Chriſte, colunt.
Quàm ſibi diverſi, quanquam uno ſanguine creti,
  Nec ſolo iuncti nomine, Keuchenii!
Sit magnus, cuicunque velit, placeatque, Robertus:
  In pretio, in magno Petrus honore mihi eſt.

PETR. FRANCIVS.

A D V E C H T A M.

Improbe, nec fluvios inter numerande benignos,
  Tun' poteras tantum ſuſtinuiſſe nefas?
Hei mihi! perpetuum, crudelia funera, crimen
  Non tu, non ingens eluat Oceanus.
Certè ego te falſo placidum lenemque vocavi.
  Ille loci genius nec, velut antè, placet.
Eheu! quis poterit te nunc haurire viator?
  Quis tibi nunc dicat, dure: perennis eas.
Ah rapidus quantò Tiberinus mitior olim!
  Protinus audaces ille repreſſit aquas,
Vrbis ut aeternae conſervaretur origo.
  Tu decus heu! turpi nobile mergis aquâ.
Hic erat et claras populi flexurus habenas,
  Vnica magnanimi ſpes generoſa patris.
Heu! miſerande puer, ten' funere merſit acerbo,
  Cincta nigrum nebulâ, trux Libitina, caput?
Gratulor o undis, et noſtrae gratulor urbi,
  A nimium rigido quòd procul amne iacent.
Amſtela, peſtifero quantumlibet uſtus ab igni,
  Horridior glacie frigidiorque ſtetit;
Privatos paullum iam depoſuitque dolores:
  Hoc magis, hoc ipſum, quod lacrimaret, erat.

Iecit arundineam moeſtà de fronte coronam:
  Aptior Amſteiiae tu, cypariſſe, comae.
Audit, et, admonitu raptum doliturus alumnum,
  Huc totam Tethyn flebilis Ya tulit.
Ad conſolandum vicini curritis amnes:
  Solus abes, meriti conſcie, Vechta, tui.
Curia cum totà miſerabile plangitur urbe,
  Spes videt in vanum cum cecidiſſe ſuas.
At tu praecipuè, quem damna domeſtica tangunt,
  Maxime vir, nati triſtia fata doles.
Ne tamen immodico iuvet indulgere dolori!
  Nil te plebeium, nil muliebre decet.
Parce, precor, lacrimis, communi parce ſaluti,
  Non profecturas perdere parce preces.
Inclyta iam proprios moderetur lingua dolores,
  Quae bene pro patrià ſaepè locuta foris.
Tu dubios caſus, vitaeque pericula, noſti;
  Vt trahat incertam Parca profana colum.
Oſtendêre dei terris mirantibus illum:
  Nunc roſeo nectar cum Ganymede bibit.

PETR. FRANCIVS.

MAIO.

Maie, renaſcentis terrae iucunda voluptas,
  Huc ades in faciles, ambitioſe, modos!
Ore tuas laudes cum cuncta loquantur aperto,
  Scilicet immemorem turpe tacere lyram.
Maie, fave; reſerata vocant ſpiramina pinum.
  Iam nova luxuriat, iam nova ridet humus.
Memnonis amiſſi iam non reminiſcitur Eos,
  Sed roſeo laetum ſpargit ab axe iubar.
His ſimiles illam vultus habuiſſe, putarim,
  Arriſit Cephalo cum dea blanda ſuo.
Arboreo pulcrum modulata cacumine carmen,
  Sedula laetitiam dulcè fatetur avis.
Iam veteres oblita canit Philomela dolores,
  Nec miſerum queritur flebilis ales Ityn.
Illius a doctae mulcebar arundine cannae,
  Cum mea luxurians lumina Flora vocat;
Flora, ſuis Zephyrus quam nunc amplectitur alis,
  Cingit odoriferum cui roſa multa caput.
Flora, tibi meritò, ſuaviſſima gloria ruris,
  Romulidae feſtos inſtituêre dies.
Iam Satyri, iam prata volant per amoena Napaeae:
  Tempore non alio laeta Napaea magis.

Depoſitâ ſuperos ſolitâ gravitate remiſſos,
Crediderim, dulces nunc agitare iocos.
Ipſe pater blandos demittit ab aethere ſoles.
Huc ades in noſtros, mobilis aura, ſinus!
Flava Dryas, formoſa Dryas, precor, excipe feſſum!
Me iuvat, illa tuae me iuvat umbra comae.
Magne pater vatum, nunc te, venerabilis, optem
Praecipuè noſtrae fila movere lyrae.
Phoebe véni, paulumque vaca loca dura colenti
Sidus Hyperborei ſub glaciale poli.
Namque dies haec eſt, quâ te, doctiſſime, dicunt
Heinſiadae cultos nunc habitare lares.
Horrida tu, memini, cum rura relinquere velles;
Propoſitam tenuit ſed domus una fugam.
Huc ades, huc facilis! non te neget Heinſius illi,
Quae ſibi naſcenti tacta putatur humus.
Maius adeſt; ſic digna fluant mihi carmina Maio!
Haec tibi ſaltantes carmina, Maie, damus.
Ipſa choros multo Lugdunum libera plauſu,
Hospita laetitiae ne videatur, agit.
Ecce pater Rhenus, ſpectando lumina pascens,
Admiratrices tardiùs urget aquas.
Festa dies, cantusque vocat; vocat illa Lyaeum:
I, puer, ingentem fer mihi, lente, ſcyphum.
Illum, Maie, tibi nos praeguſtabimus hauſtum,
Verſibus ut remeans ſic celebrere meis.

PETRVS FRANCIVS.

RESPONSIO AD CARMEN MAII.

Magne pater, princeps reliquorum maxime menſum;
  Nunc decus, et docti gloria, Maie, chori.
O mihi praecipuos inter venerande poëtas,
  Da veniam, colui quòd tua ſacra minùs.
O tua Pegaſeo pleniſſima verba liquore!
  Nec meliore queat Delius ore loqui.
Quòd tua me nimiùm laudarit littera, peccas.
  Tolle, precor, vitium carminis omne tui.
Parce, pater, tenues extollere parce Camenas.
  Non ita ſunt Charitos candida fata meae.
Nec tamen ingratum eſt, quae carmina luſimus, auri
  Haec mea quòd placeant qualiacunque tuae.
Inclyte, Teutonico longùm celebreris in agro!
  Nomen in Aonio par habiture iugo.

A N O N Y M V S.

GERARDO SCHAEP, THEODORO SPIEGEL, GERARDO HASSELAER, AEGIDIO VALCKENIER, COSS. CREATIS.

Annua conſulibus venerunt feſta creatis:
Clarius Eoum nunc oriare iubar!
Magnus ïo! quantis caput exſeret Amſtela rebus,
Iam mihi de mediâ ſurgere viſus aquâ.
Exſultans, decorisque ſui non ampliùs expers,
Ponit ſubmiſſas in ſtatione comas.
Inclyta ſidereos attollit curia vultus,
Et nitet ornatu cultior alma novo.
Fallor? an auratas movit Iovis armiger alas?
Vtiliter viſae ſic mihi ſitis, aves!
Plurima ſanguineis intercidat hoſtia cultris;
Inficiant niveum maſcula thura diem.
Iamque coronentur generoſi dona Lyaei,
Laeta Veſuviacis nata Falerna iugis.
Vivite felices, clariſſima lumina mundi;
Vivite Neſtoreos, pectora digna, dies!
Dumque meus ducibus cenſebitur Amſtela vobis,
Semper ament noſtros aurea ſaecla lares!

Interea, laetis inimica Britannia rebus,
Ilia rumpantur, faex Erebea, tibi!

PETR. FRANCIVS.

PETR. FRANCIVS IAC. GRONOVIO SVO S. P.

Accipe, Gronovi, doctâ quod mittit ab urbe
Noſtra ſodalitii, non temeranda, fides.
Torpentes quid, amice, vocas ad barbita Muſas?
Hei mihi! dedidici nectere verba modis.
Excidit ingenium; multoque peraruit aeſtu,
Si quid Hyanteae vena tenebat aquae.
Afflictam vicina trahunt contagia mentem,
Corpore iam longis deficiente malis.
Saepè meos volui citharâ lenire dolores:
Languenti cecidit ſaepè reſumpta manu.
Bis me ſidereos miſerum revoluta per orbes,
Vecta ſoporiferis, Delia vidit, equis.
Signa, Machaoniis me deſtituentibus herbis,
Deplorata meae paene ſalutis erant;
Vênit ab indomitis tua cum mihi Muſa Sicambris,
Signa ferens animi non dubitanda tui;

Extemplo violenta febris, languorque, dolorque
  Praecipiti dederunt barbara terga fugae;
Sive quòd aethereos tua littera ſpirat odores,
  Littera, Pegaſei flumine plena pedis;
Sive quòd a, poſito meliore ſub aëre, Salâ
  Flaverat in noſtros ſanior aura lares;
Seu medicaminibus tua contigit otia Paean,
  Et mihi praeſentem conciliavit opem.
Quidquid id eſt, validas habuerunt carmina vires
  Et medicina mei certa fuêre mali.
Plùs mihi Medeâ magnique propagine ſolis,
  Gramine Carpathii plùs valuere ſenis.
Illa queant, edocta graves depellere morbos,
  Ducere de medio ſidera fixa polo.
Illa vel attonitam de curru cogere Lunam
  In Latmi ſilices Endymiona ſequi.
Sanato iam, care, potes ſecurus amico
  Fallere iucundos et retinere dies.
Iam potes in blandae recubare crepidine lymphae
  Ad gratum placidè murmur euntis aquae;
Lenè pater Zephyrus veteres quà ſpirat amores,
  Et novat afflatu corpora laſſa ſuo.
Nunc ſomnos tenui capis invitante ſuſurro.
  Piſciculis dulces nunc ſtruit eſca dolos.
Et, pellucenti modò ſollicitatus ab amne,
  Egelidâ reficis membra natator aquâ.

Nobile nunc fragili modularis arundine carmen,
  Expertâve feris plectra canora manu.
Motus ad inſolitos caput extulit Iſala cantus,
  Et nymphae mediis incaluere vadis.
Non ita torſit eas, roſeo pulcherrimus ore,
  Thiodamanteus, grata rapina, puer.
O quoties, capiti meditatae vincula caro,
  Par ſibi fleverunt non licuiſſe nefas!
O quoties voluere ſuas reſtinguere flammas
  Gurgite vicini, nec potuere, maris!
Quin nec Hamadryades illis moderatiùs ardent,
  Si quando viridem vel pede tangis humum;
Dulcia cum platanus genialis in otia raptum
  Sideris umbroſis arcet ab igne comis.
At teneri ſaevos vitare Cupidinis aeſtus
  Non valet arboreâ fronde peruſta Dryas.
Ah! metuo, tantos dum tu contemnis amores,
  Ne rigidam Nemeſin turba repulſa vocent.
Fac, cave formoſas, Iäcobe, Sycambridas, oro,
  Neſcio quid certae gens habet iſta necis.
Spicula Lernaeo vibrat medicata veneno
  E tremulo dominae lumine parvus Amor.
Quid tibi tunc animi, quid erit, cariſſime, mentis,
  Cum tua plùs aliquid febribus oſſa teret?
Nequicquam invalidas in vota vocaveris artes:
  Nil dabit auxilii, nil tibi carmen opis.

Fallor? an adſpicio pueri procul alitis arcus,
  Quaeque gerit doctâ noxia tela manu?
Trux vénit in iaculis; ſumptoque cacumine collis
  Tendit in exitium callidus arma tuum.
Effuge, Gronovi: (ſonuit lethalis arundo.)
  Effuge; transadiget pectoris ima tui.
Quò ruis? ecce, ſuam protendit Gorgona Pallas.
  Securo poteris hic latitare loco.

IOAN. GEORG. GRAEVIO,

ACADEMIAE VLTRAIECTINAE

LVSTRVM DECIMVM CELEBRANTI.

Luſtra decem Traiectinae viguere Camenae,
  Et celebrat magnum Graevius ecce diem.
Quid facis, o Graevi? fallit te calculus; erras;
  Nec ſtetit haec ultra bis duo luſtra domus.
Adventu fundata tuo, tecum edita, tecum
  Nata fuit, fato tecum obitura pari.

PET. FRANCIVS.

COSS. ET SENATVI ACADEM. VLTRAI. CVRATORIBVS,

LVSTRVM DECIMVM ACADEMICVM CELEBRANTIBVS.

Luſtra decem Traiectinas viguiſſe Camenas
Cenſetis, proceres! hinc fuit illa dies.
Erratis ſcholae patres? niſi Francius errat,
Cui ſtetit haud ultra bis duo luſtra domus.
Calculus hunc fallit! veſtrae viguere Camenae
Luſtra decem; et meritò eſt hinc celebrata dies.
Veſtra domus vobis fundata eſt, edita, nata,
Tantùm vobiscum fato obitura pari.

AD VINDICEM VLTRAIECTINAE MINERVAE.

Carmine quid proceres, quid propugnare Minervam
Vltraiectinae vis, furioſe, ſcholae?
Condere cum nequeas parvum ſine labe poëma,
Et ſit longa tibi ſyllaba, quae brevis eſt:

Vt tibi prima ſcholae conſtet, vel prima poëtae,
Cum pueris primas ingrediare ſcholas.

Conf. Broukhuſii Poëm. p. 337. DAVID BERGIVS.

PHONASCVS AMSTELODAMENSIS, PRIMVS EGO.

Quod nego Barlaeum, me verò affirmo, poëtam,
Invida turba fremit, ſtultitiamque vocat.
Primus ego in patriam, quo nomine glorior uno,
Montibus e Latiis ſacra Latina tuli.
Cedite, Barlaei praecones, cedite laurum;
Hic ſi ſit vates, non ero primus ego.
Ille ſit inventis felix, ego inania verba
Effundam: *eſt aliquid verba Latina loqui.*
Arte poëta valet; ars ſimia, nil habet a ſe:
Artis hic eſt expers; ars mera cuncta mea.
Artem oculi, frons, lingua refert; ex arte ſaluto;
Inceſſum, geſtus ars regit una meos.
Ambivi cathedram Leidenſem, iterumque recuſo,
Emendicato ſubdolè et arte bolo.
Quid me verboſum ſine re, ſine pondere, garris?
Nugaris: nam, dum verba do, rem facio.

ΤΕΧΝΗΝ ΠΑΣΑ ΓΑΙΑ ΤΡΕΦΕΙ.

LOBBIVS LEVNCVLVS IANO BROVKHVSIO.

Condiderint vates quum carmina ſaepè catellis,
Ornarintque canum laudis honore genus;
Nosque canes nullâ teneamur lege tacere;
Fas mihi cum quodam ſit quóque vate loqui.
Cum me, Broukhuſi, catulum tenerumque videres,
Iudice te lyrico carmine dignus eram;
Idque meum, memini, dominum ſperare iubebas:
Fac, careant ſolitâ ne tua verba fide.
Sic laudent Belgae; ſic diligat Amſtela, ſic te
Mirentur proceres Amſteliique patres!
O utinam nunc me contemplareris adultum!
Arriperes cytharam promtior inde tuam.
Non datur in noſtro, mihi crede, lëunculus orbe,
Qui formâ nobis anteferendus eat:
Pace tuà, mater; quanquam domus inclyta Graevî
Plus te, quam reliquos, ornet ametque, canes.
Perpetior cunctis modò me tondere calendis;
Crebriùs et ſolito rore tepente lavor.
Adſpice, quàm claris niteant mea pectora villis:
Cedat olor; cedant, ut cecidere, nives.

Contrà, non oculis, noſtris nec naribus ulla
  Aut pix, aut corvus, nigrior eſſe poteſt.
Saepè, ferat nobis res quamlibet iſta dolorem,
  Offero pectendas exhibeoque iubas.
Eſt quóque laus ingens, quòd me ſub gente leonum
  Nulla catellarum creditur eſſe minor.
Necdum dedidici currentes prendere nummos,
  Et domino prenſos ore referre meo.
Cum iubeor, ſedeo, velut eſt mos, pectore recto;
  Cum iubeor, repeto, tecta pusilla, domum.
Non niſi diſſectus mea ſunt obſonia panis:
  Nempe ferunt, oculis oſſa nocere meis.
Non lectum domini, non limina ſordida reddo;
  Suetus in externo me exonerare loco.
Quòd ſi fortè fores clauduntur liminis, ut ſic
  Naturae iubear conſuluiſſe meae;
Suffundor tanto, domino redeunte, pudore,
  Cogar ut in tacitâ delituiſſe caſâ.
Cum mihi ſint mores, cum tales, optime, dotes,
  Nomen et eximii vatis ab arte velim;
Ne dubita, precor, o! promiſſum condere carmen,
  Et ſine, me citharâ nomen habere tuâ.
Nos ſimul optato coniunget Vechta receſſu;
  Artibus innumeris officioſus ero.
Quas tibi blanditias! quàm crebros corpore ſaltus,
  Quosque iocos caudâ geſticulante dabo!

Saepè fatigabo ſimulatis morſibus artus;
Saepè ſub innocuo vulnera dente feres.
Quid referam noſtrae promtiſſima munera linguae?
Os tibi ni poterit, lambet at illa manus.
Nolit et ut dominus, cubitum ſimul ibimus ambo;
Amborumque iocos finiet una quies.

A N O N Y M V S.

IN IANVM MILITEM.

I.

Provocat, invadit, cornu petit, omnia turbat,
Et nullos contrà Ianus adeſſe dolet.
Nimirum ſapiunt, quos ſic ſine fine laceſſit:
Nil ſibi cum gladio militis eſſe volunt.

I I.

Bellus homo eſt miles! cum doctis quaerit ubique
Iurgia, et invitos ſemper ad arma vocat;
Sic ſe principibus permiſtum credit Achivis,
Praedicat et, geſtam rem bene: bellus homo eſt!

III.

In Ianum, quaeris, cur nemo prodeat ultor?
Deſine: Ianum etiam vincere turpe puto.

L. PAPIRIVS CARBO.

PETRO BVRMANNO,

MANIBVS HALENIANIS PARENTATVRO.

Quae modò teſtata es iuſto tua gaudia plauſu,
Incipe lugubres, moeſta Thalia, ſonos.
Nempe fuit lux ille tui, et lux alma, Lycei,
Vnica Palladii gloria, nempe fuit.
Scilicet Aoniis ſunt aemula fata Camenis,
Et nimiùm docto trux Libitina choro.
Triſtè gemit longos Academia tonſa capillos,
Mater ut in nati funere moeſta ſui;
Dum videt, atratâ ſolem caput abdere nube;
Vltimaque eſt oculis nox metuenda ſuis.
Triſtè gemit Phoebea cohors, et carmina iungit,
Non iterum ſocio carmina danda ſuo.
Nec tu iuſta neges caro, Burmanne, ſodali,
Triſtis et appoſito das pia verba rogo;

Qualia defuncto fertur dixiſſe Tibullo
  In Geticis nondum Naſo relictus aquis;
Qualiter, indignè ſingultans, dicitur Orpheus
  Eurydicen teneris increpuiſſe ſonis.
Sic tibi dilecto praeſtatur munus amico,
  Nec caret officio lingua manusve ſuo.
Parce ſed ulteriùs manes onerare ſepultos;
  Sit lacrimis quamvis cauſa ſat ampla tuis.
Ille polo fruitur, domibusque receptus avitis
  Gaudet; et indignas ſpernit Halenus opes.
Ingenio manet ille ſuo ferturque celebris;
  Ille nihil terris, quò caperetur, habet.
Fama viri longos ſuperabit clara labores.
  Effugit infeſtum mens rediviva rogum.

1701. GVLIELMVS RABVS. P. F.

D. M.

IANI HOOFDII.

Flete, Ioci, Charites, blandi lugete lepóres;
  Flete, politorum turba venuſta virûm:
Tu quóque, diva Venus, comitata Cupidine parvo,
  Huc ades, in lacrymas officioſa meas:
Ecce, tui dux ille chori, tua gloria, Ianus
  Flebilis, incerto ſaucius enſe, cadit.
Ille cadit primâ viridum vernante iuventâ,
  Et nondum quartam nactus Olympiadem;
Egregiâ praeſtans formâ, cui Latmius heros
  Cederet, et ſaevi crimen Adonis apri;
Dotibus ingenii longè praeſtantior, olim
  Addendus claris nobile filius avis;
Vnica ſpes patris, celebris fiducia gentis,
  Prima iuventutis fama decusque, fuit.
Spes o fallaces! o ſortis caeca futurae
  Mens hominum! o ſpatio vita coacta brevi!
Quid iam nobilitas, quid prodeſt ſanguinis ordo;
  Quid ſpectatorum nomina magna virûm?
Quid dignum ingenuas ſe formaviſſe per artes
  Stemmate? quid grato multus in ore decor?

Lingua quid, eximiis blandiri docta puellis?
  Lingua, vel iratas apta movere deas.
Scilicet immites rapiunt mox optima Parcae;
  Complentur numeris peſſima quaeque ſuis.
Triſte vafer fatum Pelidae vidit Vlyſſes;
  Hectore iam caeſo tu, Pari, vivus eras.
Quid referam nunc, Iane, tuae diriſſima caedis
  Crimina, et ignavâ vulnera facta manu?
Vltima lux aderat, dilectos hospes amicos
  Excipis, et modico fallitur hora mero;
Jamque propinquabat tempus fatale, ſodales
  Diverſis repetunt limina nota viis;
Tu quóque (ſic etenim crudelia fata ferebant.)
  Deſeris, haud reduci, tecta, terenda pede;
Quò ruis, infelix, medios iugulandus in hoſtes?
  Quos petis, optaſſes non petiiſſe locos:
Flecte gradum, iuvenis! praeſentemque effuge mortem,
  Dum licet; o poſſis! huc, age, flecte gradum!
Hei mihi! nil poſſunt monitus, ſententia perſtat,
  Et, quam coepiſti, pergis inire viam:
Vnus, et hoc ipſo felix nimis, addit eunti
  Se comes. egreſſus vix bene limen eras,
Protinus occurrunt duo, Bacchi flore furentes,
  Inque tuum ſtringunt horrida tela caput:
Vicinas comes extemplo pulſaverat aedes,
  Seu fugiens, promptam ſive rogaret opem:

Quid faceres? tua te virtus dare terga vetabat;
  Inferior numero, pectore maior eras;
Arma manu, certus vim vi depellere, ſumis,
  Et ſtricto rabidas discutis enſe minas;
Iamque videbaris tantum ſuperaſſe periclum,
  Cum gravius rurſum naſcitur ecce malum:
Ictibus innumeris labefactus, frangitur enſis,
  Et miſer auxilio próderis ipſe tuo;
Nil moti hoſtiles animi; ferventibus iris,
  Viſceribus condunt tela cruenta tuis.
O dira, o triplici circumdata pectora ferro!
  Pectora, ſanguineis barbariora Getis!
Haud ſecus Ismariis discerpſerat Orphea ſilvis
  Percita thyrſigeri turba furore dei.
Nempe iaces! nil te virtus, nil forma, nec aetas
  Integra, nil morum gratia, Iane, iuvant.
Illa, reor, magnos potuiſſet laedere divos
  Dextera, tam magnum quae fuit auſa nefas.
Avertiſſe ſuos Phoebi ſoror aurea vultus
  Creditur, et lacrymas non tenuiſſe ſuas.
Phoebus inornatos conſperſit pulvere crines,
  Et gemit Aonio cum grege noſtra Themis.
Flent Charites; reſonans plangoribus, alte Cithaeron;
  Blandus Amor verſas fert ſine luce faces.
Lugubres negat ipſa ſonos miſerabilis Echo
  Reddere, Narciſſum perdere viſa ſuum.

Amſtela luctiſonis horrendùm murmurat undis,
  Turbantur fluctu Rhenus et Ya pari.
Ante alios tamen ipſe parens moeſtiſſimus omnes
  Fata dolet nati praecipitata ſui:
Sic genitor Pallanta ſuum deflevit Euander,
  Quem tua mactarat, Turne, cruenta manus;
Sic orbam Nioben, rapto ſic Memnone matrem
  Dicunt in tantis obſtupuiſſe malis;
Nec graviùs referúnt Priamum doluiſſe, peremtus
  Hector Achilleis cum raperetur equis.
Aſpera dilecti lacrymatur funera fratris
  Germana, impexas dilaniata comas.
Quòcunque adſpicias, gemitus, ſuſpiria, planctus,
  Singultu voces impediente, ſonant.
Cernis? ut hirſutis iuvenum pia turba capillis
  Depromat variis anxia corda modis:
Pars ſtupefacta ſilet, tremulis pars altera dextris
  Spargit odoratas in nova buſta roſas;
Pars clamore ciet defuncti nomen amici,
  Inſcribens brevibus marmora ſtructa notis:
„ Incertâ caeſus dextrâ iuvenilibus annis,
  „ Hooſdius, aetatis ſplendor amorque ſuae,
„ Compenſans aevum meritis, hac clauditur urnâ,
  „ Marcellusque ſimul, patria terra, tuus.

1702. ANONYMUS.

Ite procul, triſtes curae, durique labores,
  Iurgiaque inſani litigioſa fori.
Ite, theatrales, vulgi ſolatia, pompae,
  Ite: homines ſtultos gaudia veſtra trahunt.
Me mea rura tenent, altaeque ſilentia ſylvae,
  Et latebrae, et murmur lenè fluentis aquae.
Rura leves ſomnos invitant, rura quietem;
  Rura poëtarum ſunt magis apta iocis.
Rura petunt vates: vatum pia numina colles,
  Et nemora, et cultae Phocidos antra colunt:
Ipſa ſuas Pallas quoties faſtidit Athenas,
  Et vénit ad colles, Pinde canore, tuos!
Arva placent ſuperis, et amoeni in montibus agri:
  Arva colat, quisquis dîs placuiſſe volet.
Hinc lites, rixaeque abſunt, inſanaque vulgi
  Diſſidia, et fraudes, ſollicitique metus.
Hìc faciles adſunt mollesque in gramine ſomni,
  Otiaque, et nullo pax adoperta metu.
Quàm iuvat hìc patulâ, zephyro ſpirante, ſub ulmo
  Sternere montanâ corpora feſſa viâ.
Quàm iuvat, arboribus ſepto, ſuccedere luco,
  Fervidus apricos dum leo findit agros;

Muſcoſcoque leves auras captare ſub antro,
  Garrula dum placido murmure lympha fluit.
At, cum venturas iam nunciat Heſperus umbras,
  Et ſaturi redeunt ad ſua ſepta greges;
Tum libet agreſti membra exercere palaeſtrâ,
  Aut canibus lépores lata per arva ſequi;
Aut ex inſidiis ſub prima ſilentia noctis
  Figere, carpentem gramina laeta, feram.
Tum partam ob praedam ſacri dicuntur honores;
  Et canitur paſſim Phoebus, et alma ſoror.
Interea, cantu reſonat dum lucus, inemptas
  Apponit menſis ſedula verna dapes;
Lanigerae fetum ſeu matris ab ubere raptum,
  Seu, captam in ſylvis, torruit igne feram:
Tum iuvat aut altè virides ſubſternere frondes,
  Aut ſuper herboſo diſcubuiſſe ſolo.
Ingerite annoſo ſpumantia pocula Baccho,
  Demite fumoſis vincla revulſa cadis.
Quin liquidas aufertis aquas? non audeat ullus
  Lenaeum epotis his violare patrem.
Impius eſt, quicumque undis corrumpere Bacchum
  Non timet; aeternos polluit ille deos.
A nobis abſit tantum ſcelus! ite procaces
  Naides; at ſpument pocula plena mero.
Sic aderunt riſus; aderunt choreaeque, iocique;
  Et canet alterno carmine utrinque chorus.

Bacchus enim curas Lethaeo in gurgite mergit,
Et mutas Pindi non ſinit eſſe deas.
Hic docet ignaros cantare; hic ludere triſtes;
Ipſe iocos rudibus ſuggerit, ipſe ſales.
Hoc Cato ſaepè madens frontem poſuisſe ſeveram
Dicitur, et rugas explicuiſſe ſuas.
Huius iucundi ſubrepunt munere ſomni,
Serpit et in placidâ nocte ſopora quies.
Sic, quibus arridet genialis gratia ruris,
Tempora labuntur laeta, fluuntque dies.
Felix! quem, vitae dum ſic indulget inerti,
Occupat in fundis cruda ſenecta ſuis.
Non aliam in ſylvis vitam ducebat, et antris,
Cum vagus Admeti pavit Apollo greges.
Has ego delicias inter non, Attale, gazis
Invideam, aut menſis, Sardanapale, tuis.
Ac, ſi parvus ager magno cum fenore nobis
Reddat ſervatâ ſemina iacta fide;
Rex habeat Phrygiae pondus ſibi divitis auri
Exitiale, ſuas et ſibi Croeſus opes.
Quid prodeſt tanto congeſta pecunia luxu?
Quid proſunt regum pontificumque dapes?
Si tamen excruciant curae diruſque cupido
Pectus, et argento non vénit empta quies;
Nec capitur fulcris illectus ſomnus eburnis,
Adſpiratque humili leniùs ille toro.

Naturam, parvo contentam, copia rerum
  Opprimit, atque auri vexat et urget amor.
Quid prodeſt fundis, opibusque inhiare parandis,
  Postmodo ſi partis parcit avara manus?
Quid prodeſt, nullo ſi Mors corrumpitur auro,
  Exigit Attalicas nec Rhadamanthus opes?
Sufficiunt illae vitiis alimenta; famesque
  Auri virtutum eſt omnium acerba lues.
Quàm ſapienter agit, quem non amor urit habendi,
  Nec tercenteno vomere findit humum:
Sed colit exiguos agros, parvosque penates,
  Et numerant parcas grex et agellus opes.
Ille nec exſpectat primâ ſub luce clientes,
  Qui quatiant iunctas terque quaterque fores.
Non illum lites ortum praevertere ſolis
  Cogunt, et plenâ munera ferre manu.
Monſtra nec inſani novit crudelia ponti,
  Nec vovet aequoreis annua ſacra deis.
Scilicet Eois merces non advehit oris,
  Audaci findit nec freta caeca rate.
Nec timet, elidant ſi ſaxa Capharea puppim,
  Ne pereat merſâ cum rate tota domus.
Nequicquam ſpumas iaculatur in aſtra Charybdis,
  Atque alit immites naufraga Scylla canes.
Namque agit in culto vitam ſecurus agello,
  Ridet et adverſae lubrica fata deae.

Ipſi etiam fures, ipſum genus acre luporum
  Conſuerunt parvo parcere ſaepè gregi.
O pereat! facilem qui cum traducere vitam
  Atque agere in patriis otia poſſit agris,
Mavult mille urbis curas, et mille labores
  Ferre, et in inſano dicere iura foro,
Congerat ut dives, vitiorum pabula, nummos;
  Et cogat validos ſub iuga mille boves.
Haec avidae cupiant animae, quibus aurea virtus
  Sordet, et eſt gemmis vilior alma quies.
At mihi contingat fecundi gloria ruris,
  Et valeat, quicquid ſuſtinet orbis opum.
Tunc ego Pana colam, montanaque numina Faunos,
  Sylvanumque patrem, capripedesque deos.
Tunc ego vota feram nemorum tibi, Delia, cuſtos,
  Cum ſequar errantes per iuga ſumma feras.
Ipſe tuas referam laudes, Lenaee, quotannis,
  Spumabunt plenis cum tua muſta cadis.
Ipſe iacebo tuis cuſtos proiectus in agris,
  Ne vites avido tondeat ore caper.
Ipſe legam primo lucis ſub tempore poma
  Tum, cum nocturno frigida rore madent;
Purpureamque uvam, plenas et nectare ficus,
  Dignaque nobilibus Perſica mala toris.
Verùm Pegaſides adſint ante omnia nymphae,
  Quae fallant ſicci taedia longa canis.

Carmine tum ſylvae reſonabunt, carmine valles,
  Auditos referent et cava ſaxa modos.
Tum referam umbroſo, curarum liber, in antro
  Veſtra ego Mnemonides inclyta facta deae.
Ipſe canam ſummâ deiectum ex arce Pyreneum,
  Tentantem veſtrum contemerare decus;
Nec non quondam auſas cantu certare, ſorores
  Paeonidas pennis obſtupuiſſe novis.
Tunc et formoſum reſonabunt omnia Phoebum,
  Conſpicuum telis, conſpicuumque lyrâ.
Nempe feram Thetidis genus, inſuperabile bello,
  Confoſſum telis, Phoebe verende, tuis;
Atque Amphionio ſeptem de ſanguine fratres,
  Vltricem expertos cum genitrice manum;
Et centumgeminos flexum Pythonis in orbes
  Corpus in Aoniis occubuisſe iugis;
Tum vinctam ſtabili maternam compede Delon,
  Et Claron, imperio ſubdita regna tuo.
Haec inter, Latoë, tuos modulabor amores,
  Et Clymenam, et diro Daedalione ſatam;
Leucothoënque, ſuae quae matris imagine capta eſt,
  Quaeque in Achaemeniis nunc quóque vernat agris.
Daphnes hiſce fugam, et circumdata cortice membra,
  Adiungam, fletus et, Cyparisſe, tuos.
Tum rurſum Oebalio manabit vulnere ſanguis,
  Et florem effuſo ſanguine gignet humus.

Tum rurſus, regis magni deceptus amore,
 Cogêris niveas paſcere, Phoebe, boves.
Sic ego Pieridas, regemque Heliconidos undae,
 Et cum doctiloquâ Pallade Pana colam.
Quòd ſi me Vranie coeleſti afflaverit aurâ,
 Altiùs aſſurgens, praepes ad aſtra ferar;
Naturaeque vias pandam, coelique meatus,
 Aſtrorumque vices, aëriasque domos;
Ventorum cauſſas, tempeſtatumque frigorem,
 Vnde tremor terrae, fulminis unde faces;
Vnde pruinoſae noctes, unde horrida grando,
 Vnde nives, aptae frugibus, unde gelu.
Haec mihi contingant! alius curasque laboresque,
 Vt vivat diti dives in urbe, ferat.

IOSEPHVS AVERANIVS.

Dicite io, vates, et io ter dicite, Muſae;
Plauſibus et latè Phocidos arva ſonent.
Lux optata redît: dulcem teſtemur amorem,
Teſtemur celebri gaudia noſtra die.
Et, dum thura damus, templisque adolemus honores,
Vos etiam noſtris, numina, adeſte ſacris.
Et tu, Phoebe, pater Muſarum, et carminis auctor,
Tu quóque Pierium, Phoebe, relinque nemus;
Et tecum, rupes quas fert Parnaſſia, laurus,
Et tecum Aonio nectar ab amne feras.
Necte tuo iuveni ſacrâ de fronde coronam,
Et doctum puro prolue fonte caput.
Illum tu quondam, venientem in luminis auras,
Díceris ambroſio continuiſſe ſinu;
Osculaque infantis libaſſe, artesque ſororum
Caſtalidum attactu perdocuiſſe tuo;
Quis olim fretus praeruptas carmine cautes
Amphion dulci traxit et antra ſono;
Immanesque feras pellexit Thracius Orpheus,
Et rapidas Hebri ſaepè repreſſit aquas,

Egit et avulſas gelidis de montibus ornos,
Commovitque Erebi cantibus uſque deos,
Cum miſeram Eurydicen fato ſibi fleret ademptam,
Et gemitum rupes, et nemora alta darent.
Sed tuo ab amplexu lumen felicius infans
Hauſit, et a dulci dulcius ore melos.
Adfuit et Pallas; divae pulcherrimus ordo
Virtutum ſuperâ venit ab arce comes;
Et pueri cunas circumvolitavit, et alis
Plauſit, divinos concinuitque modos.
Protinus, adventum ut ſenſit domus alta dearum,
Sedibus exiluit paene revulſa ſuis.
Geſtiit et natus puros et combibit ignes;
Arſit et in tenero pectore divus amor;
Dum cantu mulcent auras, dum nectare cunas
Spargunt, et gremio lactea membra fovent.
Hae ſanctos mores finxere, et neſcia labis
Pectora, et intactâ candidiora nive.
Sed cor magnanimum, celſamque, et principe dignam,
Formavit Pallas mentem, animumque dedit,
Quo ſe ſublimem ſuperas ſubducere in arces
Auderet rapido vectus in aſtra gradu,
Complexuſque deum ſcrutari arcana Tonantis,
Mirandumque altae cernere mentis opus.
Vt pater omnipotens nutu terramque, fretumque,
Atque ſupercilio providus aſtra regat;

Spectatorque ſui felix, atque auctor, et unus
  Omnia complectens, omnia ſolus agat.
Gignat ut obtutu prolem immenſamque, paremque,
  Aeternamque, ſuo fixus in ore, pater;
Spiret et aequaevum, compar et, flamen utrique,
  Dum patris et nati mutuus ardet amor.
Sit tamen una tribus natura, ſit una voluntas,
  Vis una, atque unum numen, et unus honor;
Qui potuit naturam hominum, et mortalia membra
  Induere, ipſe expers corporis, atque mori;
Quae ſuperûm mentes perfundat dia voluptas,
  Quanta illos mergant gaudia, quantus amor:
Lucis inacceſſae quo ſpectent lumine lumen,
  Vnde amor, atque animi dulcis, et alta quies.
His mentem ſtudiis imbutam, et numine plenam,
  Ingens Naturae noscere iuſſit opus;
Quicquid alit tellus, quicquid circumflua Tethis,
  Quique aër ſuperimpendet, et ignis edax;
Quàm ſtabili coëant rerum primordia nexu,
  Et quàm conſtanti ſint ea iuncta fide.
Quis tot ſufficiat fluviis, tot fontibus undas;
  Cur vomat effuſo flumine Nilus aquas,
Bisque die alterno vaſtum mare turgeat aeſtu,
  Et ſe bis refluo ſorbeat unda ſalo.
Quae cauſſa inſanos committat in aëre ventos,
  Et toto inducat nubila denſa polo.

Unde imbres, coelique fragor, unde horrida grando,
  Fulguraque, et validâ fulmina torta manu.
Quaerere et, immenſum quae mens convertat Olympum,
  Iusſit, et aetherea lucida ſigna domûs;
Cogat et obverſos obliquo tramite in ortum
  Septem orbes certâ lege referre gradum;
Et modò ſublimes tollat, modò deprimat, ipſo
  Saepè etiam in coeli vertice ſiſtat iter,
Saepè et in adverſum luctantes urgeat; et mox
  Torqueat, et reduces ocyus inde trahat.
Sic animum finxit, vulgoque exemit, et auxit
  Ingenium donis docta Minerva ſuis;
Et, puerum complexa, caput Peneïde vinxit
  Fronde, et Pegaſeis ora rigavit aquis;
Atque ait: attonitus quondam mirabitur orbis
  Te, puer, atque tuum nomen in aſtra feret.
Magnis ingenium tu vatibus, otia Muſis
  Tu facies, priscum reſtituesque decus.
Tu doctis praeëris; (felix Etruria tanto
  Principe!) tu Pindi non leve numen eris.
Dixerat; aethereâ ſuperûm regnator ab arce
  Annuit, et laevo fulmine ſigna dedit.
Evenere; ſacros gaudet luſtrare receſſus,
  Et toto Muſas ex Helicone vocat;
Et patrocinio vates tutatur, et artes
  Egregias donis excitat, atque fovet;

Noſque amat, et noſtram, quamvis ſit garrula, Muſam,
Muneraque ingenii quantulacunque mei.
At vos, in quorum gremio reptavit, et auras
Felices hauſit regius ore puer,
Numina, tranquillam iucunda per otia vitam
Huic date, et Euboicos Neſtoreosque dies!
Et tu, quem celebro, longum mihi ſemper in aevum
Ad tua, Natalis candide, ſacra veni!

IOSEPHVS AVERANIVS.

Vt denſis micat in tenebris, et nocte profundâ,
Fax, quae vix medio lucet aperta die;
Sic nitet adverſis virtus invicta; ſecundis
Aſt eadem rebus lumine caſſa iacet.
Tunc Muti, virtusque interrita fulſit Atilî,
Hoſtis in immites cum cecidêre manus.
Emicuit magni tunc mens generoſa Camilli,
Cum caderent patriae tecta ſuperba ſuae.
Poſtera vix nomen noviſſent ſaecla Rutilî,
Inſons ni patriâ pulſus ab urbe foret.

Haud aliter flammam languentem eurusque notusque
 Suſcitat, et rapidos volvit ad aſtra globos.
In ſilice abſtruſum, ni ferro excuderis ignem,
 Nunquam ſuccendet iacta favilla facem.
Exercent adverſa viros, et grandia virtus
 Audet, perverſae caſibus acta deae.
O quantùm emicuit. duris exercita bellis,
 Pellaei virtus visque animoſa ducis!
Haec tamen in luxum verſa eſt Oriente ſubacto,
 Cum tremerent nutus ultima Bactra ſuos.
Scilicet, armatae quem non domuere phalanges,
 Perſarum luxus deliciaeque domant.
En furit, et populos ſubigit victricibus armis
 Annibal, et forti fulminat enſe ferox;
Per ſaltus, Alpesque obſeptas rupibus, audax
 Ipſe ſibi ferro ſternit ubique viam;
Excidiumque, neces que, et ſtragem gentibus infert
 Impiger, et vaſtos ſanguine inundat agros:
Sed, quem non Alpes, nec inhoſpita tesqua ferarum,
 Durataeque gelu per iuga ſumma nives;
Nec Romanorum pubes interrita fregit;
 Proſpera Fortunae perdidit aura ducem.
Luxuries Capuae, cunctis et rebus abundans
 Terrorem populorum ora beata domat.
Nimirum ſtimulant virtutem aſperrima rerum;
 Fortior exultat, quam mala fata premunt;

Molliturque eadem, et rebus marceſcit opimis,
Languet et in mediis deſidioſa bonis;
Et, quae Fortunae non eſt obnoxia telis,
Succubuit molli ſaepè ſubacta iugo.

IOSEPHVS AVERANIVS.

Dicat Io Paean, plauſusque ad ſidera tollat,
Quisquis adeſt, ſanctas concipiatque preces!
Divîni aſſertor cultûs, aſſertor honoris,
Vindice quo terris floruit alma Fides,
Invehitur coeli Capitolia celſa triumphans,
Et ſpolia aeterno ſigit opima Iovi.
Fregit enim Ditis rabiemque irasque, minantis
Polluere intactas religionis opes;
Et, quas excierat peſtes Acheronte refuſo,
Inficeret venas ut ſalientis aquae,
Atrâ obſcuraretque pias caligine mentes,
Et Stygio errantes mergeret usque lacu.
Ille ſed occluſit fauces graveolentis Averni;
Reſtituit purum mentibus ille iubar;

Feliceſque animas, pulſâ caligine, coelo
    Reddidit, inferno rapta tropaea duci.
Nos etiam, ſacris qui proni advolvimur aris,
    Evehat ad ſuperos intemerata Fides.
Tu nobis puros divini luminis hauſtus
    Suffice, et aethereas mentibus adde faces!
Et tecum aeternis poſt fata accumbere menſis
    Detur, et immenſo numinis ore frui!

IOSEPHVS AVERANIVS.

Qui mare, qui cunctas bellorum turbine terras
    Miſcebat, domito Thrax Oriente ferox,
Atque, ac imis immane furens, victricibus armis
    Vaſtabat captâ regna opulenta Cypro;
Auſonis ora, tuis cervicibus impendebat,
    Fracturus duro fortia colla pede;
Et ferus, ingenti tracturus cuncta ruinâ,
    Tendebat trepido vincla pudenda Tibri.
Sed Pius infregit vires, et fortibus auſis
    Contudit incuſſo corda ſuperba metu.
Tu cogis ſocia arma; pios tu foedere reges
    Devincis; ſuperûm tu prece poſcis opem.

Per te, devictâ ſpumoſa per aequora claſſe,
Barbarus Actiacas ſanguine tinxit aquas;
Et pelagi imperio labefacta potentia ceſſit,
Tentabat toto quae dare iura mari.
Eia age, ſancte parens, iam tandem ingentia coepta
Perfice, et Aegaeos da penetrare ſinus!
Da formidatam terris exſcindere gentem,
Atque Aſiam noſtro ſubdere colla iugo!
Da Chriſti extremas extendere nomen in oras,
Et revoca errantes ad tua ſaepta greges!

IOSEPHVS AVERANIVS.

Poſtquam rex Aſiae, devicto Oriente ſuperbus,
Invicto noſtras milite fregit opes;
Illuviem cultis invexit barbarus oris,
Et miſera eſt duro Graecia preſſa iugo;
Nutarunt docti concuſſa cacumina Pindi,
Et ſylvae caſus ingemuere ſuos.
Vt vidit, ſacros temerari ſanguine fontes,
Et nemora hoſtili procubuiſſe manu,

Phoebus ad aethereas evaſit territus arces,
    Abiecitque arcum, depoſuitque lyram;
Et trepidae Aonides, dilectae a culmine rupis
    Deiectae, antiquos deſeruere lares.
Errabant regnis extorris turba paternis,
    Et flebant miſeris triſtia fata modis.
Nusquam tuta domus; nusquam pax aurea; nusquam
    Libera pangendis otia carminibus;
Cum ſic, natarum ſortem miſeratus acerbam,
    Solatur placido Iupiter ore deas:
Si fas, deſertis reduces conſidere terris,
    Atque iterum Aonio reddere iura ſolo;
Quàm mallem, veſtro coleretur numine Pindus,
    Ne ſacra pollueret barbarus antra pede.
Sed neque fatorum aeternas convellere leges,
    Nec revocare, ſemel quae placuere, datur.
Verùm agite; Etruſci colles gratiſſima coelo
    Eſt tellus, veſtro numine digna frui.
Hic auguſta domus Medicûm latè imperat, artes
    Quae veſtras ſemper fovit, et auxit ope.
Vos, ſtudiis florens, formâque, et mollibus annis,
    Deliciumque hominum, deliciumque deûm,
Excipiet Gaſto profugas, regnoque locabit
    In patrio; exſtinctum reſtituetque decus.
Illum ſancta fides, illum ſapientia vulgo
    Eximit, et tenero caſtus in ore pudor.

Ille omnes animo iam nunc complectitur artes,
Ingenio celebres quas coluere viri.
Doctis ille praeeſt, avidis quos auribus Arnus
Audit, dum placidas in mare volvit aquas;
Vos reget imperio, vobis erit alter Apollo;
Nec minor ingenio, nec minor ille lyrâ.
Perpetuum hic regnum, ſtabiles hic figite ſedes;
Nec pigeat patrios poſthabuiſſe lares.
Dixerat. illae alacres properant; caput extulit undis
Arnus, ut Aonias ſenſit adeſſe deas.
Protinus et celſae micuere ſuperbiùs arces,
Laetitiaeque urbes ſigna dedère ſuae.
Et viſi colles geſtire, et laetiùs herbae
Florere, et ſylvae fronde virere novâ.
Spiravere leves zephyri iucundiùs aurae,
Fulſit et Etrusco purior axe dies.
Felices oras divae, ſedesque beatas,
Miratae exercent laeta per arva choros;
Teque adeunt, princeps; et te venerata ſalutat
Regemque et Phoebum Calliopea ſuum,
Iam gaudens dulcesque lacus, dulcesque receſſus
Liquiſſe, et colles, Pinde canore, tuos;
Exiliumque ipſum placet hac mercede, laboresque
Usque tot errorum ſuſtinuiſſe iuvat.

IOSEPHVS AVERANIVS.

Quòd neque Pimpleum licuit tibi ſcandere collem,
Nec tua Pegaſeus proluit ora liquor;
Quòd nunquam adſpexit placido te lumine Clio,
Adfuit aut ſtudiis dexter Apollo tuis;
Hòc fit, ſtulte puer, quòd inepta poëmata laudas,
Carminaque attonitus qualiacunque legis,
Mirarisque infracta, et dura, atque horrida verba,
Sparſa et ſcurrili frigida dicta ſale;
Quòd, ſi quis vaſto fauces diducat hiatu,
Et boet, et verbum ſeſquipedale tonet,
Et, buccam incomtis et pingue ſonantibus inflans
Verſibus, inmanes fuderit ore ſonos,
Ille et Caſtalidum cantu, te iudice, regem,
Et doctas Pindi provocet ore deas:
At, ſi quis, magni nomen miratus Homeri,
Pindaricosque modos, nobile tentat opus,
Et ſequitur magni veſtigia clara Maronis;
Protinus Aoniis exulet ille iugis.

Cedite Romani, Graiique Helicone poëtæ;
Cedite, non tanti eſt garrula veſtra chelys.
Vos humiles verſus, verſus ructatis inanes,
Nec quicquam in veſtro carmine grande ſonat.
Nil ſonat argutum, ſparſumque lepôre faceto,
Et Venere, et ſalibus veſtra Thalia caret.
Phoebe iaces? vatum non te ſubit ulla tuorum
Cura? potes tantum ſuſtinuiſſe nefas?
Nunc ubi ſunt arcusque tui, celeresque ſagittae,
Illaque tam certâ ſpicula torta manu?
Quis potes et Tityon, immenſisque orbibus anguem
Proiicere, et vaſtum ſternere corpus humi;
Quis potes immanem Coeum, coeloque minantem
Deiicere auguſtis Oromedonta iugis.
Ergo Amphionio ſeptem de ſanguine fratres
Confoſſi telis occubuere tuis;
Immeriti et poenas ſcelerum, faſtusque ſuperbae
Matris, ſupplicio perſoluêre ſuo?
Secura ut laeti producant tempora vitae,
Qui violant numen, Phoebe verende, tuum?
Qui violant ſacros vates, audentque profano
Sancta tui collis culmina adire pede.
Dignius anne putas, auſum contendere tecum,
Direptâ Phrygium pelle periſſe ſenem?
Scilicet inſulſos contemnis, Phoebe, poëtas,
Vincere quos nulla eſt gloria, nullus honor.

Sic leo magnanimus catuli imperterritus audit
  Latratum, et vili ſpernit in hoſte minas;
Aſt idem, nactus tauros, acresque moloſſos,
  Saevit, et hoſtili ſanguine tingit humum.
Illis ſtultitia eſt, atque ipſa inſania magno
  Supplicio, et poena eſt non levis ipſe furor;
Illis Pierides, illis averſus Apollo,
  Et quaecunque ſacer numina Pindus habet.
His ego, dum vivam, ſolennia ſacra quotannis,
  Vinctus Phoebeâ tempora fronde, feram;
Et dabo ſacratis urenda poëmata flammis
  Peſſima, ne ſerpat latiùs iſta lues.
Illepidos vates, et ſaecli opprobria noſtri,
  Devoveo; vatum numina adeſte ſacris!
Adſunt: horribiles in flammas ite libelli,
  Pollutas aures expiet ignis edax.
En ſtrepit, ac réfugit temerari. lente miniſter,
  Eia age, quid ceſſas? ingere ſcripta foco.
At te, ſi tales nobis obtrudere vates
  Pergas, maior adhuc, improbe, poena manet.

IOSEPHVS AVERANIVS.

Ergo magnanimus cecidit Leopoldus, et alto
Deiectum Imperii culmine condit humus!
Non illum armatis ſtipata potentia turmis
Eripuit telis, Mors violenta, tuis;
Non invicta malis durisque exercita virtus
Caſibus, et nullis cedere docta minis.
Scilicet hoc deerat miſerandis cladibus, ultor
Quis deus Europae regna ſuperba quatit.
Hoc eſt, quod votis Libyaeque Aſiaeque tyrannus
Expetat; hoc magno barbarus hoſtis emat.
Hôc levet aerumnas, adverſaque fata rependat,
Inſultans noſtris, Biſtonis ora, malis.
Qui gravidum bellis Orientem armisque furentem
Contudit, et forti milite fregit opes;
Quô formidati concuſſa potentia regni
Nutavit, ſaevas depoſuitque minas;
Occidit, exhauſtus belli pacisque periclis;
Occidit, extremi quem tremuere Getae.
Barbaries immane fremat, frontemque ſuperbam
Oſtentans niveis laeta triumphet equis.

Sed Pietas, ſed Religio incorrupta, Fideſque,
  Contundant laceris pectora aperta comis.
Quaeque diu Imperii Clementia rexit habenas,
  Polluit et nullâ caede cruenta manus;
Et ſecura ſui Conſtantia, ſortis iniquae
  Contemtrix, nullis et labefacta malis;
Quas ſimul ingenti raptas traxere ruinâ,
  Accincta in noſtram, fata inimica, necem;
In nos verterunt crudelia fulmina: felix
  Evaſit rapido Caeſar ad aſtra gradu;
Nunc ubi, perfuſam immenſâ dulcedine, mentem
  Abſorbet flammis lenibus altus amor.
At nos uno omnes virtutes funere ademtas
  Cogimur, atque orbis triſtia fata queri.

IOSEPHVS AVERANIVS.

Iam Virtus meritis Leopoldum aequarat Olympo,
  Orbis et anguſti carceris inſtar erat;
Quum Mortem, immiti conantem abrumpere ferro
  Stamina, quae Virtus neverat ipſa, videt;

Atque ait increpitans: fruſtra furibunda minaris,
  Et iacis in ſanctum tela cruenta caput.
Non illum rapiet rigidi inclementia fati,
  Nec tua Lethaeis dextera merget aquis;
Sed vehet ad ſuperas mitis Clementia ſedes;
  Illic ſceptra dabit non peritura deus.
Vivet et in terris aeternum nomen, et orbem
  Complebit nullà fama abolenda die.
Haec referet, fatis quantùm obluctatus iniquis
  Fortunam invictus vicerit uſque ſuam;
Vt nunquam adverſis fuerit deiecta, ſecundis
  Nunquam elata, ſuis mens animoſa bonis;
Vt iuſti rectique tenax; ut, cultor honeſti,
  Exemplo leges ſanxerit ipſe ſuo;
Vt pius, et toto complexus pectore numen,
  Flagràrit flammis, Spiritus alme, tuis.
Nec ſpolia, et praedas, et bella exhauſta tacebit;
  Victriceſque aquilas, fortiaque arma canet;
Arma, quibus longâ Heſperiam formidine ſolvit,
  Et durum excuſſit fracto Oriente iugum,
Cum gens Europae minitans extrema, fremensque
  Armis, et ſaevi turbinis acta modo,
Deiectura urbes, populosque hauſtura cruento
  Marte, dedit trepidae terga pudenda fugae;
Quaeque invicta, ferox, bellis concuſſerat orbem,
  Protinus acciſas territa flevit opes;

Flevit et ereptum decus, indignata triumphos
Caeſaris, et forti rapta tropaea manu;
Et pacem oravit ſupplex; iramque, minasque,
Et faſtum abiecit Caeſaris ante pedes.
Dixerat; excelſamque animam, compage ſolutâ
Membrorum, pennâ praepete ad aſtra tulit.

IOSEPHVS AVERANIVS.

Quem dudum, Imperii moderantem frena, potentes
Et populi et reges demeruere ſibi;
Quem tremuit, qui totum armis exterruit orbem,
Barbarus, et fractas vidit inultus opes;
Conditur hoc tumulo. titulos, mortalis, inanes
Diſce et opes fluxas temnere; diſce mori.

IOSEPHVS AVERANIVS.

Fortunam, inſano miſcentem cuncta tumultu,
  Evectus ſupra, ſpemque metumque premit;
Committit Fatis Virtutem, et, numine fretus,
  Victor ovat, fato fortior uſque ſuo.
Scilicet ut navis, ſcopulo religata, procellas
  Non timet, infeſti cum fremit ira noti;
Haud ſecus ille, deo vinclis devinctus amoris,
  Irridet veſtras, Fata ſiniſtra, minas.

IOSEPHVS AVERANIVS.

I.

Quae populos regit, et rerum moderatur habenas,
  Addit et imperio regna ſubacta ſuo;
Quae gentem, immanem bello et furialibus auſis,
  Fulminat, et vaſtos ſanguine inundat agros;

Haec eadem, quos fata premunt, quos urget egeſtas,
Sublevat, et miſeris porrigit aera, manus.
Sic deus elatos animis, faſtuque ſuperbos,
Deprimit, atque humiles tollit, et auctat ope.

II.

Non triſtes curae ſapientem, aut dira cupido
Caedis, vindictae non ferus ardor agit;
Mens immota manet; nullo diſcrimine rerum
Turbatur placidi pectoris alta quies.
Hinc te nulla movet, Leopolde, iniuria; nullis
Mens odiis, nullis fluctuat acta malis.
Das veniam laeſus; gemit ultrix Ira, minaxque
Sub pedibus, durâ compede vincta, fremit.
Iam nihil invictum eſt; qui regna Orientis et arces
Subruis invictas, victor es ipſe tui.

IOSEPHVS AVERANIVS.

PETRO BVRMANNO

SECVNDO,

PRO CRITICIS DICENTI

Quanquam Pierio devertat rariùs antro,
  Inſultans aliis, noſtra Thalia, locis;
Nunc tamen haud aberit parvos decerpere flores,
  Queîs decoret Petri tempora docta mei.
Et nuper volui feſtae comes ire catervae,
  Ac plaudente manu verba diſerta ſequi:
Sed Boreas, Zephyro regnum ceſſiſſe reluctans,
  Terruit infirmae ducere vela ratis.
Nec tamen illa tui latuit nos ſcena choragi,
  Quantus et impleris pulpita quaſſa ſonor;
Cum Critice, defenſa tibi, potuiſſe negavit
  Aethereo pro ſe digniùs ore loqui;
Livor et in tenebras, tabentia pectora tundens,
  Abdidit inviſum crine iacente caput.
Haec non humanae facundia debita curae:
  Sidereo veniunt talia dona polo.
Spiritus hic idem mentes afflarat avitas,
  Et contacta tui moverat ora patris.

Eloquii vires alius paret arte magiſtrâ;
  Cognata eſt generi lingua diſerta tuo.
Cur panacea tamen placuit de fratribus uni,
  Alter Atlantiadum ditia poma legit;
Huic proavûm ritu praefertur myſtica cedrus,
  Cedrus Idumaeis luxuriata iugis:
Sola tuos oculos potuit convertere laurus,
  Cuius ab Aoniis collibus umbra cadit.
Non ego, fortunâ, mortalia fata trahente,
  Haec animis demens addita iura, putem.
Ille tuus patruus, niſi ſi pater aequiùs audit,
  Qui genus in fratris corda paterna tulit,
Singula diſpiciens naturae ſemina, vidit
  Quae ſeges uberiore quoque veniret agro.
Ille tuum pueri, Muſarum cultibus aptum,
  Pectus Apollineis fovit amicus aquis;
Providus et biiugi monſtravit in ardua Pindi,
  Quod non fallaci tramite tendat, iter.
Et miramur adhuc, paſſu te paene virili
  A teneris ſalebras exſuperaſſe iugi!
Quid non mens educta poteſt penetralibus illis,
  Adſiduè Phoebus, quaeque Minerva colit!
Quid nequit exemplar laudis gentile decorae,
  Cum bene nata ſemel gloria corda ſubit!
Franeca ter felix, doctis et cara deabus,
  Quae pleno fruêris robore prima viri!

Adſpice, quae iuvenum praeeuntem turba ſequatur,
  Dum de barbarie certa tropaea petit.
Adſpice, quàm trepido ruat Ignorantia paſſu,
  Quaquà victrices explicat ille manus;
Graeciaque et Latium laurus gratetur adeptas,
  Quaeque artes veteres gens ubicunque colit.
Floruit ut palmes, meſſis bene crevit in herbâ,
  Pagus, ïo felix, concinit, annus erit.
Nos quóque, ſed certo magis alite, ducimus omen,
  Praeteriti veniens pignora tempus habet.
Increpuit Livor caſſo ſtridore procellas:
  Labitur en vento nunc tua prora ſuo.
Sarcina, Petre, tamen, ſpes de te iuſta bonorum,
  Promeritusque favor, vertice quanta ſedet!
Nunc opus ille tuus mentis vigor, illa iuventas,
  Vivida pertentans membra calore ſuo.
Nunc tua ſufficiat rerum conſtantia moli,
  Vincat et ingenui cuncta laboris amor.
Nec patruum Muſae, niſi poſt ingentia facta,
  Principe doctorum conſtituêre loco.

IAC. PHILIP. D'ORVILLE.

IOANNI VAN DEN HONERT.

Ecce, nequit longùm virtus generoſa latêre:
Te ſibi Catvicum, ſane diſerte petit;
Quique viam monſtres, en, te deſiderat unum,
Quâ datur ad ſuperas poſſe venire domos.
Scilicet huic recti mores, pietaſque, tuusque
Notus erat verae religionis amor;
Quôque truces animos polles molliſſe ferarum,
Eloquii vires ſenſerat illa tui;
Scilicet audierat dotes tot pectoris illa,
Et cultum pulcris artibus ingenium;
Vtque tibi nunquam corrupit inertia mentem,
Doctrinae ſemper quam ſtimulavit amor;
Quam divinarum ſcrutandi oracula legum
Otia diffuſa ſit pulcra cupido ſequi.
Felix ſorte tuâ, Catvicum, terque quaterque!
Ex hac prima tibi eſt meſſe metenda ſeges;
Tuque iuventutis primaevo flore fruêris,
Pectore dum vegeto ferveat ille vigor.
Sponte vel excelſi ſervabis iuſſa Tonantis,
Laeta per exemplum dum ducis ire cupis;

Ille vel invitam recti te incendet amore,
  Eloquio flectet ſic tua corda ſuo.
Is quoties ſontis damnarit crimina vitae,
  Crimina in aeternum quisque peroſus erit;
Virtutem quoties culto laudaverit ore,
  Virtutis cupiet carpere quisque viam;
Commoda ſidereae quoties narraverit aulae;
  Quisque volet ſordes linquere, terra, tuas.
Nec vereare, ferox ſi quando inſurgat Avernus,
  Suetus in aeternum bella movere polum;
Pectoraque, a veri deducens tramite, tentet
  Errorum laqueis implicuiſſe ſuis:
Fortiter is cauſam defendere novit Olympi,
  Dirigit inque hoſtes ſpicula certa dei.
Pulpita Leidani teſtes ſint docta Lycei,
  Movit ubi toties pectoris arma ſui.
Auguror, et ratio eſt mihi coniectura futuri,
  Expetet has dotes patria tota brevì:
Amſtela praecipuè, toties qui, lane, parentis
  Ad vocem attonitâ lentior ivit aquâ,
Et non degenerem patriae virtutis et oris,
  Gaudebit ſobolem poſſe fovere ſinu.
Tum quoties dicet, cultâ dum voce peroras,
  Ille meus quondam talis Honertus erat;
Talis erat, dicet, vultusque ſtatusque loquentis,
  Oraque tam doctis ſolvit et ille ſonis.

Auguror, et quondam ſimilis te fama paternae
  Evehet, atque idem te decorabit honor;
Quaeque tuam iuvenis mentem Leidana Minerva
  Fovit, opem quondam ſentiet illa tuam.

IAC. PHILIP. D'ORVILLE.

IN OBITVM

IACOBI GRONOVII.

Ergo, magne ſenex, Gronovi care, fuiſti,
  Atque oculos clauſit mors inopina tuos!
Ergo diſcipulos, tibi pectora grati, relinquis,
  Auribus arrectis dum tua dicta bibunt!
Ergo, quâ nobis doctrinae nuper ad arcem
  Monſtrabas aditum, lingua diſerta riget!
Illa riget, quâ nos inter ioca laeta docebas,
  Quicquid habet Latium, quicquid et Hellas habet.
Heu! docti periere ſales, blandique lepóres.
  Heu! facies, omni tempore comis, ubi eſt?
Flete meos caſus, aeternùm, lumina, flete;
  Namque mihi flendi cauſſa perennis adeſt.
Ah! amor ille meus, ſtudiorumque ille meorum
  Dux fidus, triſti funere raptus, abit.

Veſtras adde meis lacrimas, confuſa caterva,
  Quae modò pendebas dulcis ab ore ſenis.
Flebilis ille cadit mihi, vobis flebilis idem;
  Vtque meus, veſter ſic amor ille fuit.
Sumite ferales, luctûs inſignia, veſtes,
  Pectoraque infeſtâ tundite nuda manu.
Iam vos pompa iubet crudele ſubire feretrum;
  Exuviasque manent iam cava buſta ſuas.
Triſte miniſterium rapto praeſtate magiſtro,
  Manibus et magnis ultima dona date;
Funereâ triſtem tumulum velate cupreſſu,
  Et lacte et veteri ſpargite ſaxa mero.
Vtque mero, lacrimis madeant ſic ſaxa profuſis;
  Et ter, Gronovi, dicite, care, vale;
Dicite, magne vale Gronovi, care magiſter;
  O amor, o populi deliciaeque tui.
Sed quid ego inſanus privato in vulnere ploro,
  Et memoro damnum, parva caterva, tuum?
Publicus hic dolor eſt; magnum vaga fama per orbem
  Deferet ingentis funera moeſta viri.
Vtque olim in ſilvis, latè ſua brachia pandens,
  Quercus, ab inſano flamine quaſſa, cadit;
Dumque cadit, ſecum proſternit cuncta ruinâ,
  Ruſticaque exterret corda fragore ſuo;
Sic, quàcunque nigris advecta volarit ab alis
  Fama, ſtupet tanti funera quisque viri.

Deflet Iber letum, Rhodanique flet accola letum;
  In partem luctûs, moeſte Britanne, venis;
Clade gravi ſolvit Germania preſſa capillos;
  Auſonis et plorat non minùs ora necem.
Tu quóque, Dane ferox, ſentis diſpendia, quosque
  Adſpicit Arctoo Parrhaſis urſa polo.
Et decus ante omnes tantum ſibi luget ademtum
  Belgica, Pieriis inclyta terra viris.
Quin dolor hic laeti pervaſit culmina Pindi;
  Et tetigit tantum numina magna malum.
Ipſe pater Phoebus laurum demſiſſe capillis
  Dicitur, et citharam depoſuiſſe manu.
Nec minùs Aonides et docta Minerva feruntur,
  Indutae moeſtos, damna dolere, ſinus.
Scilicet auxilium vobis tulit ille frequenter,
  Et veſter tali vindice crevit honor;
Dum de barbarie duxit tam ſaepè triumphos,
  Et fixit veſtris tot ſpolia ampla tholis.
Sunt teſtes, valido toties defenſa lacerto,
  Et Latium et Clarii Graecia cura dei.
Leida quoque eſt teſtis, doctorum Leida virorum
  Mater, Apollineo ſemper amata choro;
Quam nunc ante alias premit inclementia fati;
  Quam propiùs tangit publicus ille dolor;
Ille dolor tuus eſt; veſtes de pectore rumpe,
  Vnguibus et lania, Leida miſella, genas.

Parce nec a lacrymis; lacrymis perfunde ſepulcrum,
  Et planctu luctus teſtificare tuos.
Ille tui vixit decus immortale Lycei;
  Ille tuae vixit maxima fama ſcholae!
Hoſpes ob hunc creber viſebat moenia Leidae,
  Rumpebat coeptum et ſaepè viator iter.
At iam moeſta ſedes, tantoque orbata decôre
  Incuſas mortem, fataque ſaeva vocas.
Cur tamen usque adeò quéreris crudelia fata?
  Diſſecuit cani ſtamina Parca ſenis.
Iam ſatur annorum, parti iam plenus honoris,
  Aethereâ petiit ſidera celſa viâ.
Hic genitor natum cupidis amplectitur ulnis;
  Isque patrem magnum, non minor ipſe, tenet;
Iamque tuum captat, proles Gronovia, collum,
  Siderei ipſa recens incola facta poli;
Oſculaque infigens: teneo te? filia, dicit;
  Te teneo? lacrimis filia fleta meis.
Sic eſt, o deſideriis mihi millie petita,
  Obvia felici nunc mihi facta loco.
Ergo ego coeleſti tecum dape, filia, veſcar,
  Aeternoque fruar, te comitante, deo?
Iamque ego, ſi detur, curſus iterare peractos,
  Iamque tuum nollem, Phoebe, vidêre iubar.
Purius hic lumen ſtellantia tecta ſerenat;
  Terra, mihi ſordes; haec loca ſola placent.

Magna ſatis mundo liqui praeconia noſtri,
  Partaque, non unquam, laus, moritura, mihi eſt.
Quin etiam, extendant quae nomina noſtra per aevum,
  Sunt mihi felici pignora bina ſuper.
Tu modò, doctorum laus magna future medentum,
  Cui Paean artem tradidit ipſe ſuam;
Aegraque cui toties debebit turba ſalutem,
  Quô iam coepiſti, tu modò perge pede.
Et tu, natorum genitrici ſarcina ſumma,
  O animo penitus fixe, Abrahame, meo!
Tu, tu virtutique meae ſuccreſcis, avique;
  Et nomen veniet per ſacra noſtra tibi.
Barbaries quondam metuet te dira, tuamque
  Sentiet Hellas opem, resque Latina tuam.
Tu modò, quam genitorque tuus, genitorque parentis
  Calcavit, teneas, ſanguis amate, viam.
Sic eritis matri ſolatia grata dolenti;
  Sic eritis noſtrae laus recidiva domûs.
Haec ait, et, curis et ſollicitudine liber,
  Percipit aetherei gaudia ſumma chori.
At tu, Leida, viro perſolvas praemia magno;
  Perſolvas meritis praemia digna ſuis.
Nec tamen is mediâ, quamvis mercatur, in urbe
  Nobile de Pario marmore ſurgat opus.
Illa ſibi virtus, haud ambitioſa, negabit
  Munera; non a te talia, Leida, petit.

Tu modò virtutesque viri, atque ingentia facta,
  Et merita in memori pectore ſcripta tene;
Donec et illuſtri ſtabit ſua fama Lyceo,
  Gronovî ſemper nomina magna cole.
Certè ego, ſi quid id eſt, ſpectem dum lucida coeli
  Templa, nec effuſâ ſtet mihi Parca colo,
Vsque tuas dotes, Gronovi magne, ſonabo,
  Et tollam numeris alta ſub aſtra meis.
Nulla tuis venient meritis oblivia nobis;
  Semper erit noſtro pectore fixus amor.
Haec tantùm placidus, ſi iam mortalia cures,
  Accipe diſcipuli dona ſuprema tui;
Accipe, ſed meritis non reſpondentia tantis,
  Carmina pauca, tuis deproperata rogis.
Iamque vale, coelos, pretium pietatis, adepte;
  Vosque, precor, tellus non gravis, oſſa, tegat!

JAC. PHIL. D'ORVILLE.

IOANNI GRAAFLAND,

CVM I. V. D. CREARETVR.

Quale quis, irriguo perfuſus membra ſopore,
  Candida per noctem ſomnia ſæpè videt;
Et modò odoratis ſecurus obambulat hortis,
  Et modò ab arboribus mitia poma légit;
Aut dapibus feſtis lætoque indulget Iaccho,
  Aut ducit faciles ad ſua plectra choros;
Mox, ubi luminibus ſomnum lux orta fugavit,
  Tam parvæ queritur gaudia ſecta moræ:
Sic ego, Graaflandi, quinæ poſt tempora meſſis,
  Tempora convictu reddita grata tuo,
Hanc citò, ſera poteſt quamquam veniſſe videri,
  Diſcidii, doleo triſtis, adeſſe diem.
Succeſſuque licet meritò lætarer amici,
  Mens tamen in damno figitur usque ſuo;
Et, tua feſtivo comitari gaudia cantu
  Dum meditor, reſonat nil niſi triſte lyra.

Non aliter luxit fugiente Patroclus Achille,
  Talis et Euryalus Niſo abeunte fuit;
Non aliter Pylades caro divulſus Oreſtâ,
  Quàm de conſpectu diſtrahor ipſe tuo:
Namque ego, Iane, tuo ſic ſum percuſſus amore,
  Vt ſocii fuerat ille vel ille ſui.
Et meritò; ſive hos etenim concordia morum
  Vinxerit, haec eadem pectora noſtra ligat;
Seu vitae ſimilis tenor unanimisque voluntas
  Nexuerint mentes; nos ea vincla tenent;
Sive amor a tenero ſenſim ſuccreverit aevo,
  Nos etiam iunxit prima iuventa duos.
Atque utinam ſeros amor iſte adoleſcat in annos,
  Nec gelidi ceſſet funeris ante diem!
Spes haec una poteſt animum mulcere dolentem,
  Et deſiderium triſte levare tui:
Namque hanc non dubiam candor ſinit eſſe fidesque,
  Et tot amicitiae pignora certa tuae.
Me quóque ſolatur, quae nos conducet in unum,
  Haga, dolore meo nunc ovet illa licet.
Haga novis noſtrum nodis adſtringet amorem;
  Ah! quoties votis Haga petenda meis!
Interea, fauſtâ linquens ave moenia Leidae,
  Incipe virtutis pandere vela tuae;
Incipe, ſuffultum maiorum laude, decôrem
  Facta per et titulos aſſeruiſſe novos;

Incipe ad exemplum patriae utilis eſſe parentum,
 Libertas vigiles quos vocat alma ſuos.
O! quae me teſtem ſiſtat virtutibus iſtis,
 Hanc celeri portet Lucifer axe diem!

IAC. PHIL. D'ORVILLE.

IN OBITVM

DANIELIS SIMONIS SIBERSMAE.

Haec tibi ab Amſteliis, luctum teſtantia, ripis
 Vnus amicorum verba, Siberſma, fero.
Audior, an, Valachras mare quod circumtonat oras,
 Queſtibus horriſono murmure claudit iter?
Tu tamen undoſo feciſſe ſilentia ponto
 Diceris, et rabidos perdomuiſſe notos;
Flexanimâ dum voce piae ſacra myſtica turbae,
 Pectora contactus, pandis, et ora deo.
Alloquimur mutos cineres, et inania fruſtra
 Nomina; nequicquam ventus et unda ſilent.
Improba nex aures letali frigore durat,
 Inque locuturo congelat ore ſonos.

Et libuit fatis, poſitum iam mortis in ipſo
  Limine, ad externos proripuiſſe focos.
Aeger et inſtabili fuerat iactandus in alto,
  Languidaque in durâ membra locanda trabe.
Quantum erat, ut notos egiſſes ante Penates
  Temporis exiguum, quod tibi Parca dabat?
Hic certè affecto ſolamina plura tuliſſent
  Iure ſodalitio pectora iuncta tibi.
Eſt aliquid caros extremo in tempore vultus
  Cernere, et aeternum dicere poſſe vale.
Ipſe ego non viſi tot iam labentibus annis
  Preſſiſſem gelidas hoc ſemel ore genas.
Forſan et mihi patriae tibi ſpiritus aurae
  Tardaſſet Stygiae vela citata ratis.
Bis tria luſtra fugax nondum decurrerat aetas;
  Facta tuis medio calle ruina rotis.
Nec iuvit noſtro candor rariſſimus aevo,
  Pectoraque Actaeae cultibus apta deae;
Proque ſalute tuâ tot fervida vota bonorum,
  Vitaque quòd tota eſt puriter acta tibi.
Quin Mors, debilibus ſubducto ſanguine membris,
  His dudum meritis inſidiata fuit;
Hactenus at dextram minitantem Ditis avari
  Credibile eſt ipſum continuiſſe deum;
Ne pater in nato quicquam lacrymabile haberet,
  Neu ſurdo caderent irrita vota polo;

Scilicet ut filî manus altera et altera natae
Annoſi tegerent lumina feſſa ſenis.
Quid facitis miſeri! quid in oſſibus ora paternis
Figitis? attonito pectore mens quid hebet?
Quin parvum potiùs fraterno expletis amore
Tempus; in amplexus, dum licet, ite pios.
Brachia iuncta gravi iamiam ſolventur ab ictu;
Non ſoror heu! tibi iam, non tibi frater erit.
Non tibi frater erit, virgo miſeranda; relictae
Mens tibi in ignotis ecqua futura locis?
Certa recordanti pietas ſolatia ſiſtet,
Quae fuit in carum plena reperta caput.
Caetera mors finit. lacrymae, nec pectora tunſa
Profuerint gelidis, nec coma ſciſſa, rogis.

IAC. PHIL. D'ORVILLE.

IACOBO GRAAFLAND,

CVM I. V. D. CREARETVR.

Ecce etiam, fratrum veſtigia pulcra prementem,
Graaflandi, meritus te comitatur honos;
Certaque ſuſpiciens Themis in te pignora gentis,
Te gaudet myſtis annumerare ſuis;
Recluditque libens tibi nobilis aequora campi,
Quô victrix proavis palma relata tuis.
Hoc ſtadio genitor ſellâ reſidere curuli,
Et meruit patriae frena tenêre ſuae;
Et gemini fratres dare iura volentibus aequa
Civibus; hoc alios praemia certa manent.
Felix! cui monſtrant exempla domeſtica laudem,
Virtutisque vetant deſeruiſſe viam.
Haec tua dum ſequitur certiſſima ſidera puppis,
Contingat portum, flatibus acta ſuis!

IAC. PHIL. D'ORVILLE.

IN EFFIGIEM
BALTH. HVYDECOPERI.

Huidecoperum ſimulac pinxiſſet Apelles,
Aſſeruêre ſibi Muſa, Minerva, Themis.
Mentor at ambiguam potuit componere litem,
Et tabulas caeli munere mille dedit.
Nunc dea quaeque, ſui cultoris imagine laeta,
Hooftiadesque inter Vondeliosque locat.

IAC. PHIL. D'ORVILLE.

D. M.
D. SICCONIS A GOSLINGA,
AGRI FRANEQVERANI PRAETORIS, FRISIORVM ACADEMIAE CVRANDAE IV. VIRI.

Non ita Dardaniis deflectus matribus Hector,
Cum raperetur equis flebilis Haemoniis;
Nec talem e Sipylo lacrymarum depluit imbrem
Ob caeſam Niobe ſaxea progeniem;

Non ita luxerunt miſerae Phaëthonta ſorores,
Demerſum Eridani fulmine vorticibus;
Nec tali, ingeminans raptum Ceyca per undas,
Halcyone luctum carmine deproperat:
Ah! quale in noſtris circùm undique plangitur oris
Carmen inauditâ lugubre moeſtitiâ;
Aut quali in lacrymas ruit impete lamentorum
Pallida ab inflictis Friſia vulneribus.
Illa, ſoluta comas et nigro tegmine cincta,
Vt ſtetit ad pullas triſtior inferias,
Goslingam inclamat; ſilvaeque agrique reſultant,
Et repetunt voces litora luctificas.
Tunc ait: o multùm mihi dilectiſſime cedis,
Atrocemque animo linquis amaritiem?
Tu fugis? ah! cuius curis tranquilla quievi,
Qui mihi portus eras, qui mihi praeſidium.
Te duce non timui furiatos enſibus hoſtes,
Te mea legato res bene compoſita.
Ah quoties pro me caput obiectare periclis
Auſus es, et fluctus ſpernere terribiles!
Et quoties tibi ſollicitis in rebus amicam
Debeo opem, et praeſens conſilium in dubiis!
Me miſeram! quo curarum nunc obruor aeſtu,
Quàmque animi cunctis ſenſibus obſtupui!
Ille cadit, cadit iſte; coquunt mea corda dolores,
Addita quum cerno funera funeribus.

Plura locuturam vox deficit; et tremebunda
  Abreptum lacrymis heu! vocat et gemitu.
Perculſi exemplo, magni parvique, doloris,
  Quisque gemens moeſtum currit ad officium;
Goslingam planctu, Goslingam voce queruntur,
  Accenſi ingenti pectora triſtitiâ.
Et meritò: Patriâ quis enim lugente querelas
  Comprimat, aut ſiccis ſtet bene luminibus?
Quis? niſi Caucaſei ſatus intra concava montis;
  Quis? niſi ſit ferro durior et lapide.
Ipſae Caſtalides, confuſae pectora luctu,
  Nec fletum teneris continuêre oculis,
Nec breve moerentes valuérunt condere carmen,
  Quod tumulo inſcriptum poſteritas legeret:
Plectra ſed et citharas ſuſpendunt dona ſepulcro,
  Et ſua apud gelidos fata gemunt cineres.

1732. PETRVS WESSELING.

GENETHLIACON
P. VIRGILII MARONIS.

Haec lux Virgilii magno memorabilis ortu.
Quisquis ades, bona dic verba, animisque fave!
Sepoſitam induitur proles Latoïa pallam;
Pierides ponunt in ſtatione comas;
Feſtivo reſonat cantu Parnaſſia rupes;
Obſtrepit argutâ fons Heliconis aquâ.
Mincius indigenas inter laetatur olores;
Andina ingeminat et philomela ſonos.
Leucoſie Siren mandat Sebethidi nymphae,
Serta Maroneo florea det tumulo.
Octobres redeunt idus, quas maxima quondam
Signavit faſtis Calliopea ſuis;
Idus, quas proprio natali praetulit olim
Cantator belli, perfide Poene, tui;
Quas haud neglexit caſtè celebrare quotannis
Actius, antiquae gloria Parthenopes;
Sicuti concordes Thraſeam Helvidiumque iuvabat
Brutorum et Caſſi feſtum agitare diem.

Quid nos? quîs ſummae ſunt ſacra poëtica curae,
  Quos idem dudum conſociavit amor.
Non licet accumulare corollis buſta Maronis,
  Nam Rottâ nimiùm diſſidet ille locus;
Et duce cum turpi detruſo milite Celta
  Caeſareae vixdum redditus eſt domui.
Sed pleno, ut meruit, laudabitur ore poëta,
  Cui par Muſaeâ nullus in arte datur:
Qualiter inſpirata aliis anteiſſe putatur
  Fatidici Manto filia Tireſiae;
Quando Thebaïdum magnâ ſtipante catervâ
  Aut hoc, aut ſimili, ſolveret ora ſono:
En deus, en deus, en. Cadmeides, auſcultate.
  En deus, en deus, en. Abdita fata canam.
Tempus erit, Tuſcus de me quô procreet Ocnum
  Amnis, et Heſperiis cara ferar populis.
Progenies haec noſtra urbi nova moenia certae,
  Ac nomen matris tempus in omne, dabit.
Inde Latinorum lux fulgentiſſima vatum
  Ad Mincî placidas exorietur aquas;
Mollia qui tenero deducet carmina verſu,
  Et canet herois arma virumque modis.
Celſum ſidereo caput inferet ardua coelo
  Mantua, non unis Mantua dives avis.
Virgine ſic fatâ, plauſêre Iſmenides undae,
  Thebano et longum murmur in ore fuit.

Dicta fides, quamvis multùm miranda, ſecuta eſt;
Et quod poſteritas gaudeat omnis, habet.
Nunc autem quâ laude, Maro, te proſequar? unde
Principium ducam? quae mihi finis erit?
Luce tuâ ex humeris albus dependet amictus;
Fuſum ſolenni ſtridit in igne merum;
Splendida Panchaeis adoleſcit odoribus ara;
Dantur in accenſos annua tura focos.
Arkelius vocem iamiamque per ampla volutat,
Dilecti Muſis, atria Clotiadae.
Non tibi Sudermanna mele, non Haſia, ceſſant.
Te cantare ſuus quemlibet ardor agit.
Bucolicos numeros, et agri praecepta colendi,
Commemorem, in dubio eſt, an prius Iliada.
Innumerabilium perfecta ſcientia rerum,
Et vis ingenii pàret ubique tui.
Cum Bavio evomuit nequicquam virus in illa
Maevius, Auguſti temporis opprobrium.
Te Varus, te Maecenas, te Pollio, amavit;
Te Caeſar, mundi ſumma, caputque, ſui.
Flente tuo Anchiſâ Marcelli fata futuri,
Octavî, narrant, colliquimiſſe genus.
Rite tibi praeſenti aſſurrexiſſe theatrum
Verſibus auditis dicitur omne tuis.
Etſi religionem iniecit Carolus iſte,
Vt ſtatuae vivax non tibi fieret honos;

Attamen, ingenti velut eſt dignatus honore
  Magnus Alexander ſcripta Meleſigenae,
Sic providit Alexandri pia cura Severi,
  Dic poëtarum, ne quererere, Plato.
Iam tum geſſiſti nomen pergrande, decusque,
  Quum tibi tellurem contigit incolere.
Te verò ſimulac comprendit lacteus orbis,
  Poſt tua creviſti funera laude recens.
Illâ ſede beatorum iam, non novus hoſpes,
  Vivis ab invidiâ diſſidiisque procul.
Et modò geſtis Aſſaraci interviſere gentem,
  Et modò praeclaris vatibus ire comes.
Ante alios cum praeſtanti verſaris Homero;
  Haud rarò potius Ennius aſſociat.
Sancte, ſupervivit priſcae tua gloria Romae,
  Famaque per terras, limitis orba, volat.
Si ſtimulos nobis ſub pectore vertit Apollo,
  Tu quoque dexter ades, noſtraque ſacra proba:
Vt, dum nos Belgae patriis habitamus in oris,
  Scribamus Latiâ carmina digna togâ;
Vt maieſtatem, quae dos fuit ampla Quiritum,
  Belgica, quà fas eſt, lingua referre queat.
Sic ſine fine tui monumentum umbrare ſepulcri
  Cum platano, ac lauru, plurima myrtus amet!
Sic prope ſacratum cinerem ſit perpes aëdon!
  Quae variet queſtus ingenioſa ſuos.

Nec procul inde labro calamos percurrat hiantes
  Caprarum cuſtos, upilioque frequens.
Sic tumulum, cui Papinia accantare ſolebat
  E claro templi margine Muſa tui;
Quem iuxta Heinſiades noſtras, tibi nomen amicum,
  Plusquam conſueto numine tactus erat;
Sic tumulum illuſtrem creber ſpectator adire
  Gaudeat, inſtinctus religione loci!
Sic doctis ſint in manibus, divine poëta,
  Tityrus, et ſegetes, Iliacusque labor!
Sic, quicunque malis tua pulcra poëmata tentet
  Vocibus in foedum conſcelerare modum,
Asſimiles ſtolidi Phrygis auribus, arrigat aures,
  Debita perverſo praemia iudicio.
Hunc, ita pro meritis ſua tempora turpificatum,
  Sugillent comites navi Heliconiadum!
Fallor? an ara tremiſcit, Apolline mota ſecundo?
  Fallor? an increpitans dat bona ſigna chelys?

FRANC. HESSELIVS.

TEMPE MAARSEVENIA.

Veſtra ego Pieriis, o Maarſevenia rura,
Gaudia verſiculis deliciasque canam.
Graecia, quid ſtolidè iactas tua Theſſala Tempe?
Quid laudas Daphnen, Antiochia, tuam?
Hic locus eſt, dignum qui ſemideisque puellis
Praebeat hoſpitium, capripedique deo.
Per nemus umbroſum quàm leniter aura ſuſurrat,
Temperat ardorem quae, vage Phoebe, tuum.
Hìc dat humus flores, ſuperûm qui tempora cingant;
Hìc fluit, Arcadias quae riget unda deas.
Quid, niſi nectareos hìc coelum exſpirat odores?
Dulcia de quercu quid niſi mella fluit?
Hìc ſibi Pomonam iungit Vertumnus amatam;
Frondibus hic, pomis cingitur illa caput.
Hìc fecunda Ceres, ſpicis redimita capillos,
Pinguia munificis frugibus arva beat.
Hìc deus Ogygius, frontem circundatus uvis,
Vina ſerit campis uberiore manu.
Hìc ludunt hilarae per mollia prata iuvencae,
Ditat et agricolas lacte papilla tumens.

Hic virides crebris agros balatibus implet,
 Et tenero morſu gramina tondet ovis.
Cantet dulciſoni per litora curva Caici
 Cycnus, et irriguas voce ſerenet aquas;
Dignus olorinis dicatur cantibus, amnis
 Lydus, finitimae fama Caiſtrus humi:
Veſtra ego non noſtro praeponam flumina Vechtae:
 Hic quóque coeruleo flumine candet olor;
Hic quóque vitales mulcet concentibus auras,
 Et pennae Scythicas vincit honore nives.
Vechta, ſerenatis o ſemper amabilis undis,
 Nec volvens foedas pulverulentus aquas!
Heu! quò me, iucunde, rapis? quid cogis honores,
 Sidera quid laudes tollere ad alta tuas?
Non ego ſum, cuius dignè cantabere verſu;
 Sarcina non humeris cónvenit iſta meis.
Aequora lata peto, vectus quàm lintre puſillâ!
 Ipſe tuo faveas! aequora lata peto.
Quid mihi cum lymphis Aganippidos Hippocrenes?
 Quidve tuo mihi cum numine, Phoebe pater?
Quid mihi vobiscum, nymphae Libethrides? olim
 Tuque, ſagax Helicon, gaudia noſtra, vale.
Inſtar Apollinei fontis, mihi Vechta canenti
 Vitreus Aonias ſuppeditabit aquas.
Sit mihi de quercu decerpta corona virenti!
 Sic ego Daphnaeâ fronde carere velim.

Sic faveant pulcrae, quarum tibi copia, nymphae,
  Vechta pater; valeat docta novena cohors.
Arboreae frondes, et Maarſevenia Tempe,
  Sint mihi pro foliis, Pinde canore, tuis.
Elyſiis unquam ſi quis remearet ab agris,
  Dulciſonasque tuas, Vechta, videret aquas;
(Sic ego crediderim.) umbrarum non rurſus inanes
  Ille beatarum vellet adire domos.
Hìc licet, omnigenis reſolutos pectora curis,
  Gaudia perpetuis alma fovere iocis;
Hic licet illaeſa variis pietate beatas
  Vsque voluptates continuare modis:
Qualiter intonſi Saturno rege priores
  Miſcuerunt licitos religione iocos;
Qualiter Elyſiis formoſam in vallibus Orpheus
  Thracius Eurydicen ore manuque premit.
Non hìc ambitio, non regni dira libido,
  Non viget in noſtris livor opertus agris.
Ruſticus hìc nunquam vicinos ubera ferre
  Inſomnis queritur fertiliora greges.
Hic nunquam ſeges eſt alienis maior in agris;
  Hìc eſt agricolis omnibus una Ceres.
Talis inornati tenuerunt gaudia quondam
  Et placidos fructus conditionis avi.
Tale fuit tempus, nomen quod traxit ab auro,
  Antè, patrem contra quàm tulit arma ſatus.

Quid referam noſtro formoſas carmine nymphas,
  Formavit manibus quas Charis ipſa ſuis,
Quasque ſuo fovit gremio Cytherea Dione.
  Hae mihi ſint Muſae, Pieridesque deae:
Sive ſecant parvâ ſalientia flumina cymbâ,
  Litora formoſo ſeu pede laeta terunt,
Protinus approperant cycni, nymphasque ſalutant,
  Mite ſuae Veneris numen adeſſe, rati.
Fama, quìd Arcadias iactas ſine fine puellas?
  Sidera quid fictas tollis ad alta deas?
Comprime non veras voces, malè ſana vetuſtas:
  Tu mentita refers numina; vera cano.
Teſtis adeſt mihi Vechta pater, qui lambit amator
  Laetus ab illarum gramina tacta pede.
Teſtis, inexpleto quoties madefactus ab imbre,
  Illorum toties lumine ſiccus ager.
Hei mihi! quid facio? iam carmine carmina creſcunt.
  Quod deerit, noſtro carmine maius erit.
Heu! ubi portus adeſt? qui poſt diſcrimina tanta
  Excipiat placido lintea noſtra ſinu.
Sic ego; clamantem gelidis audivit in undis
  Vechta pater, querulos aure bibente ſonos.
Ille, ſono deceptus, aquas latebrasque relinquit,
  Et putat, heu! vatem rurſus adeſſe ſuum.
Notus Hyanteo clarusque cacumine, Roigans
  Haeret adhuc animo, Vechta ſonore, tuo.

Vechta, reconde caput, ſolitosque require receſſus;
Ille lyram movit: ruſtica canna mihi eſt.
Ille tuum cecinit, fidibus melioribus uſus,
Nomen, et albentes concelebravit aquas.
Odryſius cantu requievit flumina vates,
Doctus Apollineâ ſaxa movere lyrâ.
Fertur et Amphion lapides flexiſſe canendo,
Moeniaque Aoniis aedificaſſe modis.
Quis dubitaret adhuc, an curvus Ariona delphin
Suſtulerit mediis, ne moreretur, aquis?
Credite poſteritas, Vechtae Rotganſius undas
Et tenuit curſus praecipitantis aquae.
O quoties, quoties, viridi proiectus in umbrâ,
Aërias placido carmine mulſit aves!
Carminibus quoties niveos allexit olores!
Sancta per herboſam corpora fuſus humum.
Hoc quóque ſub vanâ recolebat imagine Vechta,
Nec potuit lacrymas continuiſſe ſuas.
Cominus at noſtras captavit ut aure Camenas,
Atque alium Lucâ vidit ut eſſe ſuo,
Ingemit, et moeſtas fúgit indignatus in undas,
Turbat et heu! placidas pulvere triſtis aquas.
Me miſerum, quid, Vechta, fugis? quid in antra recedis?
Quid refugis tenero magnus ab ore cani?
Iupiter humanis poſſit licèt ipſe carere
Laudibus, humano gaudet ab ore coli,

Eia fatigatas puris in carmina vires
  O recrea rivis dulce ſonantis aquae!
Mitis ades! nam, quem auxilio dignaberis, ille eſt,
  Qui cupit Aoniis te celebrare modis.
O blandi latices! liquor o! quem leniter aura
  Criſpat; Apollineis anteferendus aquis!
Tantale, vix tantâ caperere libidine, lymphas
  Si ſemel imbiberes effugientis aquae.
Laſſatum novus ecce furor, novus incitat ardor,
  Et nova de gelido flamma liquore vénit.
Te iuvat aſſiduis ſemper ceciniſſe Camenis,
  Et ſuus auctori iure redibit honos.
Lydius auratis valeat Pactolus arenis;
  Auriflui valeat ripa benigna Tagi,
Quique trahit rutilos fluctus Oeagrius Hebrus,
  Cumque metalliferis turbidus Hermus aquis!
Tu quovis mihi ſemper eris dilectior auro,
  O pater! o curae promta medela meae!
Seu, tua placatâ recubans ad litora mente,
  Feſſaque gramineâ corpora fuſus humo;
Agricolùm canto laudes et gaudia vitae,
  Quìsque caret princeps ambitioſus, opes;
Sive ad quadrivium, triviive vireta decori,
  Molliter arboreis tectus ubi ue comis,
Gaudia avi, proavique mei, ridentia rura,
  Adſpicio, et, propriâ quos poſuere manu,

Arboreos coetus, et, laeta cacumina, frondes,
  Quae reſonant voces dulce canentis avis.
O quoties, et quae, circundatus arboris umbrâ,
  Hîc cecinit querulo carmine paſtor amans!
Arvaque flebilibus replevit lata querelis!
  Vſque dolens faſtus, virgo cupita, tuos.
O quoties alius, cui blanda favebat amica,
  Gaudia narravit luxurioſus agris!
Saepius umbroſo verbis Meliboeus in arvo
  Phyllida dulciſonis ſollicitavit amans.
Hac ipſâ ſub fronde duos coniunxit amantes
  Saepius, imperio quae regit omne, Venus?
Dicite, ſi fas eſt, et ſi ſatis oris habetis;
  Quae docuit pueros dulcia verba Venus?
Dicite, nam toties vos audiviſtis amantes,
  Rura, et frondifero germine ſylva virens.
Vos quóque, quae crebrò, ne gaudia cantus amantum
  Rumperet unanimûm, conticuiſtis, aves.
At bona ſub tenebris ſua furta abſcondit opacis,
  Nec timidi teſtes Cypria amoris amat:
Concubuit Marti; Vulcano narrat Apollo;
  At miſero linguae crimen amore luit.
Non aliena velim diffundere gaudia teſtis.
  Iure tacetis agri, iure tacetis aves.
Tutiùs hìc curas ſylvis et gaudia narres:
  Hìc rura, hìc volucres, hìc nemus ore carent.

Hic placidâ requiete frui licet, inter eundumque
  Aoniam digitis ſollicitare chelyn.
Non etenim rarò ſylvas Pimpleides intrant,
  Et fronde umbroſâ gaudet Apollo tegi;
Ipſe etiam quondam vaccas paviſſe Pheraeas
  Fertur, et anguſtâ delituiſſe caſâ.
Sylva deis grata eſt, feſſis et ſylva quietem
  Parturit. Arva Ceres, arva Diana colit;
Quique, corymbiferis ornatus tempora ſertis,
  Tigribus impoſuit prima capiſtra feris.
Auditis? quàm dulce melos cantusque volucrum
  Sylva virens reſonat! quàm ſonat omnis ager!
O molles zephyrorum animae! o ſpirabilis aura!
  O ſuperûm ſedes! laetitiaeque domus!
Fallor? an hic locus eſt, feſſae qui ſaepè Dianae
  Excepit gremio candida membra ſuo?
Ille pharetrigerae quondam, per opaca vagantes
  Luſtra, deae vidit ſuccubuiſſe feras.
Hic locus eſt, humus haec, quam Cypria lactea dudum
  Fertur Acidaliis anteluliſſe iugis.
Has prope, credibile eſt, ſylvas et florida rura
  Coerula coeruleum regna tenêre deum.
Prima quidem fertur tenuiſſe palatia, puras
  Hic ubi Traiectum antiqua coronat aquas.
Hinc modò Bellonae, Martisque furoribus actus,
  Fûgit eò, quà nunc in mare fundit aquas.

Hinc quóque luctiſono belli clangore fugatus,
Dicitur incertas incoluiſſe domos;
Huc modò, nunc illuc fugiens, fera bella perosus,
Et poſcens madidis foedera tuta genis;
Donec ab ignifero clamantis numina coelo
Dicuntur precibus ſuccubuiſſe piis.
Tunc iterum feſſo ſibi certa palatia lègit,
Quà domus a curvo litore nomen habet.
Fallor? an Aoniae columen Rotganſius artis
Primus ab extremis huc revocavit aquis?
Ille, Therapnaei percuſſus Apollinis oeſtro,
Maeonio Vechtae carmine rexit iter.
Haec ego rura petens, Vechtanaque litora calcans,
Viſus Apollineo ſum mihi ſtare iugo.
Scilicet egregii tam turgida vena poëtae
Tranſiit in placidas, quas celebravit, aquas.
Non ſecus in muro ſonitus permanſit, Apollo
Quo fertur Clàriam depoſuiſſe lyram.
Hìc et, odoriferis circundata floribus, hortos
Diligit et redolens rus Zephyritis habet.
Gaudia quaeque domus ſua formoſiſſima praefert,
Et tellus herbâ verſicolore rubet.
Adſpice tulipas, et gaudia bellidas horti,
Vt rediit aeſtas, ùt fera ceſſit hiems.
Adſpice narciſſos, et luteolos hyacinthos,
Quaeque ſuo ſequitur lumine ſolis equos.

Nec vos, o violae, renuit, ranuncule, nec te
  Vechta pruinoſâ ſpargere lenis aquâ.
Hic rubet horrendas inter pulcherrima ſpinas,
  Puniceisque comis vernat amicta, roſa.
Nonne vides? virides ut pingat amaracus hortos,
  Et quem proſtratum Cypria flevit apro.
Quid memorem pulcros, et odoriferos amaranthos,
  Liliaque, hibernâ candidiora nive?
Innumerosque alios dicam ſine nomine flores,
  Ignotos quondam, terra Latina, tibi?
O horti virides! horti fragrantis odores!
  Tuque colorato germine terra ferax!
Qualiter, innumeris diſtincta coloribus, Iris
  Pallet, et ex aliâ parte decora rubet.
Hinc ſibi formoſo decerpunt pollice flores
  Naides, et ſylvas rusque Napaea colens.
Hinc ſua collecto circundat tempora ſerto
  Flora, racemifero ſacra datura deo.
Iucundum pergamus iter. iam vidimus hortos;
  Lumina deliciis ſunt ſatiata ſoli.
Quin et fructiferis arbuſta labantia ramis
  Inter diductas adſpiciamus aquas.
O pira, nectareo varioque ſuperba ſapore!
  O poma! o tenerâ pruna legenda manu!
O picti pepones, et humi naſcentia fraga!
  O cerasi! o puris laeta Cydonis aquis!

Idaeos, age, carpe rubos! en Perſica floret,
  Vicinumque ſuo replet odore locum;
Quaeque ſuis miſit de montibus Armenus olim
  Poma, verecundo fuſa rubore genas.
Vos quóque, virgineo quondam malè tincta cruore,
  Mora, rubeſcenti tingitis ora notâ.
Alma coronentur dulci carcheſia Baccho;
  Plurima de gravido palmite gemma tumet.
O rura, o ſylvas, o Maarſevenia Tempe!
  Terraque, deliciis digna iocisque tuis!
Cuncta tibi largae genialia gaudia cornu
  Fundit Amaltheae dives, humumque beat.
Ipſa foves gremio rutilantia poma feraci,
  Et mala, Heſperii gaudia priſca ſoli.
Hìc quóque quin patulis exſultat, Adonias arbos,
  Citrus, Atlantei montis alumna, comis.
Quid referam pulchrasque domos, et tecta ſuperba,
  Magnaque numinibus praedia digna coli?
Hic Tiburtinos placidus locus exhibet hortos,
  Gaudiaque Heſperii, Tuſcula rura, ſoli.
Quotquot et Auſoniae claras viguere per oras
  Antè voluptates, hic locus unus habet.
Denique quo memorem tua triſtia praelia verſu,
  Vechta, et ſanguineâ bella peracta manu?
Quid varias fortisque vices, bellique tumultus,
  Cum flueres trepidis ſanguinolentus aquis?

Cum Traiectini gererent flagrantia myſtae
 Proelia, ſacrifici belligerique ſimul.
Scilicet inſonti nocuit quóque culpa malorum!
 Hoc neque, pacis amans, fulmine liber eras!
At te de placido reſpexit numen Olympo,
 Aeternâque tuas pace beavit aquis.
Sic tibi coelicolae faveant utcunque benigni,
 Ne bellis iterum dimoveare feris!
I ſic perpetuâ requiete relabilis amnis,
 Et fruere aeternâ pace, favente deo!
Quò feror? armorum quò me rapit incitus ardor?
 Non facit ad noſtros ira furorve modos.
Aeratas acies alii, Martisque furores,
 Carmine Maeonio, foedaque bella canant:
Delicias ego, Vechta, tuas laudesque decusque,
 Et cano paciferum, pacifer ipſe, deum.
Tu verſus ſtudioque meos et amore rependas,
 Cantatorque tui dicar honoris ego!
Sis mihi tu placidus ſemper reſonantibus undis,
 Et mihi des facilem ſaepius ire viam!
Meque, fatigatum Phoebeo ſaepè labore,
 Excipe, gramineo molliter uſque toro!
Neve ſitibundo puros, pater, abnue fluctus,
 Neu caream recubans litore pace tuo!
Inſtar eris nobis Heliconidos Hippocrenes
 Semper; Apollinei numinis inſtar eris.

1703. BALTH. HUYDECOPER.

GOVARDO A SLINGELAND,

BREDAE ET CIRCVMIACENTIVM AGRORVM PRAETORI, CIVITATIS DORDRACENAE OCTOVIRO,

ET

AGATHAE HVYDECOPER MAARSEVEENIAE,

SPONSIS.

Poſcimur, o Muſae! Phoebei culmina montis
  Linquite; in auxilium caſta venite cohors.
Vos ego compello, patrio cui nuper amorem
  Carmine laudanti ſuppeditaſtis opem.
Vos ego compello, puri quas dulcia lecti
  Gaudia verſiculis concelebrare decet.
Nec vos aethereum rigidae ſpreviſtis amorem;
  Nec mihi non poſſit iuſta placere Venus.

Illa, parum noſtris, fateor, commota querelis,
Iure videretur commeruiſſe parum.
At quis terrigenûm ſuperis contendere demens
Audeat, et dominos inſimulare deos?
Forſan et aſſiduis concedet denique votis.
Sera licèt veniat, ſera, quod urat, habet.
Adſitis divae; neque enim ſine numine veſtro,
Quod placeat, nobis concinuiſſe datur.
Tu quóque, materies o fecundisſima noſtri
Carminis, aeternas inter habenda deas!
Diva, puellarum, puerorum, diva, voluptas,
Quam tener ex animo ſexus uterque colit;
Quam nunc egregius, repetito nomine, ſponſus,
Quam nunc ſub tacito pectore ſponſa vocat;
Huc formoſa veni, comitata Cupidine molli,
Cumque tuo gnato blandulus adſit Hymen.
Seu nunc Idaliae myrti ſpatieris in umbrâ,
Cognitave antiquis luſibus antra colas;
Seu te delectent Paphiae, tua turba, puellae,
Seu recreent Gnidiae detineantque nurus.
At, puto, iam (ſi fortè licet mihi vera fateri.)
Exciderunt animo nomina priſca tuo.
Praeque Gnido, carâque Papho, carisque Cytheris,
Iam magis Amſteliâ poſcis in urbe coli.
Iactet Roma ſuas numeretque ſuperba puellas;
Hìc quóque, quas iuvenes iure perimus, habes.

Hic quóque purpureis gaudet fluitare labellis,
  Spiculaque e tenero lumine vibrat Amor.
Veſta, quid aeternum iactare ſuperbiùs ignem,
  Et ſacra virginibus continuanda, ſoles?
At quoties (dirum pavidis cuſtodibus omen!)
  Díceris exſtincto contremuiſſe foco!
Purior hic illo, et multò eſt conſtantior ignis,
  Ignis, Acidaliae dulcis imago deae,
Qui vel virgineis longè collucet ocellis,
  Aut media obliquo fulmine corda petit.
Hinc quóque nos crebrò, gens non adamantina, vates,
  Diſcimus Aonii culmen adire iugi.
Spiritus hinc ille eſt, quo nos agitante poëtae
  Mulcemus blandis aſpera corda ſonis.
Carminis artificem, laudat quóque Phoebus amorem,
  Nec ſocium regni denegat ipſe ſui.
Scilicet expertus, pueri quid tela, quid arcus,
  Quid valeant geminae, fulmina grata, faces.
Haec ego non triſtis tacitum meditabar ad ignem,
  Tempore, quo feſſos recreat alta quies;
Quum ſubitò attonitas ſtridor diverberat aures,
  Et tota aethereo lucet ab igne domus.
Obſtupui, trepidatque citâ formidine pectus,
  Et tegit obſcurus lumina tacta vapor;
Qualis odoriferis quondam ſurgebat ab aris,
  Quis ſua mittebat munera dives Arabs.

Qualis, ubi ſine compare avis, prope litora Gangis,
Igne animam renovat, ſidera ſumma petit.
Tum verò audivi, vel ſaltem audire videbar
Verba, ſed inſolitis edita verba ſonis;
Qualia vel Charites, caſtaeve Heliconis alumnae,
Candida vel roſeo fundat ab ore Venus;
Sive Charis fuerit, Venus aut, ſive una ſororum
Caſtalidum: Venus at viſa fuiſſe mihi:
Scilicet eſt aliquid pulcrum ſibi quaerere; at illo
Poſſe frui, humanae non erit, inquit, opis.
Pulcra dei tribuunt mortalibus; optima quaeque
Innumeri exoptant; unus, et alter, habet.
Hoc homines brutis praeſtant animalibus: illis,
Quid pulcrum, aut quid ſit, noſcere, turpe, datum eſt.
At bruta hoc homini praeſtant animalia, quòd non,
Cùm meliora ſciant, deteriora petunt.
Hic ſibi perpetui temerarius ambit honorem
Nominis, et titulos quâlibet arte capit.
Alter, avaritiae depaſtus corda veneno,
Fomenta heu! morbi congerit ipſe ſui.
Ille aegri curas animi, atque incommoda vitae
Solatur ſtudiis, Socraticisque libris.
Clamabunt omnes: pulcrum eſt, quod quaerimus. errant
Tramite diverſo, quos furor unus agit.
Pulcher honos, fateor; regina Pecunia pulcra;
Pulcrum Pieriis invigilare choris:

Pulcrior at Venus eſt, ſine quâ neque honos, neque gazae,
  Nec mentem ſtudiis excoluiſſe iuvat.
Atria quid proſunt ſervantes ampla clientes,
  Si recubas viduo, magne patrone, toro?
Quaerere et aſſiduè quaeſitis addere durum eſt,
  Tum quóque cum curas dividit alma Venus.
Quique die Muſis et Phoebo conſecrat horas,
  Odit virgineo nocte iacêre toro.
Eſt homo pars pulcri; nemo ſine compare pulcher;
  Pulcra tener ſolus vincula nectit Amor.
Ille ſuas toti ſolus ſcit reddere partes,
  Et capiti gaudet iungere membra ſuo.
Hunc cane; cantanti nusquam patet area maior;
  Area non timidis tranſilienda rotis.
Nobilis hic ſponſus, ſponſa haec, tibi ſanguine iuncta,
  Quos nunc aeterno foedere vincit Hymen;
Hoc conſanguinei, laudataque nomina, patres;
  Et (ne plura petas,) hoc tua Muſa velit.
Pulcrum eſt, pulcra ſuo celebrare poëmate vatem;
  At tibi materies pulcrior eſſe nequit.
Talia voce refert, quisquis fuit ille deorum,
  Voce ſed ex tenera credo, fuiſſe deam.
Iamque ea deſierat; tum denique circumſpexi,
  Vicinum, lento lumine, quicquid erat.
Vndique nil, altae niſi grata ſilentia noctis;
  Et mea mulcebat pectora tuta quies.

Illa quies, quâ dulcis eget cantator amoris.
  Me miſerum! requiem quòd malè noſcit amor.
At mihi iam vires praebet mea Muſa canenti,
  Geſtit et in laudes ire, Govarde, tuas;
Et ſponſae, bene quam tibi iam Venus aurea iungit,
  Egregiae dotes enumerare velit.
Et faceret, tenuem niſi ſaepè experta vigorem,
  Tale recuſaret ferre pudenter onus.
Laudent venales, quorum iam copia, vates,
  Et tollant homines ſidera ad alta novos:
Non tibi vatis opus praeconia; non ego ſuetus,
  Laudes verſiculis attenuare meis.
Tu quóque, dum tenero circumdas brachia collo,
  Oſcula purpureis multiplicasque genis,
Scilicet egregium curas, Govarde, poëtam,
  Ordine qui veſtros enumerarit avos!
Te, te, ſponſe, cano. valeant pro tempore honores,
  Dum teneas manibus colla cupita tuis;
Dum dextram dextrae componere, et oribus ora,
  Dum liceat dominam continuiſſe ſinu.
Ludendi iam tempus adeſt; iam dulcibus horis
  Vtendum eſt: celeri cras pede cura redit.
Ite graves curae, miſerum genus! una, Govarde,
  Sit tibi nunc Agatham cura tenêre tuam.
Adſpicis, ut caſto tibi iam ſubrideat ore,
  Vt deſiderium comprimat ipſa ſuum;

Vtque tibi, nimiùm properanti, et multa volenti,
Contendat, cupidas ſubmoveatque manus.
Tu modò miraris pudibundae frontis honorem,
Dependens oculis, lenè tuentis, herae.
Et modò purpureis avidum pulcherrima malis,
Et modò te roſeis detinet illa labris.
Mox, ubi per niveum ſpatiantur lumina pectus,
Dicis: iö meſſis quanta futura mea eſt!
Felix ante alios ſponſe, et gratiſſime divis;
Exuviis meritò, ſponſe, ſuperbe tuis!
Tu quóque, matronas inter laudanda venuſtas,
Non minùs hoc domino ſponſa beata tuo!
Credite: non ſemper fallunt praeſagia vatum;
Rara carent vatum pondere vota ſuo.
Vivite felices! numerumque implete dierum,
Quot fertur Pylius continuaſſe ſenex;
Aut quot cum tremulo rugoſa Philemone Baucis
Vidit in Heſperium praecipitare fretum.
Amſtela iam, totis plaudit iam fluctibus Ya,
Plaudit et e mediis iam tibi Vechta vadis.
Gaudia, Vechtanae, haec narrate ſororibus, undae;
Merva haec cum ſociis ingeminabit aquis.
Indè ad finitimos properabit fama Brabantos,
Deliciasque ſui Merca probabit heri.
Breda ſuo dignos ſatrapi gratatur amores,
Dordracum civi vincula digna ſuo.

Nos quóque, qui patrias vacui cantamus ad undas,
Conſcia laetitiae verba, notasque, damus.
Adſit Hymen, blandus vosque omine iungat amico,
Et faveat caſto pronuba Iuno toro!
Sed fúgit ecce dies. quid vos moror ampliùs? en! iam
Veſper adeſt, et vos dulce cubile vocat.
Ite pares animae: ſtravit Cythereïa lectum
Mollis, et Idalias ſparſit ubique roſas.
Ludite concordes, et baſia iungite mille,
Baſia, purpureis ſaepè iteranda labris;
Donec, inexpleti poſt plurima gaudia amoris,
Corripiat ſerus lumina veſtra ſopor.

BALTH. HVYDECOPER.

PETRO BVRMANNO SECVNDO,

PRO CONCIONE DICENTI.

Dum canis, et, quòcunque libet, modulamine linguae
  Auditorum animos, Petre diſerte, rapis;
Atque ipſa, antiquis nova ſi componere fas eſt,
  Ad numeros ſeſe ſaxa movere doces;
Invitum retinent pigrae tormenta podagrae,
  Ne fierem denſi pars quotacunque chori.
Quid faciam interea? fingo, (nam fingere vatum eſt.)
  Non audita aures verba ferire meas;
Abſentem veluti iuvenis dum plorat amicam,
  In ſomno fruitur, quo caret, alloquio.

1766. BALTH. HVYDECOPER.

PETRO BVRMANNO SEC.

FILIOLI, FRANCISCI PETRI, NATALEM ALTERVM CELEBRANTI.

Cum, tibi dilectae, partu Lucina ſecundo
  Vincula Dorotheae ſolveret, aeger eram;
Nec poteram, laetos puero, celebrare penates,
  Aut dare votivas ore favente preces.
Saepè chelyn ſumſi; at digitis vix ſumta relapſa eſt,
  Nec valuit chordas tendere laſſa manus.
Saepè mihi Paean ſubmiſſâ eſt voce vocatus;
  Sed puto, tam fractos non penetraſſe ſonos.
Nunc iterum aeſtivi ſcandens ſol tergora Cancri
  Tranſiit obliquae ſidera cuncta viae.
Quique celer puero natalia feſta reduxit,
  Iam redit Eois Lucifer albus equis.
Ergo age, Petre, meae nunc accipe dona Camenae:
  Sera, ſed appoſito mittimus illa die.

Turba ſalutantum laeto clamore frequentant
  Tecta; calent crebro limina trita pede.
Ad ſacra candenti veniunt in veſte poëtae,
  Pieriisque domus perſonat ampla modis.
Flecte leves currus doctorum ad carmina vatum;
  Quos alis ad ripas, Amſtela blande, tuas.
Tuque vaca, pater Ya vaca! Burmannia proles
  Dum canitur, lentis te decet ire rotis.
Flumina, Naïades, viviqne ſedilia ſaxi
  Linquite, et irriguo ſpargite rore locum.
Spargite, quae viridi de ceſpite ponitur ara,
  Omina vivaci gramine fauſta gerens.
Vos quóque, quae ſilvas habitatis, et antra, puellae;
  Ferte pedem celeres huc, age! ferte pedem.
Scilicet et colitis ſilveſtria numina vates;
  Spirat et in vatum pectore veſter amor.
Carpite ïo! frondes et florea nectite ſerta,
  Veſtiat ut calidos multa corolla focos.
Audior; en properant nymphae, riſuque benigno
  Proiiciunt calathis munera larga ſuis;
Quidquid alit tepidâ bene fertilis hortus ab aurâ,
  Quidquid et aeſtivo tempore nutrit ager.
Dumque pluunt herbae, dum florum decidit imber,
  Aligerûm frondes ſedula turba legit.
Hic tegit infantis flaventi tempora calthâ,
  Alter odorato baccare colla ligat.

Aggerit is tenerasque roſas ac mite papaver,
Et locat in mollem mollia membra torum.
Hic violâ et croceo cunas diſtinguit acantho,
Addit et, Hyblaeas quod bene paſcat apes.
Trina Charis ducunt chóreas, riſusque, leporque,
Mellitique ioci, blanditiaeque leves.
Graia Venus teneris inſtillat mella labellis,
Dum recipit puerum Suada Latina ſinu.
Ecce vénit Clio fuſis per colla capillis,
Nuda pedem, niveâ conſpicienda togâ.
Acceleratque gradus, genialia dona ferentum,
Caſtalicum Clio cum duce tota cohors.
Talia Calliope tibi, belle, crepundia ſunto,
Inquit, et aeneolam porrigit illa tubam.
En, ait Euterpe; (tibi erit quóque tibia curae.)
Accipe, quae digitis tibia facta meis.
Melpomene picti dat parvula vincla cothurni,
Dat tenero ſoccos blanda Thalia pedi.
Caetera turba gerit vitreos de fonte lapillos,
Per quos Caſtaliae deſluit humor aquae;
Montis et Aonii lectas in vertice lauros,
Atque hederae ornandis germina lenta comis;
Quisque tulit niveas, capiti decoramina, plumas,
Amne Meduſaeo qui natat, albus olor;
Pocula praecipuè ſpumantis plena liquoris,
Vnde calent Clarii pectus et ora viri.

Ipſa vénit, poſitis galeâque et Gorgone, Pallas;
  Crinibus en pexis Delius ipſe vénit;
Noſter eris; tenui dicit Jove nata ſuſurro;
  Reſpice nutricem puſio, noſter eris.
Lingua procax abſit, ſint ora faventia ſacris;
  Sancta manus Phoebi dat pia thura foco.
Ipſi, ait, hos Genio pingues adolemus honores,
  Et, quibus eſt vitae credita ſumma tuae.
Blande puer, primis creſcas ut laetus ab annis!
  Curamus vatum pignora parva dei.
Strix inimica nigris non te circumſtrepet alis,
  Nec graciles artus Theſſala ſaga premet.
Inque dies gravior pendebis ab ubere matris,
  Nec dulces ſuccos improba tanget anus.
Incipiesque brevi notas reptare per aedes,
  Balbaque dimidiis nectere verba ſonis.
Mox pater Aonias animum formabit in artes,
  Et dicet, Phoebi quid ſibi ſacra velint.
Amphitryoniadae Eumolpus praecepta canendi,
  Aeacidae Chiron plectra canora dédit.
Tu mage dilecti rapies dictata magiſtri,
  Quosque ſequere modos praecinet ipſe pater;
Ipſe pater, priſcis tractat qui fila poëtis
  Aemula, Romanae luxque decusque lyrae.
Vindice quo ſemper noſtrâ nitet ignis in arâ,
  Ac ſuus Aoniis perpetuatur honos.

Ille viam facilem monſtrabit ad ardua Pindi,
  Quàque pedem flectas, molle parabit iter.
Tempore quo reliqui primo vix pollice chordas
  Sollicitant, docto carmine clarus eris.
Numine ſic plenus, noſtro ſic percitus oeſtro,
  Deſidiam pelles, barbariemque procul.
Arcebis fatuos ſacro de colle Vacerras,
  Ac metuent Bavii vindicis arma manus.
Sic nova Burmannae tribuetur gloria genti,
  Gaudiaque in tumulo ſentiet umbra ſenis.
Interea improperae tibi ducent ſtamina Parcae,
  Mitiaque aetatis tempora lenè fluent.
Cumque dies veniet, qui quod mortale repoſcet,
  Pars melior vitae ſaecla perennis aget;
Quamque colunt vates, aeternâ ſede receptus,
  Calcabis Clarii culmen utrumque iugi.
Finiit. omen adeſt. coeleſtia nube recedunt
  Corpora, et ambroſio ſpirat odore locus.

A. D. IX *Kal. Quinctil.* 1757. ERNEST. GVL. HIGT.

IN ALBO

ADRIANI VAN SOLINGEN.

Belgica victuro canitur cui carmine virtus,
Ad famae auſpicium nobile ut iret iter,
Pieridum, Solingus, amor, Phoebique medentis:
Huic poſui verae pignus amicitiae.

1778. PETRVS BVRMANNVS SECVNDVS.

DELICIAE BLYGEESTANAE.

Salvete, o Latiae iucunda latêbra Camenae,
Ad Blygeeſtiacos rura beata lares.
Royenio ſurgit quae proxima villa poëtae,
Hoyero Aalſtiaden iungit amoena ſuo.

Hic, ubi ruricolis ſervantur et otia Muſis,
  Quàque ſuus Phoebo continuatur honos.
Nam neque ſocordi mens eſt torpere veterno;
  Aut trahere optatâ languida membra die.
Ipſe Machaonias curo ſeu ſedulus artes,
  Tranſigimus Clariis tempora ſive modis.
Excitat hìc numeros, ad barbara litora terris
  Auſoniis profugus, Naſo poëta meos.
Et, qui Terminiis cecinit Ludovicus in umbris,
  Percutit hìc niveum religioſus ebur.
Seu Themidi ſacras ſocius non denegat horas.
  Maturè ut querulas ſurgimus inter aves;
Reliquiae preſſi mihi dant ientacula lactis,
  Quasque ſerum meritò ruſtica turba vocat;
Corpore quod labem ſucco depellere aquoſam
  Dicitur, innumeris et medicina malis.
Caffea ſed ſocii grata eſt diluta palato;
  Me iuvat haec, calido cum nitet igne focus.
Mox redit hinc vivax ſtudiorum ſenſibus ardor,
  Atque alacris ſolitum quisque reſumit opus.
Plurima ſic mediae conſumitur hora diei,
  Et matutinae tempora lucis eunt.
Donec anus frugi vix ſtratae fercula menſae
  Afferat; his luxûs at decus omnis abeſt.
Aurea ſimplicitas, dudum quae grata colonis,
  In Biygeeſtiaco continuatur agro.

Prandiique aſparagus praebet, qui clauſa reſolvit,
Veſicae et patulas efficit eſſe vias.
Adduntur vituli, ſed rarùm, candida carnis
Fruſtula, ſeu frixae, ſeu mage toſta iuvant;
Quaeque ſub aeſtivo naſcuntur edulia ſole,
Pernaeve Weſtphalici munera pinguis agri.
Proxima vel piſces menſae Warmonda miniſtrat.
Haec faciunt noſtras fercula grata dapes;
Aut, Catviciacis affert quos gnavus arenis
Piſcator, pretio vendit et uſque levi.
Te tamen Auſoniis haec inter care poëtis,
Bacche pater, ſiccum praeteriiſſe nefas.
Namque, racemiferis mittit quod Gallus ab oris,
Ponuntur rubro pocula plena mero.
Ducimus hinc pranſi vafros in retia piſces,
Oblectat propriâ quos iugulare manu.
Seu mattis urbanis tempus ſacratur amicis,
E quibus hìc nobis unus et alter adeſt;
Vndique ſeu patulâ libeat reſidére tabernâ,
Tendit ubi Aaltiacae fila Camena lyrae.
Proſpicere et pecudum ſpatioſis agmina campis
Hìc datur, et varias rura colentis opes.
Dum volucres vacuas implent concentibus auras;
(Nulla e tranquillis rana coaxet aquis !)
Parcharis hic niveae ducit dum plena iuvencae
Vbera, dum ſaturas Tityrus urget oves.

Veſpere lactucâ iunctis ſatiamur amarâ
  Piſcibus; hos dominis ruſtica frigit anus;
Et modò lac cibus eſt, butyro pingue natanti,
  Mixtaque ſylveſtri liba cupita gulae;
Swarmiadae noſtri quae fercula grata palato,
  Nunc quóque deliciis annumeranda meis.
Quique bonus frugi non ſpernit munera coenae,
  Aſſidet, et priſci temporis acta novat.
Indè vale dicto caris libamus amicis,
  Tendit ad urbanos turbaque grata lares.
Mox ſopor ut focii, noſtros ſic occupat artus,
  Membraque ſtramineo ponit uterque toro.
Quis neget haec primi felicia tempora ſaecli?
  Inclyta iam numeris tempora, Flacce, tuis.

IANVS OVTMAN VAN AALST.

AD

O. M. ODÉ,

AD INDOS ABEVNTEM.

Accipe, dilecti quondam genitoris imago,
  Quae vénit a fidâ littera miſſa manu.
Agnoſces noſtramque manum, noſtrumque dolorem,
  Multaque de madidis uvida verba genis.
Atque utinam haud mittenda foret tibi littera, neu tu
  Tentares longae longa pericla viae!
Viveret o utinam genitor tuus, et fera Parca
  Verſaſſet longas obſequioſa colos!
Non orae tibi Memnonides nunc appeterentur,
  Concha nec, Eois nobilis aequoribus;
Nec tibi, quà Ganges mare maximus exit in altum,
  Vnda procelloſi rubra ſecanda ſali;
Nec tua te lucri, vix exſatianda, cupido
  Ferret Achaemeniae litora barbariae;
Non ego, ne funeſta forent tibi fortè, timerem,
  Indica famoſis aequora naufragiis;
Et fera ventorum frangant ne murmura puppim,
  Et tua longinquus viſcera piſcis edat;

Contemtusve in te pelagi moderator Eoi
  Saeviat, et regnum vindicet ipſe ſuum.
Iam dudum poenas hominum de ſanguine ſumit
  Fervidus, et ſpreti permanet ira dei;
Ex quo, ſacra diu ratibusque intacta, protervae
  Aequora Luſiades tranſiluere rates.
Advena Vaſcus erat, Hiſpanis rector ab oris,
  Et ſceleris noſtri nave vehebat onus.
Iamque novi tumidus ſuperarat limina ponti,
  Cum deus e glaucis extulit ora vadis.
Forma minax, qualemque deo decet eſſe; tridentis
  Inque dei dextrâ miſſile pondus erat.
Atque ait: „ O neſcis, ſacri nove nauta profundi,
  Quanta per Eoas damna petantur aquas.
Quid tibi cum noſtris, ratis o temerarie rector,
  Aequoribus? regnis, advena, cede meis.
Quid tentas ponti regimen? mortale recuſat
  Imperium; ſolus numinis ille mei eſt.
Auſus erat, memini, Macedo devota ſuperbus
  Theſſala Memnonio pandere vela mari.
Terrarum eſt quodcunque, meum eſt; maria ultima reſtant;
  Accedent regnis haec quóque victa meis;
Dixerat, et totum claſſem demiſit in aequor,
  Laeſaque ſacrilegas non tulit unda trabes.

Erigor in fontes, irataque murmura tollo;
  Et natat Eoo Graecia tracta ſalo.
Pars merguntur aquis, partem fuga turpis et Indi
  Litora vix tumidis eripuere fretis.
Vos, eadem audentes, auſi manet exitus idem;
  Dum licet, Heſperiae vertite roſtra rates;
Dum licet, et nondum reditus maris ira coërcet,
  Negligit et fuſas ſurda procella preces.
Sed neque vertetis, fruſtraque ego ferrea tento
  Pectora; devotos funera quanta manent!
Conſumtis cunctisque ſali coelique periclis,
  Cum tulerint multas ignis et arma neces;
Sacrilego poenas poſcet de ſanguine Belga,
  Serus et admiſſi criminis ultor erit.
Indaque conſpiciet tellus, ſuperante Batavo,
  Heſperia Eois cedere vela fretis.
Nec maris hìc laeſi ſtabit vindicta; laceſſet
  Vrgebitque tuas, dure Batave, rates;
Et noſcet, quicunque ſacrum tranaverit aequor,
  Aequoris ultores, ſe violaſſe deos."
Haec deus, et tumidas frendens ſe immiſit in undas,
  Glaucaque coeruleis condidit ora vadis.
Quicquid id eſt, timeo; nec tu praeſagia temne;
  Auctorem certè res habet iſta deum.
Ne, precor, exhauſto tanti tibi flumine Ganges,
  Neu ſint Iavano litore divitiae!

Si tamen ire paras, te dira nec omina terrent,
  Irato cautus te modò crede mari.
Seque viae comitem facies mea iungat, ut aequè
  Non poterò Euryali non meminiſſe mei.
Et, ſeu perpetuò nos hospita ſeparet ora,
  Sive iterum iungent patria rura, vale!

IANVS HELVETIVS.

AD

HERMANNVM OOSTERDYK, IOAN. FIL.

DE FRAGMENTIS VENVLEII SATVRNINI

DISSERENTEM.

Traiecti turres, celſasque tuentia turres
  Templa Camenarum Cecropidosque deae,
Et, qui priſca rigas, maioribus additus undis,
  Moenia, laurigeris amnis amice choris;
Si qua, per aſſertas ventura foventibus artes,
  Gloria, et Aoniae vos pius artis amor,

Et quod ab egregiis decus ampliùs exſtat alumnis,
Et pia praecipuo tangit honore Themis;
Candida gratanti diffundite gaudia plauſu,
Et laetam molli protrahite ore diem;
Quâ modò Palladias tenebris bene nata fugatis
Lux nova nunc artes purior igne fovet;
Quâ modò, Pieriſin dudum decus additus, almae
Hermannus Themidi ſpes recidiva micat.
Ille, decus iuvenum, doctae fax ille cohortis
Clara, Machaonii ſanguinis altus honos.
Quem Bona Mens iuvenem, ſtudiorum candida cuſtos
Vna, poëtarum fida magiſtra choro,
Et, vultu confeſſa faces, Laudum alta cupido
Ornat, et aſſiduâ ſedulitate Labos;
Cui Charites puero, puero riſere Lepóres,
Et pater a bifido Cynthius ipſe iugo;
Evexitque tholis, laurique recentia grana
Praebuit, et purae flumine lavit aquae;
Verbaque ut ad numeros aptantem mollia vidit,
Et puerum facili tangere plectra manu;
Ingenium tantique diu miratus alumni,
Talis inauratum ſollicitavit ebur:
Creſce venuſte puer, magnum Patriae incrementum,
Et patri, et noſtris gloria ſumma ſacris.
Te fore Theſpiaſin, ternae cecinere ſorores,
Te fore legiferae praeſidiumque deae.

Quàm laetum lux illa, tuo quae praefuit ortu,
Omen Hyanteis condidit alma viris!
Quàm laetum, tanto quae Romula vindice iura
Stare videt, Themidi contulit illa decus!
Creſce venuſte puer; noſtris victura Camenis,
Addita conſultis famaque, creſce puer!
Si qua fides, rarus quas nunc colere audet, (inepti
Et fatuum hunc populi mox levis aura notat.)
Tempus erit; nobis renovatas cultus ad aras
Surget ab auſpicio purior usque tuo.
Vtque aliis Belgas, Belgis te fama poëtis
Maior, ab arguto carmine parta, manet.
Tu modò ne differ Famae tentare faventis
Saecula, et Aoniis voce praeire choris.
Adſpicis? en tenerae rubuere roſaria fronti,
Et capiti frondes myrtus amica novat!
Mox, ubi firmatis veniet vigor acrior annis,
Muſaque Maeoniis celſior ibit equis,
Frondentes hederae ſerpent tibi, noſtraque laurus
Arbor honoratà tempora fronde premet.
Nec minùs hoc nato genitor caput exſeret altum,
Gloria Paeonio quàm fuit ille patri.
Altera venturis auctor gravis ecce triumphis
Ars vocat; ad partes iam Themis aequa vénit.
Incipe nunc geminae titulos, puer, omine laudis
Cenſere, et gemino ferre labore decus.

Nec tu turpe puta cultis ſociare Camenis
Iura, nec ad duplices munera ferre focos,
Ipſa Themis ſacro Parnaſi culmine nobis
Aſſidet, et noſtris proxima templa tenet.
Scilicet ingenio nervos, nervosque ſagaci
Iudicio ſpondet cura ſevera deae;
Et rurſus cultumque ſtilo, venaeque vigorem,
Verbaque quae ſcribas mollia, Muſa dabit.
Tu ſapiens utramque coles; te ſaepè ferente
Fumet ab alterno thuris honore focus.
Vtraque ſic, purâ, tibi, dum venerabere mente,
Numina victurum nomen habere dabunt;
Belgica ſic longùm, cultas gratata per oras,
Victa tuâ referet barbara monſtra manu;
Sic iuvenum numeroſa cohors, te principe, tanto
Exemplo, geminae ſurget alumna deae.
Haec deus: arguto cygnus dédit omina plauſu;
Et crepuit ſacris laurus adulta focis.
Pondus adeſt verbis; longo par eſſe labori
Volvis, et, in ſaeclum quae iuvet ire, moves.
Et modò per veterum libros, nunc ſcripta recentum
Ire iuvat, mentis quò rapit aura tuae.
Vel priſcis aequanda canis, quae vita Properti,
Pelignusque vigor concinuiſſe velit.
Auditisque ſacri favere cacumina Pindi,
Fluxit et Aoniis purior unda vadis.

Talis, ab Argolicâ lapſus modò matre, capacem
Pulveris Elei ſe probat acer equus.
Talis Franciadae numeris iuvenilibus amens
Creta vocat durum, quo valet ore, Iovem.
Mox Themidos nova cura ſubit; dat gloria vires,
Et Genio debet ſe dea cana tuo.
Nec minùs hinc doctâ cinget tibi fronde capillos,
Quàm dudum Aoniis parta corona modis;
Praemia quâ ſancti reddit Themis ampla caloris,
Doctaque multiplici pagina laude nitet.
Ipſe tuus furvo favet et Venuleius ab orbe,
Seque alio dictum cultiùs ore negat.

1755. IANVS HELVETIVS.

ISAACO TER BRVGGEN,

CVM PVBLICARVM CAERIMONIARVM IN HERMELA ANTISTES INAVGVRARETVR.

Haud ſecus ac denſâ triſtiſſima turtur ab ulmo
 Comparis amiſſi damna cruenta gemit;
Haud ſecus ac nati crudelia funera mater
 Luget ad incenſos officioſa rogos;
Sic ſibi paſtorem plorabat nuper ademtum
 Hermela, purpureas dilaniata genas.
Sic ſibi ſubreptum, luctu confuſa, dolebat
 Rhoeriaden facto, Gouda beata, tuo.
Vidit ab aſtrifero venerabile numen Olympo,
 Quod regit imperiis quidquid in orbe ſuis.
Vidit, et indoluit, ſortem miſeratus iniquam,
 Rex bonus, aeterni Chriſtus imago dei.
Sponſa, animo iuſtos, mea, têne fovere dolores,
 Nec tua damna mihi tangere pectus? ait.
Sic priùs et propriae ſubeant oblivia dextrae;
 Sic priùs et noſtri ſim nihil ipſe memor!

Quid gemis? o pulcras inter pulcherrima nymphas,
  O decus, o ſponſi ſplendor amorque tui!
Deſine plura queri; neque enim ſine numine noſtro
  Rhoeriades abiit; deſine plura queri.
Scilicet auſpiciis volui vexilla ſecundis
  Rhoeriaden alio figere noſtra loco.
Nec tamen ex animo veſtrae mihi cura ſalutis
  Excidit, o pretio ſanguinis emta mei!
Scis bene; (iuravi toties.) inciſa geruntur
  Veſtra mihi palmis nomina cara meis.
Hinc aderit vobis, ſuccedere dignus ademto,
  Myſta novus; parvas temporis adde moras.
Dixit, et aligerae ter ïo! pia turba, phalanges
  Coelicolûm laetis ingeminare modis.
Quin age! quae, nullo caſurum temporis aevo,
  Hermela, Burmanni carmine nomen habes;
Quin age! nunc animo conceptos pone dolores,
  Et lacrymis madidas terge, beata, genas.
Pondus habent promiſſa dei; novus, ecce! ſacerdos
  Aethereo vobis munere miſſus adeſt.
O te felicem tali paſtore futuram,
  Hermela, iucundo dulcior ora ſitu!
Non illum faſtu turgere videbis inani;
  Non illum a recto tramite ferre pedem.
Emicat in cunctis moderata modeſtia factis,
  Et probat exemplo, quae docet, ipſe ſuo.

Tu verò, egregii, dilecte, parentis imago,
  Temporis alta tui gloria, noſter amor;
Tu, tibi delatas divino numine, partes
  Suſcipe, Chriſticolam paſcere rite gregem.
Iam patet, et meritò, (rumpentibus ilia Codris.)
  Dotibus ingenii ſcena perampla tui.
Iam tibi congeſtas curâ vigilante, licebit
  Promere doctrinae nobilioris opes.
O bene! quòd merces tibi digna laboribus illis,
  Quòd veniant ſtudio munera digna tuo.
Noctibus emeritis turpi languere veterno
  Plebs amet in medios deſidioſa dies.
Ite procul ſegnes, oneroſaque pondera terrae,
  Vulgus iners, vacuum laudis amore genus.
Te pede non dubio per acutos carpere ſentes
  Ad ſolidae culmen cognitionis iter;
Difficilemque ſequi, mentes heroibus ortae
  Quam praeeunt, populo turba remota, viam;
Te iuvat in ſtudiis omnem poſuiſſe laborem;
  Haec recreant animum ſola tenentque tuum.
Vos ego, Belgarum, Traiectum, teſtor, Athenae,
  Artibus ingenuis officioſa parens.
Vos iuvenis coluit multos Bruggenius annos,
  O decus, o noſtri flos et ocelle ſoli.
Teſtor et acceptos Sophiae Doctoris honores,
  Care, tibi merito ſplendida dona tuo;

Perpetuâque viros ſlorentes laude togatos,
Auſpiciis quorum res tibi geſta fuit.
Scilicet, ut pavidas generoſa leaena capellas
Non ſolet ignavum progenuiſſe pecus;
Sic quóque diſſimilem genitor tuus, optime rerum,
Non potuit natum te generare ſui.
Huius ineſt celſae mirabile mentis acumen,
Huius ineſt animo candor, amice, tuo.
Vt pater Aeneas et avunculus Hector ab annis
Aſcanio teneris nobile calcar erant,
Sic, vitae tibi cauſſa, parens tuus ille, virorum
Gloria, qui docto nomen in orbe gerunt;
Sic ſtimulos culti decus ille Covinius oris
Addiderunt animo ſemper, amice, tuo.
Hos precor, aethereâ quorum alter veſcitur aurâ,
Veſceturque diu, ſi mea vota valent;
Alter ab Amſtelis, novus incola, fletur, Olympi,
Prô dolor! ad ſuperas nuper abiſſe domos;
Hos, precor, Hollandae duo ſidera clara Sioni,
Sit tibi cura viros tempus in omne ſequi.
O! teneat mediis curſum tua ſemper in undis
Has, precor, ad binas cauta carina Pharos.
Perge per inſomnes quantumlibet aſpera curas,
Vt facies, pedibus reddere plana tuis;
Perge per aſſiduos quaevis ſuperare labores
Ardua, ſegnitiae ferre peroſe iugum.

Sic poterit florere tuo, dulciſſime, facto
  Fertilior domini, cuncta tuentis, ager.
Sic bene. ſed quò me ſtolidum rapit impius error?
  Da veniam culpae, rex metuende, meae!
Ecquid enim vigiles proſint tibi mille labores,
  Numinis auxilio deficiente? nihil.
Quin igitur tibi, noſtra ſalus, tibi, noſtra poteſtas,
  Suppliciter ſanctos volvimur ante pedes.
Tu, maris et terrae celſique creator Olympi,
  Qui geris aeternâ regia ſceptra manu;
Qui debellato rediiſti victor ab Orco,
  Chriſte potens, ſuperas in tua regna domos;
Tu, ſuboles ſine matre deo generata deorum,
  Ipſe deus, facili numine dexter ades!
Suffice dilecto vires et robur amico,
  Vt peragat partes, ceu decet, ille ſuas!
Fac, tuus irradiet mentem ſplendore coruſco
  Spiritus, igniferi miſſus ab arce poli.
Fac, moveat, ſacrâ, qui candet, raptus ab arâ,
  Carbo ſacerdoti caſta labella tuo.
Sic valeat, precor, ille tuas per amoena capellas,
  Dux bonus, herboſi ducere rura ſoli!
Sic valeat gelidos ovibus praebere liquores,
  Vt decet, et gratas, pabula iuſta, dapes!
Sic ſtabulis procul ille tuis, victricibus armis,
  Arceat infeſtos, monſtra cruenta, lupos!

Sic, tibi Tartareum ſuccumbere ſaepè draconem,
  Auxiliante deo, cernere poſſit ovans!
Sic queat innumeros trahere in ſua retia piſces!
  Sic ſpolium infernâ de Styge ſaepè ferat!
Quod ſupereſt, bene fulta ſuis Eccleſia fulcris
  Stet, precor, auſpicio, Chriſte colende, tuo!
Quin properet ténebris tandem praedicta fugatis
  Mittere purpureo lumen ab axe dies;
Quâ deus, o Babylon, ſolio, mala, praecipitem te
  Excutiat validâ, moecha doloſa, manu;
Quâ ſine ſole domos ſeptemplicis ebria Romae
  Beſtia, ſanctorum paſta cruore, petat.
Quando erit illa dies, populi quum ſolis ab ortu
  Solis ad occaſum te, bone Chriſte, colant?
Quum Solymam totum Iudaea vagata per orbem
  Gens redeat, ſacras quâ reparetque domos;
Quum Nabathaeus Arabs, quum Turcus et India victas
  Dent tibi cum Perſis Medaque regna manus.
Quando erit, ut gentes, quaecunque ſub axe Boreo,
  Imperium veniant amplificare tuum;
Et, pluviis ſuppoſta Notis, tibi terra miniſtret
  Natorum gremio millia multa ſuo.
Surge, age! nate deo, celeberrime viribus heros,
  Et gladii ferro cingere forte latus.
Sic tua tela tuos arcu iaculeris in hoſtes!
  Sic domiti reges te ſuperante cadant!

Haec ſunt Chriſtiadûm pia vota precesque bonorum;
Haec pia ſunt animi vota precesque mei.
Fac, rata Chriſtiadum pia vota precesque bonorum,
Fac, rata ſint animi vota precesque mei!

IANVS GROTIVS.

IACOBO GVLIELMO BAKE,

I. V. D. CREATO.

Ergo fecundas Belgarum linquere ſedes,
Credere te pelago mens tibi certa manet?
Certa manet fragili vitam committere ligno,
Fallacesque vias carpere certa manet?
Dum patrios repetis noſtro procul orbe penates,
Quà vigil Eois Lucifer exit aquis.
Viſere dum radiis loca ſubdita matutinis,
Perpetuo coeli toſta calore, paras.

Quid facis? ardenti non eſt habitabilis aeſtu,
  Barbaraque eſt tellus, quam tua vota petunt.
Quò properas? remane: iucunda colentibus arva
  Deſeris, et grato dulcia rura ſitu.
Non tibi fraterno iuncti tot amore ſodales
  Te retinent, quorum pars quóque magna fui?
Et quorum ſemper voveo pars magna manere,
  Dum ſinet aethereo lumine Parca frui.
Non tibi ſuccurrunt vaſti discrimina ponti?
  Mille pericla tuum non remorantur iter?
Nec, decertantes pelago, temerarius Euros,
  Nec metuis Borean, praecipitesve Notos?
Nonne times madidi ſtrictos Orionis enſes,
  Inſanasque hiemes, Pleïadesque truces?
Quid tibi mentis erit, totis ubi viribus omnes
  Aeolii fratres aspera bella gerant?
Cum fractos rauco quatiant ſtridore rudentes,
  Et laceram puppim, velaque rupta ferant.
Quid? cum, ventorum concuſſi turbine, fluctus
  Horrendo ſtrepitu ſidera ſumma petant;
Et mox diducto ſubſidant aequore valles,
  Vt pateant oculis Tartara nigra tuis.
Serò respicies terras, ubi fune ſoluto
  Fluctuat in medio panda carina mari;
Serò respicies, portu poſt terga relicto
  Quando oculis fuerit terra negata tuis.

Finge, age, ſi ſcopulis (nullum ſit in omine pondus!)
Obruat illiſam Tethyos unda ratem;
Quid tibi tunc animi credas, dilecte, futurum,
Dum moveas mediis brachia feſſus aquis?
Vel te ſuſtineat dum pars lacerata carinae,
Aequora vel merſo naufragus ore bibas.
Tum fruſtra dices: utinam me terra teneret!
Vtque velint ſuperi ferre, rogabis, opem.
Quàm malè (me miſerum!) violentis creditur undis!
Quot generi humano fert mala damna Thetis!
Scilicet hic, triplici munitus robore pectus,
Duritie potuit vincere ſaxa ferox;
Hunc lapis, et montes, hunc tigris acerba ſub altis
Rupibus, hunc rabidae progenuêre ferae;
Durior hic ſcopulis, et marmore durior ipſo,
Qui pelago docuit carpere primus iter.
O! utinam ſaevâ numquam petiiſſet Iäſon
Colchide Phrixeae nobile vellus ovis!
Aut ratis, innuptae iuſſu fabricata Minervae,
Pelias aequoreâ merſa fuiſſet aquâ!
Ars tua, nauta ſagax, etiam nunc, Tiphy, iaceret,
Finderet immenſum nulla carina ſalum.
Sed quid ego haec demens, nil proficientia, perdo,
Quae malè pro nullo pondere verba cadunt?
Certus es ire tamen, nullâ exorabilis arte,
Propoſitique tenax mens, velut antè, manet.

Quin igitur partos potiùs gratemur honores,
Et titulos, tibi nunc quos dédit alma Themis.
Quin potiùs pro te ſubmiſſâ voce rogemus
Nereidas virides, Nereidumque patrem.
Sic tempeſtates tenebroſis claudat in antris
Aeolus, incerti ne furat ira maris;
Obſtrictisque aliis ventum concedat eunti,
Inflata a tergo, qui tua vela ferat.
Sic tibi, ſic nullae currant ſine ſidere noctes,
Navita quo curſus dirigat arte ſuos.
Sed faveant gemini, radiantia lumina, fratres,
Praebeat et nitidum luna ſerena iubar.
Sic formoſa tuae lateri Galatea carinae,
Nereidumque cohors, haereat usque comes.
Quàque viam facias, ſtratis aequaliter undis
Caeruleos Triton per mare flectat equos;
In brevia, et ſyrtes, et ſaxa latentia ponto
Ne tumida abreptam torqueat unda ratem.
Dî, vaſti imperium pelagi quìs fata dedérunt,
Accipite o! noſtras aure favente preces!
Fallimur? an, fati praenuncia turba futuri,
Pennigeri faciunt omina laeta greges?
Sic dextris avibus retinacula ſolve; breviſque
Adſpiciat vultus Indica terra tuos!
Et, quamvis longo disiungant intervallo
Nos malè diverſis fata maligna locis;

Fata tamen noſtri ſincerum foedus amoris
Non poterunt ullo diſſoluiſſe die.

IANVS GROTIVS.

IN DIEM NATALEM CONIVGVM

BAROLDI SCHVLTENSII

ET

ANNAE MARIAE NISPENIAE.

Nobile par, quorum natalibus adfuit una,
Per duo liba, dies, quae celebranda redit;
Quid Genium ſacras hac luce rogatis ad aras?
Quid Iovis uxorem poſcitis ante focum?

Fallor? an, ut, canae permenſos longa ſenectae
  Tempora, vos tumulo condat et una dies?
Di facient, rata ſint pia vota; fidesque ſequetur;
  Alter ut alterius ne legat oſſa ſinu.
Quin cineres eadem mixtos brevis urna tenebit,
  Quà viret Idalio myrtus opaca ſolo.
Sic ego vaticinor: nam, vos qui foedere iunxit,
  Applaudens pennis, omina firmat Amor.
Interea, dum fata ſinunt, o digna marito
  Anna, ſenatoris gloria, matris honor;
Aurea quae taedas Concordia praetulit olim,
  Arceat optato triſtia quaeque toro!
Vir tuus et flammas verumque Philemonis ignem
  Exprimat; ardores Baucidis ipſa refer!

IANVS GROTIVS.

AD
IANVM VAN STRYEN.

En reducem cum vate ſuo tibi, Iane, Merillam,
Vt ſubiit noſtros non maculata lares.
Fallor? an hoc ipſo tibi numina bina videntur
In tua coeleſtes tecta referre pedes?
Certè ego Fabritium Phoebo adſimilare, Merillam
Non dubito Cypriae compoſuiſſe deae.

IANVS GROTIVS.

MENANDER SVSANNAE.

Harlemias inter formoſa Suſanna puellas,
Harlemias inter caſta Suſanna nurus;
Accipe, quae calamo damus ah! tibi verba tremente,
Quamvis plùs calamo mens mihi feſſa tremit.
Tu noſtras igitur potuiſti linquere ſedes,
Et fugere infauſto tecta paterna pede?

Heu! tecum innumeros potuiſti auferre lepóres,
  Qui mihi iam puero, qui placuere viro.
Namque, ubi te tenuit placidis Valachria terris,
  (Forſitan immemorem barbara terra tenet.)
Rura nemusque iacent, priſco velut orba calore;
  Quem niſi tu dederis, interit omne decus.
Prata, ſed heu quondam! gratiſſima prata Suſannae,
  Veſter honos ubi nunc? nomen inane, iacet!
Non iterum, velut antè tuis ſpatiabimur agris,
  Nec dabimus roſeis oſcula multa labris.
Dilectae ſalvete herbae, quas preſſimus unà,
  Virginis ornabant dum mea ſerta caput.
O quoties, viridi requievimus arbore tecti!
  Arbore, quae mecum nunc quóque moeſta gemit.
O quoties, gelidae proiecta in margine ripae,
  Cantaſti ad noſtram, pulcra Suſanna, chelyn!
At, patriis poſtquam diſcedere, perfida, terris
  Tentaſti, nimio plectra dolore tacent.
Harlemii prope turrigeram ſtat frondeus urbem
  Lucus, et a ligno nobile nomen habet.
Accedo lacrymans; incertis paſſibus erro;
  Qualiter amiſſo Creſſa puella viro.
Illic arboribus, tanquam nemus umbrave proſint,
  Conqueror, heu! reditu vela carere tua.
Tu, levior foliis, fugiſti dura Menandrum;
  Hoſtibus eveniant talia fata, precor!

Sed quid ego arboribus demens mea vulnera narro?
  Perſtas, nec, noſtro carmine mota, redis.
Quid tibi cum Valachris, Helenae par femina, terris?
  Digna loco Veneris, ni Venus ipſa fores.
Haec dat humus flores, narciſſos, haec hyacinthos,
  Liliaque, albenti candidiora nive.
His tua, ſi placeat, poteris ambire corollis
  Tempora, vel ſimili cingere noſtra modo.
Seu iuvet aequoream remis impellere cymbam,
  Eſt, rapido quae te flumine cymba vehat.
Sive magis celeri caperis, mea gaudia, curru,
  Et verſare libet per iuga celſa rotas;
Tunc ego ſudantes (redeas modò, lenta Suſanna!)
  More regam loris Automedontis equos.
Atque, ubi nubifero Vesper deſcendit Olympo,
  Oſcula blanditiis qualia mixta dabo!
Praebeat o tales utinam mihi Iupiter horas;
  Annuat et votis Parca benigna meis!
Tunc ego, qui luctu modò perfundebar amaro,
  Gauderem, oranti rite favere deos.
Tu tamen, ah nimiùm nimiumque oblita Munandri,
  Vera loqui liceat, gaudia tanta negas:
Non etenim patriam repetis, fidosque penates,
  Nec ſuperant noſtrae pectora dura preces.
Interdum meditor, quae ſit tibi cauſa morandi:
  At, cur non redeas, vae mihi! cauſa latet.

Forſitan alter adeſt, qui, tactus imagine formae,
  Ardet in amplexus ire, puella, tuos.
Forſitan infando mea ſurripit oſcula furto,
  Oſcula per tumidum vel mare digna peti.
Hei mihi! ſi teneris committit labra labellis,
  Et rigido tentat dente notare genas.
Quis ſcit, an, in bibulâ tecum dum ludit arenâ,
  Sollicitare fidem non vereatur amans.
Quìs meliùs fallat, lacrymae ſua verba ſequuntur;
  Et gemitus (ſuperi!) tollit ad aſtra graves.
Fallar at o utinam! curis agitatus iniquis;
  Tuque, licet timeam, prompta redire velis!
Adde, quòd ardenti torrentur corpora morbo;
  Doctorum medicâ plùs valet arte febris.
Pallor in ore meo eſt, quamvis color aptus amanti;
  Ah! videor venâ iam fugiente mori.
Tu ſola innumeros poteris lenire dolores,
  Et vitam miſero reddere, cara, mihi.
Scilicet eſt aliquid dominae requieſcere in ulnis,
  Et dare purpureis oſcula iuncta genis.
Vt roſa, Phoebeo prope iam combuſta calore,
  Rurſus, aquis coelum cum rigat arva, rubet:
Sic mihi, qui mortis medio in diſcrimine verſor,
  Per te, ſi redeas, reddita vita foret.
Si tamen, o virgo, tibi ſunt oblivia noſtri,
  Annuere et votis non tibi, dura, placet;

Ipſe manu mortem inveniam, finemque dolendi;
  Et gladius pariter finis amoris erit.
Hunc etenim tacito celavi, perfida, lecto:
  Praeter Acidaliam conſcius omnis abeſt.
Protinus haec noſtro madefient tela cruore,
  Atque animus laetos tendet ad Elyſios.
Sit tumulo titulus: *Formoſa Suſanna Menandro*
  Cauſa fuit mortis; praebuit ipſe manum.

GALE ISAACVS GALES.

AD

GALE ISAACVM GALESIVM

DE OBSIDIONE MONASTERIENSI.

Galeſi, Latiis dudum mihi cognite Muſis;
  Cara ſodalitii pars, Iſaäce mei.
Si vacat inſuetis aures praebere querelis,
  Accipe; ſed genio ſunt minùs apta tuo.
Te tua, tranquillae mulcent dum commoda vitae,
  Muſa tenet, numeris usque decora novis;

Miles at inſolitum diro me Marte fatigat,
  Vt ruat Aonium, quod bene crevit, opus.
Docta, reor, placidus tibi vindicat otia ſomnus,
  Quem matutino gutture rumpat avis.
Paene mihi miſero primum terrore ſoporem
  Machina, lethiferis ignibus acta, fugat.
Hic, ubi raptori decus eſt, ubi gloria caedes,
  Luxuriat fuſo ſanguine pinguis ager.
Permeat innocui gentem nex ſaeva coloni,
  Civis et oppreſſi militis inſtar obit.
Nec mage virgineae parcit furioſa cathedrae;
  Tacta premit vacuas glande puella vias.
Vaſta Monaſterium cingentia, moenia teſtor,
  Quique iacet multo funere plenus ager.
Hic, ubi ſollicitum terrent incendia vatem,
  Evocat et tepido cura novata toro.
Totaque bis variis obſeſſa ego moenia vidi
  Hoſtibus. Haec ſocii fata fuêre tui.
Quin etiam crebro vincit dum milite Gallus,
  Captaque ſunt victo caſtra Britanna loco,
Nititur in triviis (quid non gens improba tentat?)
  Et mea captivo ſubdere colla iugo.
Anne rogas; tantis eſt cur mihi vita periclis
  Acta, vel haec animo cur placuere meo?
Vt liceat ſacram feliciter ire per artem,
  Et dare non laevâ pharmaca mixta manu.

Indè ſalutiferae creſcit nova gloria genti;
  Indè vénit medici, plura petentis, honos.
Adde ſodalitii cariſſima pignora noſtri,
  Quos fovet in culto Teutonis ora ſinu.
Hos ego, iam patriis longè dimotus ab arvis,
  Aeternùm Hollandâ religione colam.
Hinc mihi ſecurae redeunt bona commoda vitae;
  Hinc datur Aoniis reddere thura focis.
Seu licet Hulſthovicis Muſas coluiſſe latébris,
  Seu licet Althuſio plectra movere ſolo.
Hic veniunt feſſo toties in carmina vires;
  Hic veniunt numeris otia grata meis.
Te fovet umbroſis tutum pater Amſtela ripis,
  Quà libet Auſoniae fila ferire lyrae;
Quà tibi fortunas fas eſt celebrare, benigno
  Votaque pro reditu ſoſpite ferre deo.
Tunc mihi maternis laeto pendêre lacertis,
  Et dabitur patriae rura videre meae.

IANVS OVTMAN VAN AALST.

Althuſiae 1759.

IN ALBO

GEORG. LVD. SPALDING.

Ille dies, virtus par o Spaldinge paternae,
Qui dédit amplexo te mihi, ſanctus erit.

1786. SANTENIVS.

IN OBITVM

DANIELIS FARSETTI.

Lux Venetûm, Daniel, Daniel, dulciſſime rerum,
Vixiſti: iniecit Mors tibi ſaeva manus!
Qui patruelis erat ſtirpe, et germanus amore,
Te ſocium Elyſiâ in ſede Philippus habet.
Te alloquitur, te commendat, tecum oſcula iungit,
Implicita amplexu nobilis umbra tuo.

Muſeo ſuper, is patriâ quod in aede locavit,
  Tuque adeò auxiſti, dulcia verba facit;
Teque rogat, quae gaudebas effundere ad auras,
  Per ſanctum ut renoves carmina Tuſca nemus;
Et ſacrae lauri truncos, velut antè ſolebas,
  Ornes egregiis pictor imaginibus.
Felix ſorte tuâ, placidae ſuccede quieti,
  Quam tibi rite boni compoſuêre dei:
At, ne ſperne, oro, quae iuſta rependit Iöſeph,
  Par virtute tibi frater et ingenio.

1787. MATTH. BVTTVRINVS.

IN PROSPEROS

IOSEPHI II

SVCCESSVS BELLICOS.

Convaluit Caeſar: ſubitò novus exciit ardor
Agmina, et Auſtriacos hoſtica ad arma furor.
Martia Tauruni ceciderunt moenia, et Iſter
Threicio tumidas ſanguine volvit aquas.
Auguror: adſpiciet Bizantì in vertice ſedem
Figere fulmineas Luna bicornis aves.

1789. ANONYMVS.

DE BELGRADI EXPVGNATIONE.

Inſidet en canis Laudoni alata capillis
  Gloria; laurigerum mulcet amica ſenem;
Hinc ſcriptos, niveo tamquam de monte, triumphos
  Indigitat, referens voce, tubáque ſonans.
Hic vir hic eſt, inquit, dubiam qui reſtituit rem,
  Hic vir hic eſt et, quo vindice Caeſar ovat;
Ille Muſulmanae detrivit cornua Lunae;
  Laudoni tactus fulmine, Turca cadit;
Belgradicaeque cadunt telis flammantibus arces,
  Et dant Auſtriaco ſaucia colla iugo.
Nec ſatis eſt; alias acies, alia oppida vincit;
  Vnica nec laurus, laurea meſſis adeſt.
Ergo age, Ioſephum meritâ dic, Auſtria, laude,
  Dic Laudonum; et amor plaudat utrique tuus:
Hic capit hoſtiles armis victricibus urbes;
  Legibus ille beat, vultve beare, ſuas.

1789. ANONYMVS.

LVSVS PASTORALES.

VILLA RVSTICA.

Hic avium cantus dulceſque per aëra luſus,
  Hic in odoratos gramina nata toros.
Vndaeque unda ſequax, alnoque admurmurat alnus,
  Sylvaque dat foliis tegmina tuta ſuis.
Duram quiſquis amas, duram huc comitare puellam,
  Et citò mutatas experiere vices.
Et volucres, herbaeque, et aquarum auraeque ſuſurrus,
  Et nemus, et totus ſuadet amare locus.

IAC. HENR. HOEVFFT.

MYRTVS.

Paſtor, ab hac ſimas myrto defende capellas;
  Ne poſſint foliis dente nocere novis.
Ipſe ſacrâ de fronde cave tu texere ſerta;
  Illa fuit flammae tuta latêbra meae.

IAC. HENR. HOEVFFT.

AD SOMNVM.

Dulcis amice, veni, dixit mihi Phyllis in aurem,
  Quum media optatae tempora noctis erunt;
Ipſa tibi propriâ reſerabo limina dextrâ,
  Adventum digito tu crepitante nota;
Neve diu exſpectem, nimiùm ne ſerus adeſto.
  Dixit; et in pignus baſia mille dédit.
'Tu modò, tu vigilis fuge lumina, ſomne, puellae,
  Lumina ſed matris vincta ſopore preme.
Sic quóque, Paſitheës recubas dum molliter ulnis,
  Sit tibi naturae non meminiſſe tuae!

IAC. HENR. HOEVFFT.

NOMINA ARBORI INSCVLPTA.

Myrte, mihi ſub quâ ſociata cubare ſolebat
  Galla, ornata tuis, quîs decus ipſa, comis;
Quaeque legenda pio ſervas duo nomina trunco,
  Incîdit propriâ quae mea vita manu;

Hic adſum delere levis monumenta faviilae,
  Et malè mendaci verba notata libro.
Longa dies tenero disiunxit Thyrſide Gallam,
  Cortice iungis adhuc quos mage fida tuo.

IAC. HENR. HOEVFFT.

FAGVS.

Illa ego quae toties fagus, Meliboee, ſolebam
  Te tegere hospitii, furta iuvantis, ope;
Gaudia quum, lateri pulcrà adcumbente Neaerà,
  Iurabas tacito condere velle ſinu;
Cortice iam geſto Meliboei, iuncta Neaerae,
  Nomina; iuncta tuae nomina falcis opus.
Quid prodeſt velaſſe ſacris arcana ſub umbris,
  Si iubet invitam me tua dextra loqui?

IAC. HENR. HOEVFFT.

PHYLLIS.

O antra, o antris fagi ſuperinpendentes,
Addita nativis frigora frigoribus;
Huc propero, inſano depaſtus corpora ab aeſtu,
Dum medio torret Sirius arva die.
Dulce fatigato mihi vos lenimen in aeſtu,
Vos langueſcentis corporis una quies.
At, movet argutis quos candida Phyllis ocellis,
Pectoris ardores quod levet, ecquid erit?
Vos Phoebi a radiis tegimen mihi; corde calentem,
Ipſe ubi me fugiam, nulla latêbra datur.

IAC. HENR. HOEVFFT.

AD AVRORAM.

Dum deſiderium carae me torquet Hyellae,
Volventem inſomni languida membra toro;
Quid coeli reſerare fores, Aurora, moraris?
Inmemorem currûs, têne maritus habet?

Prome faces, et, quo diſpergis nubila, vultu
  Curarum ex animo dilue denſa meo!
Iuncta mihi quando, ſi quando, cubabit Hyella,
  Tardiùs adſueto tunc fer ab axe diem!

IAC. HENR. HOEVFFT.

VESPER.

Adſpice; defeſſi referunt ut aratra iuvenci,
  Paſtor ut omne pecus cogit abire domum.
Vt pueris Hyale, laetatis fine laborum,
  Curarum expertes, ponit amica dapes.
Vt, ſua quos horis tenuit cultura diurnis,
  Hos nunc calcato recreat uva mero.
Membra fatigantem, ſolis permutat ut ignem,
  Membra levaturo, ruſticus igne foci.
Ipſe pater Sol poſt emenſas aetheris oras
  Tethyos in thalamis otia grata capit.
Tota inſtauranti fruitur Natura quiete;
  Nulla datur flammae meta modusve meae.

IAC. HENR. HOEVFFT.

IN DOMINAM, AB APE PVNCTAM.

Laedere tune meos audes, apis inproba, amores,
Figere tune armis ora venuſta tuis?
Crede, dabis poenas; ſtat totam evertere gentem,
Cereaque ultrici tecta cremare manu.
Forſan at inſontem te luſit amabilis error;
Non ſe culpa parum quo tueatur habet.
Halat, Hymetteum niſi mel, nil ſpiritus oris,
Purpureas referunt labra colore roſas.

IAC. HENR. HOEVFFT.

SERTA FLOREA.

Accipe ſerta, tui vultûs imitata colores,
Theſtyli, fervoris pignora ſerta mei.
Dispereunt flores, nec ſemper forma virebit;
Noſter at aeterno tempore vivat amor!

IAC. HENR. HOEVFFT.

AD TVRTVREM.

Turtur, ab aëriâ diſceſſum comparis ulmo
Non delaſſatis quae gemis orba modis;
Me fugis, et nemorum ſpiſſas te condis in umbras?
Me fugis, et vano victa timore taces?
Non ſum, cui libeat iuſtos turbare dolores,
Vel ſi non gemitûs et mihi cauſſa foret.
Anne ego deſertos poſſim deſertus amantes
Laedere, et in volucres inpius eſſe pias?
Me, miſeranda, tuis iuvat indoluiſſe querelis,
Dum damni admonitu torqueor ipſe mei.
Tu gemis abruptos, Leto abrumpente, calores;
Me deſiderio torret Hyella ſui.
Perge queri, pétere et ſolamina perge querendo,
Et propriis queſtus queſtibus adde meos.
Ipſe vices reddam, communia fata ſonantum
Vnanimi concors creſcat ut ore melos.

IAC. HENR. HOEVFFT.

AD GALATEAM.

Eſt mihi Vesputii praedatrix ales ab oris,
Gutturis et plumae nobilitate placens.
Ingenii poſito didicit manſueta rigore
Vivere non nocuas non nocua inter aves;
Blanditiasque ferâ domino componere voce,
Spernere et optatos, me niſi dante, cibos.
Hanc alimus, Galatea, tibi, tibi munera noſtra
Si donante queant displicuiſſe minús.
Hei! mihi quòd volucres ars eſt domuiſſe feroces,
Nec tua, tam lenis, corda domare datur!

IAC. HENR. HOEVFFT.

AD MORPHEVM.

Stent tibi ſic geminis ſemper bipatentia valvis
Limina; ſic, Morpheu, Nox ſit amica tibi;
Sic tibi non deſit capiti pendêre papaver;
Sic criſtata tibi victima ſaepè cadat!

Vincta iacent ſomno noſtrae dum lumina amicae,
Alternas linquunt ſideribusque vices,
Somnia tranquillam turbent, face, nulla quietem;
Sit pax nocte, die quae ſolet eſſe, comes.
Et, ſi dia vacat nullo mens tempore ſenſu,
Virginis una oculos ludat imago mei.

IAC. HENR. HOEVFFT.

DIES ORIENS.

O tu, quae nemorum ſuper ardua et ardua montis,
Aurora, auricomum tollis ab axe caput;
Quae tremulo ludis criſpatis lumine in undis,
Aura ſuſurrantes dum levis adflat aquas;
Pellis et ex hominum languentes lumine ſomnos;
E Pholoës ſomnos lumine pelle meae;
Et face, ut haec Zephyrus reſolutae inmurmuret auri:
Iam tua ſuſpirat nomina fidus Acon.

IAC. HENR. HOEVFFT.

AD CICINDELAM.

Luce viatores tu qui fallace vagantes,
Vermicule, in praeceps nocte ſilente trahis;
Tecta peto Pholoës, nigraeque per invia ſylvae
Illuni rutilant ſidera nulla polo.
Es bonus, et certam mihi lampada praefer eunti;
Rivalisque pedem devius error agat!

IAC. HENR. HOEUFFT.

HYEMS.

Dum brumale riget glaciali frigore coelum,
Nix et Hyperboreo plurima ab axe cadit;
Omniaque horrendo Boreae ſtridore tremiſcunt,
Omniaque horrendis condita ſunt ténebris;
Ipſe tamen, ridensque gelu ridensque procellas,
Ad Pholoës cupido pectore tecta volo.
Et rigeat, cuivis et hyems mala congelet artus,
Me calor, aeſtivo fortior igne, coquit.

IAC. HENR. HOEUFFT.

IN EFFIGIEM

PETRI HENRICI VAN DE WALL.

Inluſtrans trabeam, non inluſtratus ab illâ,
  Talis Apelleâ Wallius arte nitet.
Sic patriae faſtos, priſci ſic temporis acta
  Eruit, annoſo quae latuêre ſitu.
Tu, mea Dordracum, tanto caput effer alumno,
  Hunc tutelarem tu venerare deum.
Te licet evertant flammae de ſedibus imis,
  Saepius aut fluctus qui nocuêre tibi;
Te manus hoſtilis, longum vel deſtruat aevum;
  Hic dédit, exitio te ſupereſſe tuo.

IAC. HENR. HOEVFFT.

IN MVSEVM
PAVLI KNOGH.

Vt ſtupeo has gazas, gremio miracula quaeque
  Rerum magna parens omnipotente fovet!
Vndique quae cunctas terrae congeſta per oras
  Knoghiadae praebet conſpicienda domus.
Vt ſtupeo pictas vivace colore tabellas,
  Lumina quîs dominus Zeuxidis arte capit!
Innantem aequoribus videor mihi cernere concham,
  Sive tuam, Triton, ſeu, Venus alma, tuam;
Cernere, papilio diverſicoloribus alis
  Pervolitet flores ut, ſuperetque, ſuos.
Fluctuat, et dubiam ſcindit ſententia mentem,
  Num mage naturae mirer, an artis, opus.

IAC. HENR. HOEVFFT.

VOTVM AMANTIS
AD LYDEN.

Cum modò, deſcriptae monſtrans umbracula ſylvae,
Dixiſſet partes has fore Lyda ſuas;
Optavi, validis Daphne ut radicibus eſſet,
Proximus amplexu perpete Phoebus ego.

IANVS ALOYS. MARTYNI · LAGVNA.

IN IOSEPHVM FARSETTIVM
DIRAE.

Carminibus valuiſſe olim, Ioſephe, videbar
Qui mihi, viſo te iam nihil efficio.
Scribere tentanti verſus, tibi robur Apollo
Surpiat! ut viſo te mihi ſurripuit.

IANVS ALOYS. MARTYNI · LAGVNA.

AD

IOS. FARSETTIVM,

POËTARVM ITALORVM OCELLVM.

Farſetti, tenerûm praeſtanti carmine amorum
Arbiter, et doctae capſula nequitiae;
Diſpeream! una harum ni praeſtet nequitiarum
Pagina barbatis mille voluminibus.

IANVS ALOYS. MARTYNI-LAGVNA.

AD

LAVRENTIVM SANTENIVM,

IOS. FARSETTII

CARMINA DONO SIBI MITTENTEM.

Scilicet egregio tibi me obſtrinxiſſe putabas
Munere, Santeni, corculum amicitiae!

Combibere aure, oculis, labrisque ut carmina coepi
  Mollia Farſettî, in quîs mera mollities;
Excidit heu! pulcre quod mî tenuiſſe videbar,
  Pangendi verſus omne magiſterium.

1789. IANVS ALOYS. MARTYNI-LAGVNA.

D. M.

CORNELII PETRI VAN LEYDEN.

Patricius iacet hîc, iacet hîc Eques; hoſpes, omitte:
  LEYDENIVS Civis maluit eſſe; lege.

1790. SANTENIVS.

AD

FREDERICVM VAN LEYDEN.

Ingenii, Leydene, bonis bona pectoris augens;
His ſtudium Linguae ſubiice: magnus eris.

1790. SANTENIVS.

IN EFFIGIEM

PETRI VAN SCHELLE.

Hanc frontem, hos oculos, vates haec Schellius ora,
Maximus ingenio, maximus arte gerit:
Cui quantum deerit fatorum crimine vitae,
Splendori deerit, Muſa Batava, tuo.

1791. THEOD. VAN KOOTEN.

IANVS HOOGEVEEN SANTENIO SVO.

Ille tuos primus, genitor meus, inter amicos,
Optime Santeni, deſiit eſſe. vale!

Delphis
Prid. Non. Novembr.
CIƆIƆCCXCI.

LAVR. SANTENIVS IANO SVO HOOGEVEEN.

Ille, tibi genitor, mihi, dum vivebat, amicus;
Carus erit, donec, Iane, ſuperſtes ero.

Non. Novemb.
1791.

AD

LAVRENT. SANTENIVM.

O qui, laurigeri penetrans ſacraria Phoebi,
Perpetuo Muſas thuris honore colis,
Integer Aonidum et Themidis, Santene, ſacerdos;
O mihi non longos cognite, care, dies.
Qui, mihi neglectis, iterum libare Camenis
Pierios latices, ſuaſor et auctor eras:
Accipe, ſincero venientia pectore, vota,
Nuncupat aeterno quae tibi iure tuus.
Se, licet extremo poſitus verſetur in orbe,
Non tamen idcirco deſinere eſſe tuum.
Veſtra priùs lymphis tellus areſcet ademtis,
Nulla ſit ut, curvas quae vehat unda rates;
Omnibus et citiùs ventis haec ora carebit,
Aeolus ut nullas ſpiret ab ore minas;
Quàm, Santene, tuum noſtro de pectore nomen
Vllo deleri tempore poſſe, putem.
Ergo, dum ſolitum mutet natura tenorem,
Tu mihi conſtanti pectore ſixus eris.

Atque utinam, cum te Muſas ſuadente ſaluto,
Ne tibi deberem dicere triſte Vale!
Vſus amicitiae tecum ut diuturnior eſſet,
Quâ mihi iam poſſet gratius eſſe nihil.
Vt tamen, ad patrios iam me remeante Penates,
Diverſis poſiti ſimus uterque locis;
Immemor antiqui ne ſis, Santene, ſodalis,
In Dacico qui te non minùs orbe colet.
Sic tibi tarda, precor, veniat, ſic laeta ſenectus!
Sic facili dives carmine vena fluat!
Sic Aſtraea, novem ſociata ſororibus, aedes
Tempore non ullo deſerat aequa tuas!
Sic quóque Libertas, iuſtos miſerata dolores,
Iam placido votis annuat ore tuis!
Denique, terrarum nutu qui temperat orbem,
Sic tibi det longâ proſperitate frui!
Dulcis amice vale; votorum ſumma meorum
Haec erit; aeternùm dulcis amice Vale!

FRANCISCVS SZILÁGGI.

1791.

IN

LAVR. SANTENVM

ET

CATHAR. BOSCH, SPONSOS.

Depereunt nitidam vernanti flore iuventam;
  Depereunt eheu! quod brevis hora rapit;
Depereunt titulis, vel opimâ dote potentem;
  Emta parat miſeris aurea vincla Venus.
Te vitae, Santene, aeſtas, prudentius aevum,
  Te bona mens, virtus te ſine labe trahit.
Poſthabitâ qui nube deam tibi concupis, opto,
  Quos animis, aeques, optime, ſorte deos!

1792. PETRVS VAN BRAAM.

AD

LAVRENTIVM SANTENVM,

SPONSVM.

Dicebas: Hymenaee, vale, vale, o Hymenaee,
  Idam ubi fata meis ſubripuêre toris;

Dicebas; humana Venus ſed ludere vota
Docta dédit Cyprio verba abolenda mari;
Obtulit et vultûs praeſtantem dote puellam,
Cordis et, ingenii conſpicuamque bonis.
His capta inlecebris, veteres inſaniit ignes
Illa animi virtus non capienda tui.
Et meritò; Santene, tuis ſuccedere flammis;
Idam digna tibi reddere, ſola fuit.
Sola fuit, tricas tibi quae relevare moleſtas,
Grammaticae et poſſet plurima teſqua viae;
Carmina dum vatis luſtras ſalebroſa, Terentii
Qui ſibi deductum nomine nomen habet.
Quàm procul illa tuum nunc iusſit abire Catullum!
Vt peragit partes, Lesbia blanda, tuas!
Baſia multivolo quàm quae celebrata poëtae,
Baſia amatori dans potiora ſuo;
Baſia laſcivos, ſed non ſpirantia motus,
Baſia at ingenuae pignora caſta facis.
Qualia Tyndaridi Phrygius non fixit adulter,
Exitii pretium, Dardanis aula, tui.
Qualia ſed, flammis ardens melioribus, Hector
Andromaches, fidei praemia, ab ore tulit.
O decor, o iuſti fomes pudor ipſe caloris,
Cognita nec Veneri gaudia vera vagae;
Quantò vos meliùs Santeni Muſa ſonabit,
Muſa per impuros quàm temerata iocos!

Tu modò ſume chelyn, Veronae et caetera vati
  Par, Idae invideat ne nova flamma, face.
Sic quóque, quem reddis non arte minore, Tibullus
  Nobile plùs unâ virgine nomen habet.
Ipſe ego, ſacra canens qui connubialia rarò
  Paene vagor lucis hoſpes in Idaliis,
Pro miti Vraniae nato, cui, vincta colubris,
  Praetulit atratas dira Megaera faces;
Ipſe ego, amicitiae ſtimulos dum ſufficit oeſtrum,
  Non potui ad feſtos conticuiſſe choros.
Deſuetaeque lyrae, proprii oblitusque doloris
  Carmina non laeto pectore laeta paro;
Fecundos ſine nube toros, ſine lite hymenaeos,
  Carmina, quae voveant, disſimilesque meis;
Nec finem, niſi qui vitae ſit finis, amorum,
  Nec niſi in extentos funera tracta dies.
Haec ubi contingant, felici ſorte ſodalis,
  Dicam, ſors aliquâ parte levata mea eſt.

1792. IAC. HENR. HOEVFFT.

IN LAVRENTIVM SANTENIVM, PROCVM.

Agnoſcit victam ſe Pallas, et, immemor irae,
Adiungit comitem iam, Cytherea, tibi.
Et meritò: ſolam viſum coluiſſe Minervam,
Santenium Veneri ſuccubuiſſe iuvat.
Praemia Dardanio formae ſub iudice quondam
Ecquis adhuc Cypriae non bene parta putet?

1792. MATTHIAS SIEGENBEEK.

AD COMITEM DE SCHÖNFELD.

Quem Phoebi devinxit amor mihi fronsque benigna,
Haec, Schoenfelde, tibi munera Santenius.

SANTENIVS.

AD AQVAS SPADANAS
1792.

AD DOCTISSIMAM PRINCIPEM

DE BERGHES,

GENTE CASTELLANA.

Quae tibi dona fero, Princeps Bergheſia, menti
Sic ſint fixa diu, comprecor, iſta tuae;
Ingenio haud noſtro dotes ut pectoris altas
Virtuteſque tuas eximet ulla dies.

SANTENIVS.

AD AQVAS SPADANAS
1792.

AD COMITEM

GOTTLOBVM LVDOVICVM SCHOENBERG.

Gratia quem morum, mihi quem virtutis, utrique et
Communis Veterum conciliavit amor,

Accipe facta meâ, Schoenberge, epigrammata Muſâ;
Erga te ſtudii ſint monumenta mei;
In quîs ſi diverſa tuae ſententia menti
Inſit, eam noſtri mittat amicitia!

SANTENIVS.

AD AQVAS SPADANAS
1792.

IN ALBO

CAROLI L. KAEMPE.

Iunctus Hamiltono, iuvenum quo principe gaudet
Suecia, viſurus, ſit quod ubique, decus,
Alite felici quemcunque vagare per orbem,
Santenii, Muſis Kaempe polite, memor!

1792. SANTENIVS.

AD MANES

S. F. N. MORI.

Abſtulerat placidam commotâ mente quietem
  Cognita fama, mali nuncia, More, tui;
Nec tamen inſtantis metuebam fulmina cladis,
  Capta ſed aiebam membra dolore brevi:
Cum me, fingentem trepidi mendacia caſûs,
  Opprimit heu! ſubito plena ruina malo.
Ah mihi quae tecum, quae tecum intércidit aetas
  Gratia nunc vitae, vitaque quid ſupereſt!
Quâ mihi, iucundè veterumque ex more ſophorum
  Quo fruerer, te dux quis mage certus erat?
Nam me, virtutis priſcae iuvenilibus auſis
  Culmina anhelantem, haec rexit amica manus;
Nec paſſa eſt, levibus rerum lactarier umbris,
  Quis miſerè humanum fallitur omne genus.
Provida ſed primùm prenſanti praebita dextra eſt,
  Nec puero patuit lingua animusque viri:
Scilicet ingenuae quò cauta ſilentia menti
  Conſulerent, eſſetque ut ſine labe pudor:
Vt quondam memorant Graecum tacuiſſe magiſtrum,
  Quaerendi ex uſu copia dum fieret.

Sic, me firmato indefeſſum ubi pergere greſſu
Viderat, et Sophies corripere omne nemus;
Tum ſacri ſenſim cupido patuêre receſſus,
Tum fluere ubertim pectoris eloquium.
Iam mihi ſi bene quid ſcribenti ceſſerat, ad te
Currebam, et nutu rex relegentis eram;
Aut, vanis rerum ſi contrà audentior iſſem,
Plaudebant coeptis dextera voxque meis;
Non conceſſa tamen vehemens ubi moverat ardor,
Ardori indiderat mollia frena meo:
In ſtudiis poſitâ nobis ſic naviter horâ,
Saepè ſodalitium prodiit ore: vale!
Alter ab alterius dum ſic candeſcimus igne;
Dum, ſibi diſcentis creſcere ab igne novum,
(Creditis Orbilii?) mens non fucata fatetur;
Me tenet, ecce, ſuis Viſtula litoribus.
At non longinqui mihi te eripuêre coloni,
Nec demandati muneris officium.
Quin, rebus tandem privatis redditus ut ſum,
Haec mihi non tanquam priſtina cura redît.
Et doctis quamvis ſermonibus eſſe carendum
Videram, at inplebat pagina grata manus,
Pagina, divino colluſtrans lumine mentem,
Et quam mendaces dedecuêre notae:
Nam, vitae qualis facies tibi tramite manſit,
Talis et innocuo fluxit ab ore nitor.

Sic quóque, dum licuit, pendebam abſentis ab ore,
Scripta tuâ mihi ſic littera crebra manu eſt;
Et, turbae indoctae peteret cum inſana libido,
Dulce animo has curas abluit alloquium;
Et iam promiſſos vultus, promiſſaque dextrae
Gaudia ſperanti, deſinis eſſe tuo!
Deſinis eſſe tuo! ſed quanto pectora luctu
Tot iuvenum inpleſti, quos tibi vinxit amor!
Abdita calcantes duce te veſtigia veri,
Nunc ſtupor infeſtat, fraus modò ſacra trahit.
Hi, deiecti animo, malè cognita compita linquunt,
Aut dubium miſeris fortè ſecatur iter:
Qualiter in ſilvis, nuper paſtore necato,
Huc illuc ſparſim grex malè certus abit.
At mihi ne iaceant viduati morte libelli,
Tot qui inpreſſa ſui ſigna parentis habent!
Quos vivus coluit, moriens quos linquit, amici
Ferte ſalutarem, ferte potenter, opem!
Ne, malè ſublectis intexens tergora plumis,
Incautos ludens, inproba fallat avis.
Interea, haud longo ſuperantes ordine, nati
Amiſſi penſent triſtia damna patris.
Quos ego, luctiſico ſpectans ante ora paratu,
Saepè ſalutatos, pabula nota, petam;
Proxima dumque iterum priſcis monumenta reponam,
Pallentes feriet lacrima multa genas.

At te mortales inter mihi cernere nusquam,
  Dulces nec voces conbibere aure licet.
Nam, ſeu ſtellato praefulgens axe tenêris,
  Quà teritur meritis orbita digna viris,
Inmiſſus cauſis rerum, iam lumine te inples,
  Quod vitae hae viles ferre negant ténebrae,
Ac, procul humanis ſpatiis, ludibria culpae
  Non metuis, neque te hic umbra nec error habet;
Seu te, laetifico frondentes flamine, ſilvae
  Delectant, et fons iugis inaurat aquae,
Quà non aerumnae, non gaudia ſordida vulgi,
  Non penetrant vitae caetera monſtra meae:
Divorum lectae iam inmiſtus, More, catervae,
  Quos raros raris ſaecla tulêre locis,
Et quorum libans, decerptos undique, flores,
  Callebas propriis tingere mella favis;
Horum igitur, laetis comite hoc, congreſſibus adſtans,
  Folliculi abſtergensque humida vela tui,
Non reputas, de te quae luget amiculus, et quae
  Flebilibus ſignat debita charta modis.
At me, pertaeſum vitae, quam taetra tyrannis,
  Et fraus, multiplices nectere docta dolos,
Et vanae rerum ſpecies populantur, amoena
  Seceſſûs capiant iugera, More, tui!

1792. IOAN. ALOYS. MARTYNI LAGVNA.

AD

LAVRENTIVM SANTENIVM.

Invida quos demit crudeli funere Moro,
  Praeſtantem quem nunc nuper amicum habui,
Hos tibi, Santeni, melior dea conferat annos!
  Praeſtantem quem cum maximè amicum habeo.

IOAN. ALOYS. MARTYNI · LAGVNA.

Zwiccaviae Saxonum
1793.

IN EFFIGIEM.

Artifici princeps doctorum ſpirat in aere;
  Nemo, niſi indoctus, nomen in orbe rogat.

1793. SANTENIVS.

AD

IACOBVM HENR. HOEVFFTIVM,

PERICVLA POËTICA DONO MITTENTEM.

Quae mihi miſiſti, Romanae carmina Muſae,
  Santenî obſequio non renuente preces;
Non ſunt, quae dicis, properata pericula venae;
  Sed conſummatae dixeris artis opus:
Quod tibi cum meruit noſtros cum pectore plauſus,
  Pectus, ubi merui, redde, Iăcobe, tuum.

IOAN. ALOYS. MARTYNI-LAGVNA.

Zwiccaviae Saxon.
1793.

AD

LAVRENTIVM SANTENIVM

DE NATIVITATE FILIOLI,

IANI ANDREAE VAN SANTEN.

Quae priùs optati gaviſa eſt foedere lecti,
 Et dominam accepit laeta libensque, domus;
Quaeque, nec immeritò, Charitum ſibi credidit unam
 Limina felici culta ſubire pede;
Nunc quóque, Santeni! plauſu fremit illa ſecundo,
 Quum te iam ſimili prole marita beat.
Fortunate parens! non ſi, vel iniqua petenti,
 Ferre ſuam praeſens Muſa negaret opem;
Non ego, vel gravibus ſi mens foret anxia curis,
 Frigidus intactâ nunc ſedeam citharâ.
Sed iuvat hìc, imo quae gaudia pectore cepi,
 Et vultu et feſtis promere carminibus.
Fortunate parens! cui numina ſumma merenti
 Iam tribuent puros et ſine nube dies.

Num ſatis hoc fuerat, te quòd neque doctior alter,
  Nec mage ſit Latiae nobilis arte lyrae?
Num ſatis hoc, quòd amata roſas, quas legerit, uxor
  Geſtiat ante tuos fundere ubique pedes?
Non ita dî voluêre: avibus iamque edita fauſtis
  Exhilarat ſuboles teque tuamque domum.
Vt riſit Venus alma! viden'? maiore vigeſcit
  Luxurians flammâ connubialis amor.
Et ſtudiis Muſae certant, Charitesque ſorores,
  Quaelibet et puerum vindicat ipſa ſibi.
At fovet hunc inhians complexibus optima mater,
  Forſitan et gratis ora madent lacrymis.
Dum tibi, Santeni, modò coniugis et modò nati
  Adſpectus dubio lumina fixa tenet.
Creſcat Io! felix ſuperisque faventibus infans!
  Iam tenerae matris dormiat in gremio.
Tempus erit, balbâ cum te quóque voce parentem
  Nuncupet, et parvâ mulceat ora manu.
Tempus erit, patrias quum diſcat filius artes,
  Non patriae laudis degener ipſe, ſequi.
Auguror! afflictis ſurgit nova gloria Muſis;
  Maiorum hic revocet tempora fauſta puer.
Leida fave, heroum genitrix veneranda, tropaeis
  Inclyta, Pieridum laus, mea Leida, fave!
Quàm bene Douſanae petet hic praeconia laurûs!
  Qui Phoebum et patriam, carus utrique, colat.

Quàm bene, propoſiti conſtans animique ſeveri,
  Regales poterit ſpernere divitias.
Hoc tuus ille, pater, ſpondet virtutis avitae
  Fervor, et integri pectoris alma fides.
Hoc ſpondet carae pietas et amabile matris
  Ingenium, et cuivis pectora nata bono.
Quae rata ſint! ſolus non haec ego vota, ſed omnis
  Leidaque et unanimi patria mente facit.

DAV. IACOB. VAN LENNEP.

A.D. III *Id. Octob.* 1793.

LAVRENTIO SANTENIO

DE NATIVITATE FILIOLI,

IANI ANDREAE.

Nunc redimire decet geniali tempora myrto,
  Solvere Lucinae nunc rata vota decet.
Auxilium nam diva tulit: formoſus in auras
  Filius en matris prodiit e gremio.
Iamque (ſacerdotem nam deſeruiſſe pudori eſt.)
  Phoebus adeſt, medicam ferre paratus opem.
Languentesque novus matris vigor occupat artus,
  Parvulus et fauſtum ſenſit adeſſe deum.
Felix Santeni! tibi gaudia quanta parantur,
  Gaudia, vel ſuperis invidioſa choris!
Iam ſpectare licet, blandae genitricis in ulnis,
  Vt puer innocuo rideat ore patri;
Occupet utque genas roſeus cum robore ſplendor,
  Vbera quum nato porrigit alma parens.

Iam mihi iam videor voces audire tenellas,
  Compellat balbo quum puer ore patrem.
Nuncque tuo lateri, gremio nunc matris adhaerens,
  Amborum curſat parvulus ante pedes.
Hinc ardore novo iam mutua creſcet amoris,
  Si quid in unanimi pectore, flamma, poteſt.
Communis pignus thalami cura una fovebit,
  Vnus in infantis commoda fervor erit.
Matris ad exemplum, pueriles aurea mores
  Simplicitas finget, ingenuusque pudor.
Virtutem monitis diſcet coluiſſe paternis,
  Atque animum patriae fervidus uret amor;
Hiſtoriae campos duce quum genitore peragrans,
  Floribus hinc variis pabula mixta legit.
Illa dies veniet, tanto quâ nomine dignus
  Santeniae vigeat ſplendor honorque domûs;
Exemplarque tui cognoſcens, optime, natum,
  Ferre ſenectutis non grave damna putes.
Auguror! o faciles habeant, precor, omina divos,
  Votaque non ventis abripienda cadant!

MAT. SIEGENBEEK.

A. D. III *Id. Octob.*
1793.

LAVRENTIO SANTENIO.

Ne tua ne virtus magnis, precor, excidat auſis,
Laurenti, Latium quae revocare melos
Et ſtudet antiqui aſſeruiſſe Heliconis honorem,
Quae cura Heinſiadis Scaligerisque fuit.
Nec deſperemus, Romano carmine laurus
Noſtris victrices poſſe venire comis;
Quae ſi te decorant et frontem plurimae obumbrant,
Tu folia et capiti da, bone, pauca meo;
Neve tuo pudeat me vatem iungere honori,
Neve hominem pudeat iungere amicitiae.

1793. GEORG. LVD. SPALDING.

ARBOR LIBERTATIS

AD BATAVOS.

Illa ego, nympharum quondam celebrata choréis,
Nobilis Arcadii, Pinus, amica dei,

Quam, duram expertus, furibundi more tyranni
  Threicius miſerè ſtravit humi Boreas,
Laetiùs at, ſortem miſerata, aſſurgere Tellus
  Iuſſit, et aeternâ luxuriare comâ:
Nunc Libertatis Belgarum teſtis et index,
  Excuſſo domini, ſiſtor in urbe, iugo,
Haud invita ferens! praeſtat prae carmine Panis
  Concentu Populi liberiore frui!

1795. IMM. GOTTL. HVSCHKE.

Geoponic. XI, 10: Ἡ πίτυς, κόρη γενομένη τὸ πρότερον, μεταβολὴν φύσεως ἐξ ἔρωτος διπλοῦ παρελάμβανεν, ἤρα μὲν γὰρ τῆς κόρης ὁ Πὰν, ἀντήρα δὲ ταύτης καὶ ὁ Βορρᾶς. ἑκατέρου δὲ προσαγομένου τὴν κόρην, ἡ παῖς τῷ Πανὶ προσετίθετο. καὶ ζηλοτυπήσας ὁ Βορρᾶς ἐπὶ τούτοις τὴν κόρην, ἐπὶ πέτρας ὠθήσας, τῷ θανάτῳ παρέδωκε. Γῆ δὲ, ἐλεοῦσα τὸ πάθος, φυτὸν, ὁμώνυμον τῆς παιδὸς, ἀναδίδωσι. καὶ μεταβαλοῦσα τὸν βίον, μένει πρὸς αὐτοὺς, ὡς ἐτύγχανε πρότερον, καὶ τὸν μὲν Πᾶνα τῷ θαλλῷ στεφανοῖ, θρηνεῖ δὲ τὸ δένδρον, ὅτε Βορρᾶς ταύτῃ προσπνεύσειε.

DELICIARVM POËTICARVM APPENDIX.

IN ALDINAM CATELLAM.

HYPORCHEMA.

Trepidula canis animula Styga ſubitò petiit,
Niger ubi lacus, ubi nebula, ubi plaga tenebrica,
Neque loca ſupera, nitidula, viridia repetet.
Vbi miſera periit, here, tibi quis erat animus?
Lacrymula cita tibi cadit, inhibita gemitibus,
Tuaque memoria vetera beneficia repetit.
Hominidoma, feridoma, Cypria, ſaligena dea,
Tua video, tua, malè pia, trucia facinora.
Venerea iuga fugite vaga genera quadrupedum.
Sine mare, vidua, ſterilis agere bene potuit.
Amor aliud adigit. ita geminipara periit.
Dolet herus, et heriſequa, citharicrepa, familia.

Procul agilia tripudia, fidicina dea procul,
Labiaque laticibula, capitaque hederigera;
Quia niveola, nigrocula, cibipeta, celeripes,
Tenerula, placida catula nece ſcrilegâ ooiit,
Et inanima, cineriflua, ſita lapide tegitur.
Satis age, ſatis. abeo; bona catula bene vale!
Manet, heri operibus alita, tibi ſacra celebritas.

HVGO GROTIVS.

IN FVNERE

LEVCONOËS.

Poſtquam Leuconoës (nomen lacrymabile!) morbi
Improba vis teneris artubus incubuit,
Quod potui infelix, laetae ſub tegmine lauri
Compoſui Idaliae buxea ſigna deae;
Quîs ego mâne novo, quîs veſpere munera mellis
Irriguumque dedi non ſine lacte merum,
Et florum genus omne, crocum violasque hyacinthosque,
Aurorae primis humidulos lacrymis;

Carminaque addideram, ſagà mihi tradita, quìs mî
  Pectora narrabat flectier Eumenidum.
Viſa mihi ſimulacra meis manſueſcere votis,
  Viſa mihi lacrymis ingemuiſſe meis.
Sed, dum tecta feror circum, dum corde voluto,
  Quâ prece, quìs ſuperem numina muneribus;
Et ſonitus dum omnis ſuſpenſas excitat aures,
  Si qua canat cornix, noctua ſi qua canat;
Obſcoenos ululare canes, per gramina fuſos,
  Audivi longo cum gemitu ante domum.
Immo ſaepè malum hoc, cum limina moeſta ſubirem,
  Pes monuit, laevum et ſaepè ſupercilium.
Tunc mage pallidulos flammam manare ſub artus,
  Atque magis caram abſumere tunc animam.
Heu! móreris, mea lux; móreris, mea ſola voluptas,
  Atque unà noſter labitur omnis amor.
Eheu Leuconoë! quis te non moeret ademptam?
  Omnia tecum unà gaudia diſpereunt.
Ipſi etiam flores, tua quos in funera carpo,
  Paſſim demiſſis triſte rubent foliis.
Vocales umbras ſemper, frondesque virentes
  Hoc nemus, argutas ſemper habebat aquas;
Quod nunc demittit lentos ſine murmure fontes,
  Et totum tacitis ſquallet ab arboribus.
Nam dulces ſiluêre modi; non ampliùs ulla eſt,
  Quae ludat noſtris fiſtula litoribus.

nn 4

Sed qui nunc ſaltus, quae te nunc prata morantur;
Leuconoë? vel quae flumina carminibus
Reſpondent ignota tuis? quos hoſpita cernis
Paſtores? quae te circumeunt Dryades?
Concinis immiti nunc horrida per loca regi!
O utinam immitis non foret ille deus!
Et tamen Eurydicen vati deus ille ſinebat.
Molliter hunc citharâ perſonuiſſe, ferunt,
Mulcentem tigres, auritaque ſaxa trahentem.
Cur non ergo animos exuat indociles
Arbiter iſte ferus? reſonat tibi fiſtula longè
Blandior, et tibi ſunt carmina, Leuconoë,
Ferrea quae poſſint fatorum rumpere iura,
Et rabiem infernis demere pectoribus.
Forſitan et, duri ſuperato corde tyranni,
Lethaeos remeas nunc mea vita lacus.
Sed quid ego illudo miſero mihi? neſcia flecti,
Nunquam fata meis te obiicient oculis,
Candidulos cui nunc vultus color effugit, et nox
Interfuſa comas implicat aureolas;
Torpentque extincti, quondam duo ſidera, ocelli,
Sidera, vel ſi quid fulget amabiliùs.
Ecce tibi hos flores, atque hoc miſerabile carmen,
Extremum ſpargo funeris officium.
Sed neque te flores, neque te mea carmina tangunt
Seiunctam, et noſtri forſitan immemorem.

DIONY. STROCCHI.

IOCVS DE MARIO, DVCE ROMANO, CONTRA GALLOS MILITANTE.

Martia gens, Senones iterum cum triſte minentur
Civibus excidium, Roma, famemque tuis;
Iam tibi victoris Ludovici, feta triumphis,
Caſtra ſuburbanam cum populentur humum;
In duce ſpes Mario eſt: Mario te vindice tutam
Reris: in hunc belli ſumma relata novi eſt.
Hoc Capitolinam cuſtode tueberis arcem?
Hic tibi, vae miſerae, Manlius alter erit?
Ad mala per longos, fateor, praemuniit uſus
Inque Saguntinam Romula tecta famem.
Sic tamen ad Cimbros Marium Numidasve relega.
Non novus hinc Mario fortè triumphus eat.
Laudo ducem Marium. ſed dux, mihi crede, Camillus
Hoc foret utilior tempore, Roma, tibi.

NIC. HEINSIVS.

CASPARO COMMELINO,

CVM MEDICORVM ALBO INSCRIBERETVR.

Felices animas, quîs ſaecula vivere prima
  Contigit, et terras incoluiſſe novas!
Errabat ſuperis hominum gens mixta per agros,
  Neſcia, quid morbus, quidve ſenecta foret;
Condebat totos inter convivia ſoles;
  Vitae finis erat dulcis et alta quies.
At poſtquam, Iäpeti proles verſuta, Prometheus
  Surripuit flammas, Iupiter, arce tuà;
Incubuit terris pariter genus omne malorum,
  Peſtis, et ardenti cum Febre dirus Hydrops;
Et iuvenum ſubiti venêre in tempora cani,
  Et Mors corripuit, quae modò tarda, gradum.
Spes neque erat miſeris mortalibus ulla ſalutis,
  Atque ope creſcebat deficiente malum;
Donec ſeu Natura ſagax, ſeu numen amicum
  Admonuit, quàm ſit ſuccus et herba potens.
Gramine tunc valido didicérunt pellere morbos,
  Et tibi Phoebeâ, Mors, facere arte moram.

Tunc paſſim populus, quîs ſe debere ſalutem
 Senſerat, in magnis coepit habere deis.
Arte Coronides hac eſt invectus Olympum,
 Et ſacro meruit thuris honore coli.
Hac et, qui citharâ magnum perfecit Achillem,
 Sidereâ fulſit ſidus in arce novum.
Et tibi, Coë ſenex, decrevit laeta merenti
 Herculeo cultum Graecia tota parem.
Caſpare, macte animo, cui nomina tanta referre,
 Et datur in ſimili cui térere arte diem.
Nunc quóque, templa licet de marmore facta negentur,
 Dantur Apollineis praemia magna viris.
Cum prope depoſitos Acheronte reduxeris olim,
 Thura tibi memores mentis in aede dabunt;
Teque, ſuae vitae ſervatoremque ſalutis,
 Aequabunt ſuperis laude, et in aſtra ferent.
Nam tibi ſe ſalvos debebunt ſaepè cubantes;
 Saepè dabit victas Atropos ipſa manus.
Hoc ſpondet genitor, cuius veſtigia calcas;
 Paeonii genitor gloria rara chori;
Per quem letali iam pectora frigore preſſis
 Perſephonê rediit ſaepè fremente ſalus;
Quem docuit vires herbarum et nomina Phoebus,
 Quas fert cunque ſuo daedala terra ſinu;
Quas légit in ripâ Gangetide decolor Indus,
 Quas Libys ad Nili falce fluenta metit.

Sive illas nutris, ignote prioribus orbis,
  Sive vapore ſuo ſidera noſtra fovent.
Hoc ſpondet ſtudiis excultum pectus honeſtis,
  Hoc tua ſedulitas, hoc tuus ille vigor;
Hoc ſpondent pulcris modò reddita praemia coeptis,
  Iunctaque cum votis publica vota meis.

IACOB. PHILIP. D'ORVILLE.

CORNELIO VAN BYNKERSHOEK, SPONSO.

Seu teris Idalios, Venus o pulcherrima, colles:
  Seu faciunt placidas alta Cythera moras;
Seu véheris, niveos agitante Cupidine cygnos,
  Quà ſacer umbroſo vertice ſurgit Eryx;
Huc ades, et, Válachras duce te qui tendit ad oras,
  Fac, dea, pacatis aequora findat aquis!
Quodque datum pelagi dubias tibi iuris in undas
  Dicitur, huic uni ſerviat omne viro!

Artibus ille quidem pectus ſublime ſevéris
Imbuit, unde fori grande tuetur onus;
Famaque ſic meritum, ſolvi metuentibus alis,
Quà levat et condit lumina Phoebus, agit:
Non tamen imperium téneri detrectat Amoris;
Cedit, et in flammas gaudet abire novas.
Nec fore turpe ſibi, ferientibus omnia, telis,
Credidit, aligeri ſuccubuiſſe dei.
Ergo eat, et, tutum quoniam decet eſſe ſacrumque,
Quisquis amat, curae ſit ratis illa tibi!
Fallor? an unda ſilet? non fallimur, alma Dione
Audiit, et voto iuſta precantis adeſt.
Iamque, volaturae comes officioſa carinae,
Numine ventoſas temperat ipſa vias.
Quaeque regit, ne vela cadant ſinuoſa, Cupido,
Puppe ſedens, pennis adiuvat illa ſuis.
Fratris ut Aeneae, ſpem per freta longa ſecuti,
Saepè laborantem rexerat antè ratem.
Cur tamen, ille ſuam quà dirigit aequore pinum,
Nereidas video terga dediſſe fugae?
Forſitan hae metuunt, praetrà quod pondus in illâ eſt;
Et metuunt ſaevas, quas quatit ille, faces.
Parcite, quae ceſſint, nymphae, timuiſſe ſagittas:
Fungitur officio iam puer iſte novo.
Dum loquor, et timidas fruſtra revocare laboro,
Exhibuit portus terra petita ſuos.

Nec Siculam potuit citiùs tetigiſſe volatu
  Daedalus, optatam quàm mea puppis humum.
Exit amans; comitesque deos veneratus, in urbem
  Fertur, et ardores vix capit ipſe ſuos.
At Cytherea latus fidiſſima cingit eunti,
  Quâque docet dominae mens queat arte capi.
Eloquiumque viro, ſimul eſt data copia fandi,
  Verbaque ne deſint mollia, praeſtat Amor.
Cauſſa perorata eſt; cupido gratantur amanti
  Et Venus, et, Veneris iuſſa ſecutus, Hymen.
Foedera iam iunget, thalamoque receptus amato
  Oſcula, quae petiit trans mare, tuta feret;
Implicitusque ſinu dominae languentis, in illo
  Ducet Acidaliae gaudia pacta deae;
Et volet hìc, animi dum ſe ſatiaverit aeſtus,
  More Iovis noctes continuare duas.
Sed reticenda, loquax, lecti vulgare mariti
  Deſine, virgineum, Muſa, referque pedem.

CAROLVS VAN HEVSDEN,

GALATEA,

ECLOGA IN NVPTIIS IOHANNIS MARINI CHALMERS ET ELISABETHAE POTTEY.

Dic, age, quam, veteri proſtratus membra ſub ulmo
Inter oves, Corydon, et plenas lacte capellas,
Silveſtrem tenerà cantabat arundine muſam;
Dic, age, Maenalios mecum, mea tibia, verſus!

Huc ades, o lymphas Aganippidos Hippocrenes,
Aoniosque ſpecus paullisper, et, arbore multâ
Aeternùm virides, Heliconis deſere colles;
Huc ades, et taedas, Hymen, accende maritas;
Vraniae ſuboles, Hymen, patrisque Lyaei!

Rumpe moras, formoſe; veni, ſolitisque corollis
Litoreâ flavos myrto tibi cinge capillos!
Inluxit tuus ille dies, ſolemnia poſcens
Gaudia, quo. patriae non degener incola terrae,
Daphnis, amor meus, et vinclo Galatea iugali,
Feminei Galatea chori, Galatea Valáchrae
Gentis honor, ſacras Veneri, iungentur ad aras.
Sic laudes, Hymenaee, tuas ſuper ardua coeli
Sidera cantantes pueri teneraeque puellae
Carminibus ſublime ferent, laetique vocabunt:
Hymen, o Hymenaee, fave, fave o Hymenaee!

Quae macies vobis teneros depaſcitur artus,
Lanigerae paſtoris oves, ſimaeque capellae,
Daphnidis? o felix, o ter pecus antè beatum!
Par Veneri formá praeſtante, decôra priusquam
Paſtorem Galatea ſuis laeſiſſet ocellis.
Scilicet indigno vos tradidit, ipſe puellam
Dum ſequitur, precibusque dies noctesque fatigat
Daphnis, et adſiduè (quid non mortalia cogit
Pectora iuſtus amor!) proceris vulnera, veſtri
Immemor, arboribus ſtudio ſua narrat inani.

O quoties pater ipſe ſuis Neptunus ab undis
Mattiaco ſine lege vagantem litore vidit;
O quoties te, noſter amor, cariſſime Daphni,

Talia coeruleae Nereïdes exclamantem
Audíerunt, lacrimis ad ſingula verba profuſis!
„ Ergo perpetuae torrebunt viſcera flammae,
„ Quas neque cuncta ſuis reſtinguere flumina lymphis,
„ Nec valeant vaſti ſpumantia marmora Nerei?
„ Ergo letales in me ſine fine ſagittas
„ Indomitus torquebit Amor plaudente Dionê?
„ Nec ſperare meis ullam quandoque ſalutem
„ Vulneribus, ſaevosque licet, quibus urimur, ignes,
„ Et mala damnoſi compeſcere ſemina morbi?

„ Scilicet aeternùm, formoſa puella, ſuperbo
„ Stat tibi conceptos ſententia certa calores,
„ Pars animae, Galatea, meae, contemnere faſtu:
„ Et tamen antè Ceres naſcetur in aequore vaſto,
„ Navita veliferà tellurem puppe ſecabit,
„ Bruma dabit violas et purpureos narciſſos,
„ Sithonias aeſtate nives glaciemque videbis,
„ Gryphes equis, canibus lépores iungentur, et atrox,
„ Ignavam pecudem, fugiet lupus ipſe capellas;
„ Quàm poterit Daphnis, mea lux, mea ſola cupido,
„ Immemor eſſe tui, ſolemque videre ſuperſtes.
„ Dî priùs o iubeant, anima evaneſcat in auras
„ Haec, devota tibi, quàm te, mea vita, relictà
„ Altérius capiar mutatus amore puellae!
„ Quae mihi primus amor, Galatea noviſſima nobis

„ Fax erit, (aeternos teſtor, bona numina, divos.)
„ Accipiat noſtras ſurdâ licet aure querelas.

„ Quem ſpernas, inquire tamen, temeraria! forſan;
„ Qui petit, ignoras, qui te veneratur, et, inſtar
„ Numinis, auxilium ſingultibus intercluſâ
„ Voce rogat, dilecta, ſuo, Galatea, dolori.
„ Non ego, de vilis prognatus faece popelli,
„ Pauper et altérius pecudes armentaque paſtor
„ Horridus obſervo: me candida Phyllis Iölae
„ Mattiacis peperit terris; cenſumque reliquit,
„ Heu! malè crudeli, ſatis amplum, in flore iuventae
„ Ordine fatorum nobis ereptus, Iölas.
„ Cornea mille meae rodunt virgulta capellae;
„ Mille meas fecunda boves per gramina paſſim,
„ Et totidem validos errantes, ecce, iuvencos
„ Adſpice! dives agri teneo quóque plurima terrae
„ Iugera; nec formam Natura noverca decentem
„ Non dédit; aequoreis Thetidos me nuper in undis
„ Sedulus adſpexi; niſi vana fefellit imago.
„ Me deus Arcadiae calamos inflare labello
„ Et graciles docuit cerâ coniungere cannas.
„ Me, dea iuſtitiae, iuvenem florentibus annis
„ Rite ſacerdotum numero Themis alma ſuorum
„ Inſeruit, ſacrisque ſuis praefecit, et inter

„ Paſtores rigidas iuſſit componere lites,
„ Et titulos tribuit non aere, ſed arte, paratos.

„ Surge, age, diva Venus, Galateam ampléctere; caſtris
„ Militet illa tuis, certoque Cupidinis arcu,
„ Concipiat validos animo, transfixa, calores!
„ Sic tibi de viridi binas ego ceſpite ponam,
„ Grati animi teſtes, aras; et dona quot annis
„ Pocula plena feram lactis, niveasque palumbes;
„ Erectisque ſuper verſus altaribus addam:
„ *Haec Veneri Idaliae poſtquam Galatea ſuperbos*
„ *Depoſuit tandem faſtus, altaria Daphnis.*

„ Sed quid ego haec fruſtra, nil proficientia, fundo,
„ Quae Getici rapiunt aquilones verba per auras?
„ Quid queror? aequoreis Nereus obmurmurat undis.
„ Sola igitur poterit noſtros finire dolores,
„ Quae, precor ut properet greſſu, Libitina, citato:
„ Nil lacrimas Galatea, precesve, aut carmina curat,
„ Vt rupes, inmota manens, quam turbidus auſter
„ Et tumidae nullis feriunt ſucceſſibus undae."

Fálleris: Idaliae, voti reus, erige divae,
Erige promiſſas (pietas ita poſtulat.) aras!
Reſpexit Galatea tuos, tuus ardor, amores,

Factaque laſcivi nova praeda Cupidinis ardet,
Daphni, ſuam, formoſe, tuae commíttere dextram.
Huc ades, o Hymenaee, fave, fave, o Hymenaee!

Sat lacrimis luctuque datum eſt: gaudete capellae
Daphnidis, o felix iterum pecus! ipſe per agros,
Florenti virides cytiſo, vos Daphnis, ut antè,
Daphnis aget: Galatea ſuum reſpexit amantem.
Huc ades, o Hymenaee, fave, fave, o Hymenaee!

Scilicet, elapſo ventoſae tempore brumae,
Arboribus frondes, herboſaque gramina campis,
Poſt Borean Zephyri, poſt brumam floriferum ver,
Poſt ténebras lux alma redit, poſt nubila Phoebus:
Sic tibi poſt gemitus et femineos ululatus,
Fortunate puer, nova gaudia mille parantur,
Gaudia vel, Siculo, te iudice, melle repletis,
Anteferenda favis; Arabum ſuperantia gazas.
Quarta Charis, Galatea tuos reſpexit amores.
Huc ades, o Hymenaee, fave, fave, o Hymenaee!

Dulce ſopor feſſis aeſtate ſub ilicis umbrâ
Propter aquam; tauro nova gramina; dulce ſalicti
Hyblaeis flores apibus; ſitientibus undae;
Lanigero ſalices pecori fruticesque virentes;
Paſtori Galatea ſuo, Galatea puellas

Inter, ut ipſa ſuas inter Latonia nymphas.
Quid dubitas? geminis Galateae colla lacertis
Stringe! licet: Galatea tuos reſpexit amores.
Huc ades, o Hymenaee, fave, fave, o Hymenaee!

Vt decorant nivei ſponſam ſine crimine mores,
Ingeniumque ſagax, et fraudis neſcia virtus,
Et pudor, et blando coniuncta modeſtia vultu,
Vrbanique ſales, et, quae praeſignis et ipſam,
Forma, decere queat Venerem trinasve ſorores!

Quis videat ſparſos per eburnea colla capillos;
Quis faciem, Galatea, tuam; quis dulcè tumentes
Purpureasque genas; quis labra fragrantia, pictis
Aemula labra roſis; quis pectus, olore nitenti
Candidius, niveosque pedes, digitosque, manusque;
Quis videat geminos tua ſoles lumina, Phoebi
Lumina perpetuas inſtar iaculantia flammas;
Et maneat, nullo correptus amore medullas,
Tutus ab igne tuo, rerum pulcherrima; nec te
Ardeat, ut diris iniecta gigantibus Aetna?

Sit licet Hyrcanâ de tigride rupe ſub altâ
Natus, et invictos ſuperet feritate leones,
Sit licet et ſcopulis et marmore durior ipſo,

Corde gerat ſilices, qui te modò viderit, ille
Vritur, et calidum per viſcera ſentit amorem.
Tolle ſub aſtra caput; talis tibi contigit uxor,
Fortunate puer! vinci ſe paſſa rogando,
Reſpexit Galatea tuos, tuus ignis, amores.
Huc ades, o Hymenaee, fave, fave, o Hymenaee!

Ducite formoſae per gramina laeta puellae,
Implicitae, chóreas. Cythereide tempora myrto;
Ducite, paſtores! teretes inflabit avenas
Tityrus. ecce leves, petulantia numina, Panes,
Et Dryadum laſciva cohors, Faunique bicornes
Saltando praeeunt, et ruricolae Silvani,
His ſimul excelſum ferientes aethera verbis:
„ Forma potens, Galatea ſuum reſpexit amantem.
„ Huc ades, o Hymenaee, fave, fave, o Hymenaee!

Vos quóque ſaltantes, Galateae cura, capellae,
Vos quóque laetitiam ſaltantes prodite veſtram!
Non iterum vobis poſt haec meditabitur atrox
Inſidias lupus, aut rabies ieiuna leonis:
Advenit illa dies, quâ cum grege Daphnidis unus
Grex eritis, quâ vos Daphnis, decus omne ſuorum,
Iunctus aget dominae lateri per gramina veſtrae.
Huc ades, o Hymenaee, fave, fave, o Hymenaee!

Vivite concordes, fauſto, par nobile, iunctum
Sidere, digna tuo coniux, Galatea, marito,
Digne marite tuâ, cariſſime Daphni, maritâ;
Vivite concordes; ſic vitae tempora veſtrae
Coelicolae Pyliam faciant ſuperare ſenectam!
Vivite concordes, inmunis uterque malorum,
Donec in Elyſii nemoris Libitina beatas,
Certa licet, modò ſera tamen, vos transferat oras!
Vivite! ſed ſatis eſt: iam deſerit Heſperus Oetam,
Et nigro nox atra polos involvit amictu.
Ite! (torum blandae iuſſu laſciva Diones
Floribus Euphroſyne fragrantibus undique ſparſit.)
Ite, tener quò vos vocat ad ſua bella Cupido!

Quid? Galatea negas? quid? virginitatis avara,
Daphnidis illa tui, toties optata, moraris
Gaudia? qui texto veſtros adamante ligavit
Caſtus Hymen animos, et corpora iungat, oportet.
Exue virgineum nimis o pudibunda pudorem!
Ferre moras nec enim Daphnis tuus (adſpice Daphnin!)
Suſtinet ulteriús. ſed fallimur; ardet et ipſa
Ire ſub amplexus cari nova nupta mariti.
Ergo, agite, in thalamum Galateam ducite, nymphae,
Cantantes: Galatea ſuum reſpexit amantem.
Huc ades, o Hymenaee, fave, fave, o Hymenaee!

Lectule, qui cupidos hac nocte fovebis amantes,
Si tibi lingua foret, quot blanda iocoſaque ſponſi
Verba, quot amplexus cras nobis mâne referres,
Fixaque purpureis humentia baſia labris,
Et ſi quid ſupereſt poſt baſia dulce marito!

Sic decet, o caſto coniuncti foedere amantes,
Ludere; ſic veſtram decet exercere iuventam.
Auguror; auguriis reſpondent omina noſtris;
Vt novies pernox reparaverit aurea Phoebe
Cornua, progenies faciet vos pulcra parentes.
Tunc iterum, infantis téneri cunabula ducens,
Maenalios Corydon modulabor arundine verſus.
Huc ades, o Hymenaee, fave, fave, o Hymenaee!

1744. IANVS GROTIVS.

IN
AEDEM NOVAM ALCMARIANAM.

Maiore dudum civis, urbis editâ
In parte, templa ſtruxerat molimine,
Superba et ampla; plurimis cinctam vadis,
Quum uliginoſo condidit parvam ſolo,
Et me beatae dedicavit Virgini.
Sic ante luſtra ſepties minimum decem,
Anguſta, vilis, ſimplici cultu nitens,
Stabam. At manebat laetius fatum brevi.
Fluxêre terna aut quatuor decennia,
Quum me Batavus ore reſpexit Comes
Humilem benigno, (computes ſi tempora,
Stirpis Philippus hic fuit Burgundicae.)
Praeſulque, ſacrâ in ſede Traiecti ſedens.
His nempe, clarae civitatis tunc honor,
Iubentibus, vetus Equitum proſapies,
Quos, Ottomannae ſaeva genti fulmina,
Bello Rhodos praeſignis ac Melite tulit,
Ditavit, ampliavit exiguam domum;
Novumque nomen ordinis de Praeſide,

Sancto Iöhanne, adiunxit, atque aras novas,
Caputque preſſum ſublevans turrim dédit.
Sed parva, lapſo, viſa ſic quóque, ſaeculo
Extendor, ortum verſùs explicans latus.
Paucosque dignitate poſt annos mihi
Formae tumenti dignitas maior vénit;
Décorque ſacris prima purioribus.
Nondum hìc faventis (certiora iam dabo.
Hucusque dicta non probatis teſtibus
Firmantur; ad nos aura Famae pertulit;
Quae prorſus haud ſpernenda, quum faſti ſilent.)
Nondum hìc faventis civis ardor ſubſtitit:
Nam parte ab unâ (luſtra nunc ſunt undecim.)
Auxitque molem, veteris et turris loco
Erexit aliam, quae priorem vinceret.
Votis quod addi poſſet ultra, non erat,
Et me beatam ſorte credebam meâ;
Nil tale quum timentem, abhinc biennium,
Repentè perdit foeda negligentia.
Ignis per alta (quantus ah populum ſtupor
Tenuit videntem!) tecta ſe fundit vorax,
Trabesque ſolvit; cóncidit turris ſolo,
Aedesque latè fumat; opiferae manus
Fruſtra laborant; vincit ingeſtos furor
Flammae liquores; et ſequens heu! heu! dies
Praeter ruinas adſpicit nihil meas.

Iam me periſſe, quis negaſſet, funditus?
Tamen piorum cura reſtituit patrum
Priſco nitori. Quid? renaſci pulcriùs
Voluêre; votaque hìc precesque, civium
Plaudente turbâ, conſecrarunt, numinis
Porro ut benigni ſervet incolumem favor!

Haec noſtra, lector, te latêre nolui
Fata, ut caducas eſſe res mortalium,
Fluxas, fugaces, monitus, et merum nihil,
Non deſtruendam mente concipias domum.

ERNEST. GVL. HIGT.

GENETHLIACON IN FILIOLVM

IANI ABRAMI DE MIST.

Miſtio puerum dédit Diana,
Perpulcrum, lepidumque, blandulumque
Fecundo e gremio ſuae maritae;
Et me, laetitiâ diem iocoque
Totum ne peragam, vetabit ecquis?

Triſtis praepediat Cato, licebit,
Et vultu tetrico, malisque rugis,
Feſtum ut hunc faciam diem, neceſſe eſt.
Ergo, laetitiae pater, Lyaee,
Adſis cum Chariſin, novemque Muſis;
Inſanire iuvat furore dulci,
Ceu Baccho furit incitante Maenas
Aut Tmoli in nemore, aut iugis Cithaeri.
Huc, huc, Pieridum novena turba,
Cum plectro properate, cumque nervis,
Et mollem puero ſonate lallum,
Vt, cunis leviter repoſtus, almâ
Tenellum foveat quiete corpus;
Laetus dum genitor novo puello
Cunas ipſe agitat, labore grato;
Oblita et genitrix graves dolores
Laetatur, genitâ ſuperba prole.

Adſunt Pieridesque, adeſtque Apollo,
Adſunt et Charites, paterque Bacchus,
Cum nervis, citharâque, cumque riſu;
Invitantque, novo furore pectus
Flammatus, viridique fronde crines
Cinctus, carmina concinamque lallum.
Verùm non licet eſſe mî poëtae,
Quem torquet miſerè maligna Febris,

Atque omnes animo fugat Camenas.
Ergo vos, Charites, valete longùm,
Cum Phoebo valeas, pater Lyaee,
Et vos, Pierides, valete longúm.

At tu, flos hominum politiorum,
Miſti, da veniam tuo Nodello.
Culto carmine te tuamque prolem
Libenter cáneret, favente Phoebo;
Sed morbus miſero nocet poëtae.
Tibi ſed malè ſit, moleſta Febris,
Febris pallida, dira, luctuoſa,
Alectûs ſuboles, amor Megaerae,
Aeternùm malè ſit, moleſta Febris!
Per quam non licet eſſe mî poëtae.

IOAN. ADAM. NODELL.

Campis 1780.

IN STATVAM

IOAN. DIDERICI VAN DER CAPPELLEN TOT DEN POLL.

Et regem et reges expelle, Batave, ſuperbos;
Pollio ſic, Brutis maior utriſque, iubet.

1786. SANTENIVS.

GENETHLIACON AD

IOANNEM ADAMVM NODELL.

Orſa lyrae tenebris, te, culte Nodelle, dolebam
  Claudere, perpetuos vivere digna dies;
Ereptamque mihi ſpem, noſtrae pignora mentis,
  Carmina carminibus iuncta videre tuis,
Vt, quibus a ſeſe vitam ſperare negatum,
  Nomine ſint ſaltem non peritura tuo;
Littera, Lucinam thalamo teſtata benignam,
  Materiae vênit quum mihi cauſſa novae;
Littera, inexhauſtis moeroribus elanguenti
  Pectore triſtitiam viſa fugare meo;
Excuſſoque iubens lenti torpore veterni,
  Plectra reſumenti, tangere fila manu;

Gratarique novos partus, prolemque virilem,
 Quâ tua te tandem, Iane, marita beat.
Ipſa, licet pulcras toties enixa puellas,
 Fruſtrata eſt cupidi ſic quóque vota patris.
Indoluit Phoebus, caſtamque hac voce ſororem,
 Quae tumidi ſolvit pondera ventris, adit:
„ Si frater Phoebus tibi; teque erratica Delos,
 „ Meque ſimul, teſtis ſi peperiſſe deam,
„ Hoc precibus da, cara, meis precibusque meorum,
 „ Lapſa ſolo penitus ne mea templa gemam.
„ Adcumulata meos rapuérunt funera myſtas,
 „ Funera nec myſtis ſpes reparare novis.
„ Barbarie regnante, colat niſi qui mea ſacra,
 „ Qui mihi progeniem deſtinet, ecquis erit?
„ Quique colunt, ſteriles aut experiuntur amores;
 „ Praecipit aut meſſes plurima nata meas.
„ Adſpicis, ut fetum toties Regina Nodelli
 „ Poſcat voce nihil proficiente marem.
„ Illa virum faciat ſperatâ prole parentem,
 „ Quam valeam templis adſeruiſſe meis.
„ Non ingratus erit; feſto ſe carmine damnat;
 „ Et virtutis erit praeco, Diana, tuae."
Orat idem Aonidum chorus omnis et innuba Pallas;
 Quotquot et Aoniſin dîque deaeque favent.
Sed Venus et Charites et Amor petiêre puellam;
 Inque duas partes ſciſſus Olympus erat.

Vnus in ambiguo Mars: ipſum maſcula proles
Nam iuvet; at Veneri displicuiſſe timet.
Quum Lucina, graves cupiens conponere motus,
Edidit hos fati voce potente ſonos:
„ Parcite, coeleſtes, rixis; ego, originis auctor,
„ Ille ſit ut voti conpos et ille, dabo.
„ Maſcula naſcetur ſuboles, quam forma decorque
„ Reginae adſimulent, ingeniumque patri."
Evenêre; mari ſub imagine nata Venuſtas,
Mensque puellari fronte virilis ineſt;
Qualiter infantem vis prodidit ignea Achillem,
Veſte licet ſexum diſſimulante marem.
Fallor? an in cunis plusquam puerilia dotis
Iam gentilitiae dat documenta puer?
Fletu pro miſero, pro lugubri vagitu,
Iam Clarios blaeſo murmurat ore modos?
Creſcat ïo! ſervetur ïo! fatisque ſecundis
Inpleat Eventus proſpera ſigna Bonus!
Te duce corda favis Libethridos inbuat orae,
Et Cyrenaeis fontibus ora riget.
Te duce Tulliacae monumenta perennia Suadae
Diſcat, et Andini nobile vatis epos.
Et, iuga Parnaſi tua per veſtigia luſtrans,
Geſtiat aequatis paſſibus ire comes.
Quin etiam certet, (vinci ſic ipſe vovebis.)
Si pote, progreſſus exſuperare patris.

Tu quod eris nato, natis ſit et ille, parentem
Qui ſimul, annoſum teque imitentur avum.
Fulciat et titulos numeroſâ prole paternos,
Heres doctrinae quò tibi multus eat;
Vt properent ſeri per avita tropaea nepotes
Orſa Nodelliacae continuare domûs.
Sic Regina, tuis ſemper victura libellis,
Semper et in doctâ prole ſuperſtes aget.

1792. IAC. HENR. HOEVFFT.

D. M.

HERM. MARTINI NODELL.

Heu! quorſum abiſti, ſpes, amor decus patris
Vitaeque gaudium tui?
Terris relictis, meque mortali patre,
An patre nunc frúeris deo?

Salve, recepte coelitum choro, puer!
Ignoſce lacrimis tamen;
Non invidebunt hae tibi ſortem tuam,
Vicem dolebunt ſed meam;
Namque omne tecum gaudium fûgit procul,
Solisque paſcor fletibus.

Rotterod.
16 *Novemb.* 1794. IOAN. ADAM. NODELL.

LVSVS PASTORALES.

AD AVRAM.

Aura, quae, liquidum aërem pererrans,
Nunc ludis dominae meae capillis,
Nunc ludis dominae meae papillis,
Inuidum ſtrophii levasque velum,
Luctantem malè quod ſinum premebat;
Has tibi roſeas fero corollas,
Haec cum luteolis liguſtra calthis,
Inmiſtis violis amaracoque;
Tu, (ſic ſtillet Eös tibi usque rores,
Sic cedant Boreae trucis tumultus,
Adſpirent Zephyri et tibi faventes!)

Regnantem inmodicè, meae puellae
Depellas medio die calorem.
Quòd ſi Sirius igne te maligno,
Aut Phoebi iubar enecet furentis,
Flabrorum tibi deſit ut ſupellex,
Quae ſuſpiria nocte do dieque,
Quos fundo gemitus labante corde,
Si quidquam eſt animae ſupèr miſello,
Spiritûs mihi ſi quid eſt, habeto;
Flabrorum et tibi deerit haud ſupellex.

IAC. HENR. HOEVFFT.

INSCRIPTIO FONTIS

Huc ades, ingenui cultor quicumque pudoris,
  Huc, quicumque malo crimine liber, ades,
Sive lavare iuvat, candeſcant corpora lymphis;
  Sive bibiſſe iuvat, dilue fonte ſitim.
Sed, vaga cui Veneris furtivae gaudia cordi,
  Et, ſi cui ſceleris dextera mensve rea eſt,
Exſulet, et nitidas tactu ne polluat undas;
  Pura, niſi puris, non mea currit aqua.

IAC. HENR. HOEVFFT.

DIES NATALIS AMICISSIMI F. . . . . . .,

AMYGDALIS ET VVIS PASSIS CELEBRATVS.

Mirabar, quidnam noſtras properaſſet ad aedes
Arcula, deliciis facta beata tuis.
Tum mihi Calliope comparens omina lucis
Miſit, naſcenti quae tibi prima fuit:
Atque haec diviná deduxit carmina voce,
Carmina, non ullo deperitura die:
„ Qualis amygdaleus paſſis coniungitur uvis
„ Nucleus, et duris mollia mixta iacent;
„ Sic hominem nunc cura premit, nunc gaudia
„ mulcent,
„ Laetitiaeque deus miſcet amaritiem.
„ Aſt ego proſpiciam, nam me veneratur, amico
„ Saepius adverſâ ſtet ſine nube dies."

IMM. GOTTL. HVSCHKE.

AD

CAROLVM DVNSTER.

Venuſtiſſime gente de Britannâ,
O Dunſtere, quot Anglicum lepôrem
Litteris poliêre tum Latinis,
Litteris poliêre tum Pelasgis;
Billardo eſſe animum ſonante quintâ,
Scias, coniuge cum meâ vacare,
Vauxhalli nova quà domus renidet.
Ludus regius, incapax dolique, eſt.
Te ludentibus adde; quid gravaris?
Venuſtiſſime gente de Britannâ.

Ad Fontes Spadanos. SANTENIVS.
1792.

AD

CHRISTOPH. GVIL. MITSCHERLICH.

Mitſcherliche, chorage docte vatum,
Quos ad Pierios pedem receſſus
Nunc Germanica ferre terra iuſſit,
Vti, Pegaſeo liquore tincti,
Seſe nobilitentque patriamque:
Tot mî conciliare vis amicos,
Doctus quot habet liber poëtas?
O factum bene! o amice praeſtans!
Reges ſub mea tecta, principesve,
Ductos maluerim vel optimates?
Abſit! nec loquor hos modò imperantes,
Iure qui titulo imperantque nullo;
Nec, non ſufficiente qui ſuorum
Malo, ſervitioque, ſubiugare
Exteros opibusve amant, vel armis:
Vates principibus ſed antepono
Iuſtis, atque probis, ſibi creavit
Quos liberrima civium voluntas;

Iura qui venerantur ut ſuorum,
Gentes ſic émere aut domare nolunt;
Regis gratia rege cum peribit,
Vatum gratia ſempiterna vivit.

1793. SANTENIUS.

PROPEMPTICON

AD

GVLIEL. ANNAM L'ESTEVENON.

Raro, Leſtevenonne, qui potentum
Exemplo facis eruditionem
Magni, negligis haud et eruditos;
Agnatus tibi ſive ſenſus hic ſit,
Sive hunc hauſeris Italis in oris,
Pulcrum quis vénit, et vénit venuſtas:
Raro, Leſtevenonne, qui potentum
Exemplo, patriam colens amore
Vero, et ipſius, haud tui lucelli
Cauſâ; muneribusque honoribusque
Malebas animi carere laetus,

Quàm pars imperii manere, cuius
Mente non poteras probare formam;
Cives non nihili putans habendos;
Civis liber at ut queat vocari,
Per ſuffragia perque ius honorum
Conſors imperii, volens, ſui ſit:
Virtus, gentibus o probanda cunctis!
Virtus, omnibus o loquenda ſaeclis!
Rara, Leſtevenonne, laus potentum;
Libelli videatur huius auctor
Ni civis malus et malus poëta,
Da locum, rogat, in tuis libellis!

1793. SANTENIVS.

EXPLICIT.

EMENDANDA.

Faſcic. I p. 3, 9 pro, *Auri quos potuit probare purae;*] ſcribe: *Puris quos potis auribus probare.*

v. 14 *Invidis malè ſcriniis latentes;*] ſcr: *Scriniis nimis invidis latentes.*

p. 7, 2 *penates*] interpunge *penates;*.

p. 8 *Nunc taedam in Batavas molire, Britannia, merces.*] ſcr: *Nunc taedam in merces molire, Britanne, Batavas.* Et ad hunc modum omnibus locis *Batăvus* paenultimâ correptâ muta in *Batāvus;* quod ipſe Heinſius in Poëmatum editorum exemplari ſuâ manu egerat; et iure, ſiquidem veteres ſemper hanc ſyllabam producunt. vide Schraderi Emendat. Praefat. p. 26.

p. 16 *vel minima.*] lege *minimo*, uti poſtea editum eſt in ingenioſiſſimi Iuvenatii poëmatum libello carm. 35 p. 38.

Faſcic. II p. 28, 3 ſcr: ENTHVSIASMO POËTICO.

Faſcic. III p. 35, 2 pro *Et — pudenda*] l. *Nec — ferenda.*

v. 9 pro *Hicne mihi*] l. *En, meus en.*

v. 11 pro *Pompeio* l. *Pompeii.*

v. 12 pro *Quì* l. *Qui*.

v. 14 pro *nam* l. *res*.

v. 19 pro *pro meritis* l. *promeriti*. quae omnia Heinſius in recentiori autographo ſuâ manu correxerat.

p. 37 v. 1 ſcribe: *Eſt comparata ferè ita res mortalium*.

p. 43, 15 *Infucata*.] lege: *Non fucata*.

Faſcic. V p. 76 ultra med. pro *Inſcribi* l. *Praeſcribi*.

ibid. ad fin. pro *Fronte nec leve ſperne*;] l. *Sperne nec leve fronte*.

p. 85 med. In Epiſtolis, a Brantio collectis, editum hoc epigramma ſic incipit p. 248:

In Imaginem

CORNELII TROMPII,

Ad Foederatum Belgium.

Trompiades hoc o e tuus, Neptunia proles,
Et patrii plenus numine Martis, erat.

p. 88 v. 6 *minabatur*.] Heinſius poſtea correxit *minabantur*.

—— v. 13 *Qualiter*.] Heinſius poſtea: *ceu quondam*.

p. 89 v. 1 *age*;] Heinſius *nunc*.

p. 90 *ſubſcribunt*;] l. *ſubſcribant*.

—— *ſeloque*;] l. *ſaloque*.

p. 91, 7 *compendia*;] Heinſius poſtea *diſpendia*.

—— v. 10 *vereo*;] Heinſius *minima haud*.

—— v. paenult. *Batavorum*;] Heinſius poſtea *Belgarum*.

p. 102

p. 102 ad fin: *Hic me non patitur magis;*] l. *Non me longiùs hìc ſinit* morari.

p. 103, 1 *moretur.*] l. *movetur.*

—— *ſeu velox glaciem ritu;*] l. *ſeu ritu glaciem citus.*

p. 105 *Felix perpetuo locus Ciliſſam;*] l. *Semper meſſe potens locus Ciliſſa.*

p. 109, 1 *Drakenburch*] l. *Drakenborch.*

ibid. *celebretur;* l. *memoretur.*

p. 111, 3 *Vae vatis umbrae;*] an *Vae! vatis umbra,.*

p. 113 *focis;*] l. *foris.*

p. 119 *Hyacynthum;*] l. *Hyacinthum.*

Aligerum;] l. *Aligerûm.*

v. ult. *Quaque coiit ſophici;*] l. *Quâque tui, Sophie.*

p. 121 *Epitaphium Raphaëlis* dele; exſtat enim *in Opere del Cardinale Pietro Bembo* T. IV p. 354.

ibid. deleto epigrammate medio ſcribe:

EX IOANNIS EVANGELIO CAP. 2.

Vnde rubor veſtris et non ſua purpura lymphis?
Quae roſa mirantes tam nova mutat aquas?
Numen, convivae, praeſens agnoſcite numen:
Nympha pudica deum vidit, et erubuit.

CRASHAW.

vide cl. PYE.

ibid.

ibid. dele epigramma ultimum. nam edidit Schradaeus in Monum. Ital. p. 229, quanquam minùs accuratè, quod docuit Burmannus ad Anthol. Lat. l. IV Ep. 97, 2, T. 2 p. 66 b.

p. 122 primum epigramma dele. nam plenius legitur in Hier. Amalthei carminibus, Sannazario ſubiectis, p. 368, editionis Vlamingii.

Faſcic. VI p. 123 ad fin. *Turbine vel;*] l. *Turbine neu.*

p. 134 ultra med. *Iuno;*] l. *Diva.*

p. 141 paenultimo pentametro pro *pactus.*] l. *pectus.*

Faſciculo VII, carminibus Grotianis, peculiarem quivis paginarum numerum adſcribat, rogo.

p. 3, 4 *poſt patriae vulnera;*] ſcr: *cum Patriae funere.*

v. 10 *Legiferae*] ſcr: *Legitimae.*

p. 4, 2 *Romula Iura*] ſcr: *Ius Latiale.*

In Elegiacis p. 16, 3 pro *ſic, tibi*] interpunge *ſic tibi*,.

p. 31, 9 in Epigram. ad Adrianum Royenum pro *Nec genitis adeo;*] l. *Nec genitis alio.*

In Grotii Lyricis, p. 65, 2 Carmine ad Higtium: *Roris infantem Latini puſionem perpluit;*] l. *perluit.*

p. 71 in novam Claudiani editionem: *Dum Clarios praeis ipſe modos, vocalis aëdon;*] l. *Te Clarios praeeunte modos.* Idem error et elegantiſſimum poë-

poëtam, Farſetium, p. 121 et me editorem, fugerat; ubi corrigendum:

Externa, Ordinibus iamque praeis aliis.

Dulciſſimi autem amici, quem morte mihi ereptum nondum eluxi, cum in memoriam incurro, nolim, elabi mihi occaſionem emendandi, quae olim minùs Latinè ad illum ſcripſi:

Aſt Auguſteis *tibi nata poëmata ſaeclis*
Aequa; nec eloquii quòd tibi ſordet honos.

ſcribe, amabo te, qui haec légeris:

Miror at Auguſtis *tibi nata poëmata ſaeclis*
Aequa; nec eloquium quod malè temnis Eques.

p. 74 Bavio Voorda, Iuris Profeſſionem in Academià Batavorum auſpicanti. pro *Hygiae*] l. *Hygiea.*
p. 76 *Tenax*;] l. *Haerens.*
p. 92 In Petri Burmanni Sec. Poëmata, ſtrophê quartâ pro *Dione*] l. *Dioné.*
Faſcic. VIII p. 153, 12 pro *Oenotrios*;] l. potiùs *Oenotros.*
p. 178, 11 *Mireris*;] l. *Mineris.*
p. 197 v. paenultimo pro *ora* in autographo, poſtea invento, Heinſius correxit *orſa*.

p. 197

p. 197 v. ult. pro *Podaliriique* poſtea:, ve *Machaoniſve.*

p. 198 v. 13 pro *priſcis* Heinſius poſtea *canis.*

p. 203 v. ult. *Leni flabello ad altiora;*] l. *Flabello ad altiora leni.*

p. 206 v. ult. *largo;*] l. *largè.*

p. 207 med. *Vsque etc.;*] l. *Vsque ex Nigellinae cubili, usque ex ſinu.*

p. 209 v. antepaen. *femine;*] l. *femine.*

p. 224 *caduca;*] l. *caducâ.*

p. 235, 14 pro *ut Britanniam per univerſam Pax vigeat;*] ſcribe:

> *Britanniâ Pax univerſâ*
> *Vt vigeat.*

p. 237, non 273, ultra med. pro *ſereniores;* l. *iucundiores.*

p. 244 ad fin. poſt *usquequaque* adde *eſt.*

p. 250 DE HAAS;] l. DE HAES.

p. 266 v. 12 in fine pro *luget g;*] lege *luget genus.*

p. 268 v. 7 *gratia;*] l. *gratiae.*

p. 282 fine pro IVLIVS MELESIGONVS] lege: GVLIEL. IONES.

p. 296 Leibnitzii poëmati ſubſcribe: *Viennae A.* 1713. et confer Leibnitzii Opera T. V p. 613. 617.

p. 297 Furſtenbergii Carmen, cum in eius poëmatibus compareat, hic dele.

p. 304

p. 304 INCERTI ITALI;] l. INCERTVS ITALVS.

p. 334 v. 4 et 5 ſic interpunge:

Ipſe pater mediis Neptunus inhorruit undis,
Turbaque Tritonum, Nereidumque chori.

p. 529 fin. pro SZILA'GGI] l. SZILA'GYI.

EMENDANDA IN POEMATIBVS IANI HELVETII.

p. 38, 7 ſcribe: Cantabrove *truci.*

p. 42, 4 ſcribe:

Te iuvat amplecti; quàm tu ſcientia vatis.

IN ANECDOTIS HELVETIANIS.

p. IV ultra med: *odia Livor Aſperat et diro;*] ſcribe:

aſperat iras
Livor, et infeſto.

p. V, I *ſubreptans;*] l. *ſubrepens.*
ultra med. pro *Ili crimen* reperère;] ſcribe: *Hi crimen finxère.*

p. VI ultra med. ſcr:

Litterave hos, vel vox, venâ ſons ubere *rixis.*

p. IX

p. IX, PERTVM] l. APERTVM.
p. XII v. antepaenult. commate deleto punctum pone.
v. paenult. pro *reperere*] l. *inveniere*.
p. XIII v. 8 ſcribe:

Fortè bonis, *ſaeclo* quae recolenda *novo*.

v. 15 *fluvio*;] l. *fluvii*.
p. XIV v. paenult. ſcr:

In medio crater, cryſtalli luce refulgens.

Eiusdemmodi errores praeclari ingenii poëtae obrepſerant etiam in eximio poëmate, BRITANNIA, Hooftio meo inſcriptâ; quorum corrigendorum occaſionem, utriusque amicitiâ ductus, eò libentiùs arripui, quòd pleraque Helvetii carmina, poſt mortem eius edita, ultimam auctoris deſideravérunt manum.
p. 70, 11 *ſoboli*:] l. *ſubolis*.
p. 71, 12 *Sape*.] l. *Saepè*.
p. 72, 6 *Pyramidum*.] puto *Pyramide* vel *Pyramiſi*.
p. 73 v. antepaen. pro *nec pigeatque* malim *ne pigeatque*.
p. 74, 11: l. *Haec Veri* invenêre *vias*.
v. 13 l.
Poſt iter ut felix, quid dicam, *copia mentem*.
p. 78 primum diſtichon ita reſinge:

An

An rerum malè par ſimulacra minuta potentum
Fingeret exili clauſus ut orbe ſoli?

v. 11 *Batavum.*] ſcr. *Belgae.*

p. 79 v. paenult. *quà limite Moſa.*] ſcr. *Moſa quà ſub fine.*

p. 83 fin. ſcr: Belgarum *et cupidos.*

p. 84, 12 refinge:

Huc ades, et rapidis perge, *Gerarde rotis.*

p. 86 diſtichon ultimum ſic ſcripſerim:

In ſe cuncta trahitque illex, alimentaque tactis
Viſceribus regni ſúblegit ipſa ſui.

p. 87 ultimum item diſtichon:

Sic modico ſuffuſus opem tubus advehit aegris
Electro; nimio turgidus, igne necat.

p. 88, 10 ſcribe: *pelagus militiamque.*

v. 15:

Non aliter, ſpatiis auro diſcreta coruſco,

p. 91, 11 *Idem hominum inſueſcit genus.*] ſcr: *Gens eadem viſenda hominum.*

p. 91, 13 pro *teter*] l. *tetri.*

p. 92, 2 Hoc Iber, auſpicium] ſcr: *Aſper Iber, omen.*

p. 94, 11 ſcribe: *ſeu iuxta Hollandum quà patet ora ſalum.*

p. 94 v. antepaenult. *thymo.*] l. *caſiâ.*

p. 95, 12 *aucturam.*] ſcr: *augmentum.*

p. 98 diſtichon primum ſcribe potiùs:

Exploraſſe licet; viden'? en exercita tellus
Vomere fecundos pandit ubique ſinus.

v. 4 *edunt*] ſcr: *habent!*

v. 13 *promercantur*] forſan *commercantur.*

p. 99, 11 *in ſomnis*] l. *inſomnis.*

p. 102, 8 ſcribe:

Rus alit, atque aër limpidus arva beat.

p. 103, 5 *repetens.*] malim *repetat.*

v. paenult. *vigor, et*] potiùs *vigor; hinc.*

p. 104, 12 *Argaeis.*] l. *Argeis.*

p. 105, 1 *ſublectaque*] forſan *ſubiectaque.*

p. 105, 13 *neque his.*] l. *non his.*

p. 106, 15 *Maceret ambitio levis haud, haud faſius,*

p. 107, 3 *vitae quem deſidis otia ſpondent.*] praeſtat: *ſpondent quem deſidis otia vitae.*

p. 108 fine: *ſimu.*] l. *ſinu.*

p. 114, 6 *Albion, inquit.*] l. *Anglia, dixit.* Graeci enim per o longum ſcribunt vel 'Αλβίων, quae

for-

ſorma reddeuda eſt Ariſtoteli de Mundo c. 3 p. 604; vel 'Αλεινίων, quae Agathemero lib. 2 c. 8.

p. 115, 6 *Batavis*] l. *Hollandis.*

v. 7 *experta momentum.*] l. *expertaque pondus.*

p. 122, 7 *patrio retuliſſe;*] ſcr: *patrioque referre.*

v. antepaen: ſcr: *hoc halex, fama, Batave, tua.*

p. 127, 7 *retuliſſe lacuſtribus;*] ſcribe: *ſimulaſſe paluſtribus.*

p. 128, 1 lege: *Innumeris referamne ſedilia fulta columnis.*

p. 129, 4 *Hydaſpes*] ſcr: *ab humor.*

p. 130, 2 l. *Auxit Lernaeos, augeat usque! tholos.*

p. 132, 3 *adverſa.*] an *aperta.*

p. 133, 4 pro *Verſalicae barbara furta Sicae;*] coniicio: *quae Galli ſubdola ſica movet.*

p. 134, 4 dele commata.

p. 134, 6 legendum: *et vigili quam tueatur ope.*

v. 10 *rellictas*] reſcribe *permiſſas.*

p. 135, 14 *improvidâ*] l. *inſcitâ.*

p. 136, 6 *pyrum.*] l. *pirum.*

v. ult. *Diſperit.*] l. *Deperit.*

p. 137 *ineptave nobis;*] l. *non licet apta.*

p. 138, 4 *nos ſimulasſe.*] an *disſimulasſe.*

p. 138, 13 *His labor.*] puto: *Hic labor.*

v. 17 *feſſis ſibi ſpondet.*] molliùs ſonabit: *ſibi feſſis ſpondet.*

p. 140, 5. 6. Neſcio, an in animo habuerit:]

Luxus alat cunctas, auſpex cenſorque laborum;
Primas, ſi qua malo quit placuiſſe, ferat.

p. 141, 5. 6.

Mensque ignara ſuae ſortis, faſtidia civis
Et crebra, et proprii culminis unus amor.

v. 9 puto: *impar licet ipſe, regendos*
p. 142, 3 *Indè odia, et fictis ſubdola lingua ſonis.*
v. 8 *conſcelaratus*] l. *conſceleratus.*
v. paenult. ſcripſerim: *Neſcit, et haud audet tumidos compeſcere flatus;*
p. 143, 3 malim *ubi virus;* et v. 5 *ludis.*
p. 144, 2 puto: *In* ſubolis *genitor praelia, et* illa *patris.*
p. 145, 5 *proverſus.*] potiùs *converſus.*
p. 146, 9 *Regna* epulae fiunt.
p. 147, 9 *an;*] malim *anne.*

LL
S2346c
Santen, Laurens van
Carmina.
46611

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED